15025. V. O. e. 1.

CATECHISMUS

EX DECRETO

SS. CONCILII TRIDENTINI

AD

PAROCHOS

S. PII V.

PONTIFICIS MAXIMI

JUSSU EDITUS,

QUEM

IN CLERI SUI USUM

CELSISSIMUS

PRINCEPS

CAROLUS

E COMITIBUS

AB

HERBERSTEIN,

EXEMPTÆ

CATHEDRALIS ECCLESIÆ

LABACENSIS EPISCOPUS

RECUDENDUM MANDAVIT.

LABACI,

IMPENSIS MICHAELIS PROMBERGER,

INCLYT. PROV. CARN. BIBLIOPOLÆ.

GRÆCII, TYPIS HÆREDUM WIDMANSTADII.

MDCCLXXIII.

0300294 74

PETRI DE LA HAYE
PRESBYTERI
PROLEGOMENA
In Catechiſmum ex Decreto SS. Concilii Tridentini ad Parochos
S. PII V. P. M.
JUSSU EDITUM.

Tria ſunt, quæ in hiſce Prolegomenis demonſtranda ſuſcipimus. Primum qua de cauſa, quibuſque auctoribus de Catechiſmo hoc conficiendo ſit cogitatum. Deinde per quos ille fuerit elaboratus, perfectus, & evulgatus. Tum quanto plauſu, quantaque conſenſione fuerit ab Eccleſia univerſa ſuſceptus. Quibus accedent aliqua de ratione quam tenere debent, qui eo uſuri ſunt.

Quæ res eſt cum jucunda cognitu, tum maxime opportuna ad oſtendendum, ſumma illum auctoritate pollere, & ab

animarum Paſtoribus, quorum in gratiam conſcriptus eſt, eſſe ſedulo aſſiduoque opere pertractandum.

I.

Qua de cauſa, quibuſque auctoribus de eo conficiendo ſit cogitatum.

Vide Diploma in Bullario.

Cum omnia eſſent odiis, & diſſenſionibus plena (diffidentibus præſertim Principibus iis inter ſe, quibus ſumma rerum pene omnis a Deo permiſſa eſt) cum Schiſmatis & Hæreſibus jaceret Chriſtiani nominis divulſa jam & prope lacerata unitas, ſanctæ memoriæ Paulus III. tantis obſtiturus malis anno Incarnationis Dominicæ CIↃ IↃ XXXVII. Oecumenicum Mantuæ indixit Concilium. Sed præter expectationem accidit, ut Mantuana Civitas, Eccleſiæ uſibus conceſſa non fuerit, niſi quibuſdam conditionibus, a Nominis Eccleſiaſtici dignitate, libertateque prorſus alienis. Hiſce igitur jure meritoque rejectis, alium deligere locum neceſſe fuit. Cum itaque nullus aptior videretur aut commodior Vicentia, Urbe quidem copioſa ſatis, & Venetorum, qui eam concedebant, auctoritate, potentiaque, tuta omnino, nullique non opportu-

na

na inibi generale Concilium indictum eſt, inchoandum Kal. Maj. anno Domini CIↃ IↃ XXXVIII. Interim Pontifex Carolum Imperatorem & Franciſcum Galliarum Regem conciliare ſtuduit, qua de cauſa cum ipſe, tum Principes illi, Niceam ſe contulere, Legatis antea Vicentiam miſſis, ad Concilium apparandum. Attamen Imperatorem inter & Regem pax iniri non potuit, ſed ad decennium tantummodo induciæ ſtatutæ ſunt: Concilium vero ſemel iterumque & indictum, & dilatum toto fere triennio. Quo elapſo tempore, tot pereuntium impatiens animarum Summus Pontifex, mutato loco, delectaque, poſtulantibus maxime Germanis, Tridentina Urbe, ibidem de novo Concilium indicit ad Kal. Novemb. anni ab Incarnatione Domini M. D. XLII. Verum impediunt adverſæ juſſa procellæ, nec ſinit audiri vocem fragor æquoris ullam. Ad Principes Diploma miſſum non eſt: Quin Imperatorem inter & Franciſcum Regem bellum recrudeſcit. Quapropter ſexcentis hinc & inde ortis perturbationibus, Concilium inchoari non potuit ante diem decimum tertium Decembris anno Domini CIↃ IↃ XLV. Interea vero Heterodoxa Doctrina, cum

animarum ingenti clade, mirum quantum ſubrepit: impietas, bellorum fœtus, Europam fere univerſam occupat, & Catholicæ vix umbra ſupereſt Religionis. Ad hæc mala tollenda ac reformanda, Tridentum Patres undique convolant: at, Deus immortalis, in hac malorum veluti lernæa palude hydra non una ſecanda erat. Immenſum itaque opus crevit, quod multas poſcebat manus. Hiſce igitur ut appoſita arma Patres ſuppeditarent, Parochos, quorum haud pauci erant illis temporibus cum ſcientia, tum omni Religionis ſenſu fere deſtituti, edocendos ſuſcipiunt, ut deinde vulgus imperitum facilius ab iis poſſet erudiri. De ratione & modo divinum hoc exequendi Conſilium poſtquam diu diligentiuſque deliberatum eſt, comperere Patres, ab Heterodoxis ingentia non tantum confecta eſſe volumina, quibus Catholicam fidem evertere conabantur, verum & innumeros conſcriptos Libellos, qui cum pietatis ſpeciem præſeferrent, incredibile eſt, quam difficile frumentum Chriſti a zizaniis inimici hominis ſecerni potuiſſet. Tot Catechiſmi quot in Europa ſunt Provinciæ, imo fere quot urbes, circumferebantur, & omnes avitis dogmatibus adver-

Vide ind. librorum prohibit.

versi, quibus incauti simplicium animi ubique decipiebantur, ita ut reperire difficile in populo fuisset, qui fidem, qualem a Patribus accepimus, incontaminatam profiteretur. *Quamobrem Patres Oecumenicæ Tridentinæ Synodi cum tanto & tam pernicioso huic malo salutarem aliquam medicinam adhibere maxime cuperent, non satis esse putarunt, graviora Catholicæ doctrinæ capita contra hæreses decernere, sed illud præterea sibi faciendum censuerunt, ut certam aliquam formulam & rationem Christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi, traderent, quam in omnibus Ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimi Pastoris & Doctoris munus obeundum esset.* Admonere hic Pastores juvat librum hunc ipsorum esse proprium, debereque eos tanto lubentius ex Synodi sensu & frequentius uti, propterea quod illos Spiritus sanctus hisce Concilii ipsius verbis alloquitur. *Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum hæc per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim & usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis Parochis pie prudenterque etiam lingua vernacula, si*

Catechismus in præfat.

Sess. 24. de Reform. c. 7.

opus ſit & commode fieri poterit, ſervari ſtudeant, juxta formam a ſancta Synodo in Catecheſi ſingulis Sacramentis præſcribendam, quam Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a Parochis omnibus populo exponi curabunt, &c. Ex his patet jam longe antea decretum fuiſſe de Catechiſmo edendo: atque ea, quæ ſuperius attulimus, ſatis aperte indicant, Patres jam ſub Concilii initium huic rei utpote maxime neceſſariæ intendiſſe. Pro certo autem habendum eſt, eos ſacrum hoc opus componendum ſanciviſſe, Seſſione 18. quæ ſecunda eſt ſub Pio IV. procurante tunc & diligentia incredibili promovente, quidquid moribus reformandis erat proficuum, S. Carolo Borromæo. Etenim cum ibi de librorum delectu decretum ſit, & ad hoc ſelecti ſint Patres quidam, ut ſuſpecti quique ac pernicioſi libri ſeligerentur, & prohiberentur a Concilio, probabile valde eſt ex eodem tempore de remedio erroneis hiſce doctrinis afferendo, hoc eſt, de Catechiſmo edendo, fuiſſe ſtatutum, delectoſque Patres, qui tanto operi incumberent. Quod ſane ex hiſce verbis, quæ in continuatione Seſſionis vigeſimæ quintæ de indice librorum & de ipſo Ca-

te-

techiſmo abſolvendo loquentis reperiuntur, perſpicuum eſt.

Sacroſancta Synodus in ſecunda Seſſione ſub Sanctiſſimo Domino noſtro Pio IV. celebrata, delectis quibuſdam Patribus commiſit, ut de variis cenſuris ac libris vel ſuſpectis vel perniciosis, quid facto opus eſſet, conſiderarent, atque ad ipſam ſanctam Synodum referrent: audiens nunc huic operi ab eis extremam manum impoſitam, nec tamen ob librorum varietatem & multitudinem diſtincte & commode poſſit a ſancta Synodo dijudicari, præcipit, ut quidquid ab illis præſtitum eſt, ſanctiſſimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque authoritate terminetur & evulgetur: idemque de Catechiſmo a Patribus, quibus illud mandatum fuerat, & Miſſali & Breviario fieri mandat.

Catechiſmi itaque conficiendi auctores fuerunt Tridentini Concilii Patres; qui neceſſarium duxerunt Catholicæ doctrinæ formulam certam perſcribere, cum ut omnis in docendo diſſenſus vitaretur, tum ut Chriſti fidelibus nihil Paſtores traderent, quod Eccleſia univerſa calculo ſuo non comprobaſſet.

II.

Quibus Patribus componendi Catechiſmi cura commiſſa ſit, & quamdiu in eo elaboratum cum in Concilio, tum ſub Pio IV. Summo Pontifice.

Quod in Catechiſmo hoc elaborando inſumtum eſt temporis tres in partes perſpicuitatis gratia diſtribuemus. Prior quidem cum Concilium adhuc Tridenti ſubſtitit, a die nempe V. Kal. Febr. CIↃ IↃ LXII. ad Decemb. anni CIↃ IↃ LXIII. quo præclariſſimus cœtus dimiſſus eſt, biennio fere definitur. Altera vero cum ad Romanum Pontificem negotii hujus cura translata Pius IV. Apoſtolicæ Sedi præfuit, a Concilii nempe dimiſſione ad annum CIↃ IↃ LXIV. quæ anni fere ſpatio concluditur. Tertia ab hujus morte ad operis Pio V. jubente promulgationem menſes præter propter decem & octo comprehendit. In nulla autem harum Periodorum irrepere potuiſſe quid vel minimum, quod non eſſet ab univerſa Eccleſia concorditer receptum, apertiſſime, ni fallimur, evincemus.

Vid. Julii Pogiani Sunenſis Epiſtolas & Orat. a Hieronymo Lagomarſinio e S. J. illuſtratas Romæ 1756. in adnot. ad Epiſt. Ant. Mariæ Gratiani ad Card. Commendon. T. II. a pag. 17. ad 40.

Et quantum ad Concilii tempora attinet, illud eſt exploratum, Legatos V. Kal. Febr. CIↃ IↃ LXII. pluribus iiſque Doctiſſimis Patribus ejus conficiendi curam

ram impoſuiſſe. Quod ut diligentius faciliuſque perficeretur, opus totum articulatim ſectum fuit, diſtributumque ita, ut Patrum cuique particula quædam explananda traderetur. Cujus rei præter cæteros locupletiſſimi teſtes ſunt, cum Chriſtophorus Sanctoriſius ex Eremitarum S. Auguſtini Familia, qui in præfatione ad Sanctorum Patrum Theatrum affirmat, Summo e ſuo Ordine Theologo, Pontificioque in ſancta Synodo Legato Hieronymo Cardinali Seripando Symboli particulam, *Et in unam Sanctam Eccleſiam Catholicam*, explicandam fuiſſe commiſſam: tum Michael Medina e Fratrum Minorum Ordine, qui expoſitionem 4ti Articuli ejuſdem Symboli ſibi, in præfatione ad opuſculum, quod ſuper hoc 4to Articulo vulgavit, attribuit. Nec veriſimile fit tanto tempore tot doctos & in ſcribendo exercitatos Viros ita lente incurioſeque huic rei certe graviſſimæ incubuiſſe, ut nil niſi operis inelaborata quædam lineamenta duxerint.

Catechiſmi igitur, ut ita dicam, Corpus dum Concilium ſtetit, non privati quidam ſectæ alicujus Alumni, ſed præſtantes omnium Ordinum Theologi, quibus propter ſummam Patrum in ſecernen-

nendis ab Ecclesiæ Doctrina scholarum placitis, vigilantiam, a communi Ecclesiæ sensu recedere indecorum fuisset ac periculosum, conformarunt.

Neque minori usus est sollicitudine Pius IV. summus Pontifex. Anno enim CIↃ IↃ LXIV. cum Concilii Patres jam discessissent, Theologis quatuor ad hujus rei prosecutionem, Carolo Borromæo procurante, selegit, quorum tres Episcopalis dignitas exornabat: Leonardum Marinum Genuensem Archi-Episcopum Lancianensem: Ægidium Fuscararium Bononiensem Episcopum Mutinensem: Mutium Calinium Brixiensem Jadrensis Ecclesiæ Archi-Episcopum, Episcopum deinde Interamnatem: & Franciscum Forerium, seu verius Fureirium Ulyssiponensem Lusitaniæ Regis in Concilio Tridentino Theologum.

Verum quidem est priores duos & postremum hunc e Dominicana Familia fuisse: at quales illi doctrina, moribus, prudentia fuerint, præter ea specimina, quæ & in Concilio & in sacris Officiis obeundis dederunt, testatur D. Carolus Borromæus cum in Epistola ad Episcopum Varmiensem Stanislaum Hosium Cardinalem, tum in ea qua Lusitaniæ, Regem

in-

interpellat, ut finat, Fureirium Concilio jam dimisso, Romæ subsistere, donec extremam Catechismo manum admoverit. Calinius vero, qui nulli Regulari Ordini adscriptus erat, quique in Concilio non mediocrem doctrinæ opinionem sibi comparaverat (nam cæteris, qui Catechismo lucubrabant, adjunctus a Patribus fuerat, ut in Symbolo Apostolorum septemque Sacramentorum tractatione expolienda operam suam conferret) permissurus certe non erat, ut quid illis excideret, quod opus Concilii Tridentini Apostolicæque Sedis nomine vulgandum redderet minus probabile. Quod præcavere illi difficile non fuisset, cum authoritate propria, tum Caroli Borromæi imperio, qui cum Pontificis esset Nepos & admiuister, dubitandum non est, quin tam imprudens tamque desiderio suo adversum facinus prohibuisset. *Is* enim (quemadmodum Josephus Ripalmontius in Historia Ecclesiæ Mediolanensis part. 3. lib. 2. scribit) *animo conceperat, eximium Catechismi Romani opus, de quo opere conficiendo sanxerant Patres Tridentini, idque decretum inter cætera exstabat: etiam ei digerendæ institutioni capitibusque disponendis summi Theologi adlaborabant. Sed consilium erat Caroli, ut Di-*

vi-

vinitas & altitudo rerum atque ſententiarum pari verborum dignitate explicaretur, adhibitiſque Latinæ linguæ ſummis ea tempeſtate hominibus, per eos abſolvit opus, quod meliore Romanorum ſæculo natum eſſe videatur.

Et de facto Calinius, cujus quoque latinitas in Concilio ſpectata fuerat, fidei Articulos & Sacramenta: Petrus Galeſinius celebris ea tempeſtate ſcriptor Decalogum: Julius Pogianus Othoni Cardinali Truchſeſſio primum, Borromæo, deinde a Secretis Orationem Dominicam Latina lingua expoſuerunt.

Poſſevin. in Appar. lit. B. & lit. I.

Si itaque tantus in Borromæi animo inſedit ſcrupulus, quo minus quid in Catechiſmi verbis eſſet, quod vel faſtidioſas Grammaticorum aures offenderet, quanta putandum eſt ipſum fuiſſe ſollicitudine affectum in ſententiis: ut nihil in iis reprehendere jure poſſent, non ii tantum, qui a Prædicatorum Schola diſſidebant, ſed & heterodoxi qui totis viribus conabantur populis perſuadere, Romanam Eccleſiam, Apoſtolicis dogmatibus, deliramenta Scholaſticorum, ut ipſi per ſummam injuriam ajebant, prætuliſſe?

Certum igitur apud quemque ſanæ mentis hominem eſſe debet, ſub Pio IV. nihil e peculiaribus Thomiſticæ Scho-

læ

læ opinionibus in Catechiſmum redundaſſe.

III.

Quid ſub Pio V. qui Catechiſmum vulgavit, geſtum ſit.

Jam vero ad Pium V., qui in Pii IV. locum ſuffectus eſt, deveniamus. Is ſane Dominici Diſciplinam ſectabatur: at vitæ ſanctimonia cum floreret, propter quam in cælitum album publico Eccleſiæ Decreto relatus eſt, magnam nomini ſuo inuſſiſſet labem, ſi communis doctrinæ loco, privatas ſcholæ domeſticæ opiniones, Eccleſiæ toti obtrudi paſſus eſſet. Et præterquam quod hoc de ipſo vel ſuſpicari piaculum eſſet, eſt iis etiam, quæ in hoc negotio præſtitit, quam maxime repugnans.

Etenim Congregationem, ſic Romæ cœtus appellant, qui rei alicujus tractandæ cauſa a Pontifice convocantur, delegit, quæ Catechiſmo componendo, recognoſcendo, perficiendoque vacaret. Ei præerat Guilielmus Syrletus Cardinalis, quo nemo Divinis humanisque litteris ea ætate doctior exiſtimabatur, quique a D. Carolo in comitiis poſt Avunculi mortem habitis dignus habebatur, qui Pontifex Summus renuntiaretur.

Cæ-

Cætum autem illum constasse compluribus doctissimis Viris, quorum Roma ferax est, Curtius Francus, qui ex illis erat, testatum reliquit. Quibus annumerare non dubitaverim Sylvium Antonianum, Virum doctrina & purpura bene notum: Etenim Josephus Castalio in ejus vita, etsi subobscure, cum tempora non satis discriminet, sic de eo refert: *In Catechismo, qui ex Concilii Tridentini Decreto Pii V. jussu editus est, complures Theologi & diserti viri conscribendo elaborarunt; Antoniano Symbolum, aut certi Symboli partem explicandam obtigisse, Lacius Pasqualinus vir gravissimus mihi confirmavit, quod & ipse in adversariis ejus reperi.*

Lagomarsin. ibid.

Adfuere quidem inter alios e Prædicatorum Ordine Theologi duo, Thomas Manrique, & Eustachius Lucatellus, quorum prior Sacri Palatii Magisterio, quod munus est publicum, fungebatur, alter vero præclari sui Ordinis Procurator erat. Hos doctrina inter cæteros eminuisse, ex eo, quod illorum nomina, aliorum non item, Francus memorat, licet fortasse colligere; inde autem non sequitur, eos fuisse cætui toti dominatos. Id enim Romanis Pontificibus in rebus ad Religionem pertinentibus examinandis moris est, plu-

res

res ex omnibus Ordinibus viros claros advocare, ut id, quod ex ea disquisitione emergit, quodque Pontificio nomine promulgandum est, sit a quocunque partium studio, ut decet, prorsus immune.

Itaque credere hac in re, quæ cæteras omnes gravitate prætergreditur, id fuisse posthabitum, esset rationi adversum quam maxime.

Quod si in hoc Pontifex substitisset, quis rerum æquus æstimator ulteriorem diligentiam requireret? Attamen ultra progressum fuit: nam opus jam a Syrleto perpensum expolitumque traditum est Pogiano, ut is observaret, nequid peccati adversus latinitatis leges in eo subesset. Pogianus vero non latinæ linguæ cognitione solum, sed Ecclesiastica scientia, rerumque agendarum peritia excellebat. Lagomarsin. ibid.

Quinquennale demum opus tamdiu expectatum elimatumque prodiit tandem Pii V. jussu e Manutiana, hoc est, e bonarum artium Officina. Juvat Pontificia verba legentium oculis subjicere, ut pateat, Virum sanctissimum nihil eorum prætermisisse, quæ ad operis integritatem servandam facere posse videbantur. *Motu proprio & pastorali Officio cupientes quam diligentissime possumus divina adjuvante gra-*

tia fungi, & ea quæ a ſacro Tridentino Concilio ſtatuta & decreta fuerunt, exequi curavimus, ut a delectis Theologis in hac alma urbe componeretur Catechiſmus, quo Chriſti fideles de eis rebus, quas eos noſſe, profiteri, & ſervare oporteret, Parochorum ſuorum diligentia edocerentur. Qui liber cum Deo adjuvante perfectus in lucem edendus ſit, providendum duximus, ut quam diligentiſſime & fideliſſime imprimatur. Itaque in hac alma urbe eum potiſſimum imprimi voluimus, dilecti filii Pauli Manutii diligentia, qui alios Eccleſiaſticos libros hic imprimere ſolet. Quia vero ſi alibi imprimeretur evenire poſſet, ut non pari fide ac diligentia talis Argumenti liber imprimeretur, ob hanc cauſam, &c. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſeptimo Kalend. Octobr. Anno primo.

Si ergo tanta Pius uti voluit diligentia in Opere hoc cum elaborando tum typis committendo, cenſuitque illud dignum quod Sedis Apoſtolicæ nomine Parochis omnibus proponeretur tamquam a Tridentina Synodo Eccleſiæ univerſæ præſcriptum, intelligi profecto nequit, quomodo ſine manifeſta ſanctæ Sedis injuria poſſit negligentiæ, ne quid gravius dicam, inſimulari. Præterquam quod cum ipſe, ut in ejus vita lib. 1. cap. 2. Gabutius affirmat,

mat, *Sacrum Catechiſmum ad Parochos, quo præcipua Catholicæ doctrinæ dogmata luculenter explicata continentur, per viros Chriſtiana eloquentia & eruditione inſignes latine confici primum, & ubique Gentium evulgari, mox in Italicum, Gallicum, Germanicum, ac Polonicum ſermonem converti curaverit*; vulgaribusque iſtis interpretationibus Italica excepta, quam Alexius Filiutius Dominicanus confecit, ſciamus e Sachinio inſudaſſe Patres e Societate Jeſu, credibilene videtur, Viros iſtos doctiſſimos vigilantiſſimoſque labem hanc non animadvertiſſe?

Pius vero eam, quæ conſuetis formulis conſtat, approbationem confirmavit quotiescunque vel de morum emendatione, vel de regularium Ordinum Reformatione agebatur: ut e Bullis anno CIↃ IↃ LXX. editis: nempe 102. pro Ciſtercienſis Ordinis Reformatione: 103. pro reducenda in meliorem ſtatum Congregatione Servorum Beatæ Mariæ: & 106. de Miſſalis Reformatione apparet: in quibus omnibus Catechiſmum commendavit, uſurpandumque præcepit.

Neque ſolus e Romanis Pontificibus Pius fuit, qui Catechiſmum hunc expreſſis verbis probaverit, quod tamen ad am-

pliſſimam illi auctoritatem comparandam ſufficeret. Nam Gregorius XIII. Pii V. in Petri Cathedra Succeſſor in Brevi quodam anni 1583. declarat ſuo juſſu & approbatione, denuo editum eſſe; librumque hunc adeo utilem exiſtimavit, ut peculiari mandato in linguam Illyricam transferri juſſerit, quemadmodum patet e Concilio Aquilejenſi, de quo inferius. Et ut teſtatur Poſſevinus, Catechiſmus erat illi veluti Regula, qua Jus ipſum Canonicum reformari poſſe putabat; Unde Franciſco Gratiano de Garzatoribus Juris-conſulto & Canonico Vicentino ſuaſit, ut Juris Canonici epitomen ederet, in qua, quidquid vel a Summis Pontificibus, vel a Concilio Tridentino, vel a Catechiſmo Romano fuerat abrogatum, reſecaret.

Confecimus, ni fallimur, opus hoc poſt accuratiſſimas doctiſſimorum Virorum diſquiſitiones a Petri Cathedra Eccleſiam totam alloquente prodiiſſe: Remanet nunc, ut oſtendamus, Eccleſiam ſupremi Paſtoris ſui vocibus auſcultaſſe.

IV.

Quanto plauſu quantaque conſenſione fuerit is ab Eccleſia receptus.

1. Longam & moleſtam diſputationem aggrederemur, ſi vellemus ſingula Eccleſia-

ſiarum acta, ex quibus conſtat, Catechiſmum fuiſſe ubicunque gentium receptum, enumerare. Aliquot igitur indicabimus tantum, e quibus patebit ab omnibus illum habitum fuiſſe dignum, qui Chriſti fidelibus erudiendis inſerviret; Quo in indiculo rationem temporum ſequemur.

Primus itaque, qui eum in Eccleſiam ſuam intulit, fuit Divus Carolus Borromæus, qui in prima Synodo, quam Mediolani habuit anno Domini 1565. Clericis omnibus, poſtquam decimum annum attigerint, præcipit, ut Catechiſmum hunc aſſidue legant.

2. Synodus Beneventana an. 1567. in qua omnibus, tum Parochis, cum Verbi Dei Prædicatoribus injungitur, ut ad ſuum munus explendum Catechiſmum, qui Summi Pontificis juſſu editus eſt, aſſidue præ manibus habeant, ut omnia ſecundum Sanam & Eccleſiaſticam doctrinam facere valeant.

3. Synodus Ravennat. 1568. quæ titulo de Seminario cap. 4. librum hunc, quem Concilii Trident. Catechiſmum vocat, mirum in modum commendat, præcipitque, ut, qui degunt in Seminario, eum e manibus non deponant.

4. Borromæus iterum in Synodo Mediolanenſi an. 1569. ubi jubet Parochis, ut frequentius aliquam Catechiſmi Romani lectionem inter ſe convenientes tractent.

5. Synodus Salisburgenſis in Germania noſtra habita anno 1569. quæ ita decrevit Conſt. 26. *Debent Parochi iis, quæ ad ipſorum ſpectant miniſterium, quemadmodum & Epiſcopi cum Sacramenta per ipſos erunt populo adminiſtranda, illorum vim & uſum, pro ſuſcipientium captu in vulgari noſtra lingua Germanica explicare, juxta ea, quæ in Catechiſmo Romano ſane utiliſſimo, & his temporibus maxime neceſſario continentur*

6. Borromæus tertio in Synodo Mediolanenſi anno 1577. in qua mandatur, ut Parochi in Sacramentorum adminiſtratione Catechiſmi Romani locos & doctrinam adhibeant.

7. Genuenſis Synodus an. 1574. Tit. de Fidei elementis a Parocho tradendis.

8. D. Carolus iterum, hoc eſt quarto in Synodo Mediolanenſi anno 1576. ubi inter libros, quos Epiſcopo viſitanti Parochus exhibere debet, cenſetur Catechiſmus Romanus.

9. Ab eodem in Synodo Mediolanenſi anno 1679. ubi de examinandi ratione præcipit, ut inquiratur ab ordi-

nan-

nandis; *An Catechiſmum Romanum habeant, ejuſve doctrinam teneant.*

10. Hiſce acceſſit eodem anno univerſus Clerus Gallicanus in publico totius Cleri conventu Melodunenſi, in quo multis in locis; ſed maxime quatuor Tit. de Baptiſmo, de Euchariſtia, de Pœnitentia, & Ordine hic Catechiſmus, qui ibidem Tridentinus agnoſcitur, ita præſcribitur Parochis, ut ab illuſtri hoc florentiſſimi Cleri Conventu, & neceſſarius omnino judicetur, & cæteris omnibus anteponendus, hiſce verbis: *Inſtituere tenentur Curati ſuos greges ex præſcripto Catechiſmi Tridentini, quam pure ſimpliciter fieri poterit:* & alibi: *Adhibentes ea in re probe efficienda* (nempe in exhortandis populis) *Catechiſmi Romani locos & doctrinam Concilii Tridentini, de ſingulis Sacramentis, ob id ab omnibus Curatis accurate & ſtudioſe legendam.* Præterea *Catechiſmi Tridentini in rebus hujuſmodi ac piis operibus exercendis, Regulas & Præcepta, quam fieri poterit, accurate ſequantur Confeſſarii.*

11. Synodus Rothomagenſis, an. 1581. En ejus verba: *ut autem quilibet Parochus officio ſuo defungi queat, Catechiſmum Romanum latine & gallice* habeat. c. 10.

12. Synodus Burdegalenſis an. 1582. quæ ita loquitur : *Parochi ſingulis feſtis diebus aliquid ex Catechiſmo Tridentino, quem latine & gallicé auctoritate noſtrâ editum penes ſe habere injungimus, populo proponant, &c.*

13. Synodus Turonenſis an. 1583. Tit. de Profeſſione & Fidei tuendæ cura.

14. Synodus Rhemenſis 1583. Tit. de Curatis.

15. Synodus Provincialis Aquenſis in Gallia an. 1585. Tit. de Parochis his verbis : *Ut autem quilibet Parochus ſuo officio defungi queat, Catechiſmum Romanum latine & gallice habeat, &c.*

16. Synodus Provincialis Toloſana an. 1590. ita loquens : *Injungimus Parochis, ut continuo Catechiſmum Concilii Tridentini præ manibus habeant.* Tit. de Sacramentis.

17. Synodus Avenionenſis an. 1594. Tit. de Officio Parochi ; *Catechiſmum Romanum ſedulo præ manibus habeant, &c.*

18. Synodus Aquilejenſis an. 1586. de qua jam ſuperius mentionem fecimus.

Sed quid opus eſt ſingulas Synodos, quæ de hoc opere loquuntur recenſere ? Nemo certe alicujus nominis in Eccleſia Catholica Doctor erit, qui de ejus auctoritate eo pacto ſentire dubitet, ac ſen-

ſit,

sit, præclarissimus ille strenuissimusque Ecclesiæ vindex Jacobus Benignus Bossuetius Meldensis Episcopus, qui in aurea Catholicæ Doctrinæ expositione a Summo Pontifice & ab Ecclesia tota probata conscribenda, nullis aliis monumentis, præter Divinas Scripturas, voluit uti ac Concilio Tridentino & Romano Catechismo, ut Heterodoxis nudam sinceramque Catholicorum dogmatum faciem ob oculos poneret.

Et profecto, si Tridentinorum Patrum auctoritate opus hoc inchoatum est, si summa Religione confectum absolutumque, si a Pontifice Romano probatum, si ab universa Ecclesia consensione summa receptum, quis negare poterit, ipsum publicis Ecclesiæ Actis esse annumerandum, unde id, quod Catholica Ecclesia in Religionis negotio sentit, hauriatur?

Cum itaque Catechismus iste aliis omnibus, qui privato studio confecti sunt, auctoritate dignitateque antecellat, Pastoribusque & Summi Pontifices, & eæ, quas memoravimus, Synodi præcipiant, ut ex illo depromant, quæ Christiani populi interest scire, haud alienum erit pauca de illius usu ex iisdem fontibus desumta adnotare. Ceterum quoniam Parochi

variis operosi muneris, quod gerunt, occupationibus distrahuntur, ita ut nequeant totum illud studium, quod in eo meditando necessarium est, ponere, opportunum ducimus, eos hortari, ut e Theologia dogmatica & morali Natalis Alexandri, e Canisii, Bellarmini, Bossuetique Catechismis, & ex Institutionibus Catholicis Franciſci Amati Pouget, latinæ tamen, & a Regiis Galliarum Censoribus emendatæ editionis ea petant, quæ Catechismi nostri doctrinam occurrentibus fidelium necessitatibus reddere valent accommodatam.

Prima ergo ratio utendi Catechismo indicatur in omnibus fere Synodis cum Provincialibus, tum Diœcesanis, quæ post Concilium Tridentinum habitæ sunt; ejus nempe assidua lectio vel saltem ita frequens, ut quidquid hic liber continet memoriter comprehendatur.

Secunda præcipitur a S. Carolo in II. Synodo Mediolanensi; ut scilicet convenientes ad se invicem Parochi vicinæ cujuslibet, aliquam hujus Catechismi lectionem expositionemque inter se statuant: quæ laudabilis consuetudo singulis hebdomadis in usu est in celebri Presbyterio S. Nicolai de Cardueli Parisiis.

Ter-

Tertia præſcribitur ab eodem in III. Synodo Mediolanenſi, in qua mandat: ut, quoties Parochi aliquod Sacramentum adminiſtraturi ſunt, locos & Doctrinam hujus libri adhibeant, & populo exponant: quod & præcipitur in Synodo Rothomagenſi.

Quarta proponitur in Synodo Burdegalenſi, dum jubetur, ut ſingulis diebus feſtis aliquid ex Catechiſmo Parochi populis proponant, de iis rebus, quas noſſe Chriſtiani omnes debent.

Quinta indicatur in Synodo Cremonenſi an. 1603. p. 9. his verbis: *Divino afflatu Spiritus S. illi Patres, qui in Conc. Trid. præfuere, mandarunt, ut quam primum Romanus Catechiſmus conſcriberetur, ex quo veluti ex fœcundiſſimis ſanctæ Matris uberibus Clerici omnes Eccleſiaſticæ doctrinæ ſuaviſſimum lac exſugere valerent. Ea igitur conſuetudo, quæ ſancte in noſtra Seminaria introducta eſt, Clericis omnibus Romanum Catechiſmum explicandi, omnino inde a ludimagiſtris Clericis ſub pœna ſuſpenſionis quotidie, vel ſaltem ter in hebdomada ſervetur.*

Sextam in ipſa Catechiſmi Præfatione præſcribunt Patres, qui illi conſcribendo operam navarunt, in cujus rei gratiam Index, qui ſequitur inſtructus eſt.

Clero universo salutem in Domino.

Finis & scopus hujus novæ editionis non satis laudandi Catechismi Romani, quam Deo inspirante & Celeberrimorum Antistitum exemplo fieri curavimus, est, ut non solum Clerici, Sacerdotes, præcipue vero Prædicatores verbi divini & Catechistæ illum præ manibus habeant, verum etiam diligenter atque continuo perlegant, ac in Scholis publicis tradant, & explicent : ita ut ex hoc tamquam ex limpidissimo fonte sanas hauriant doctrinas, quæ & parvulis, & adultis, & doctis & ignorantibus & cultis & rudioribus explicandæ atque inculcandæ sunt pro æterna consequenda salute.

Vos vero ! Filii Chariſſimi, qui aut ad altiores ordinum gradus ascendere, aut in vinea Domini laborare cupitis, certi sitis, quod nemo vestrum ad sacrum ministerium evehendus sit, nisi vos in Scriptura Sacra & Romano ad Parochos Catechismo sufficienter versatos esse invenerimus ; quare sequentem ordinem pro examine ordinandorum aut eorum, qui ad curam animarum adspirant, omnino observari mandamus : ut Minoribus Ordinibus Prolegomena Sacræ Scripturæ, Subdia-

diaconatui quatuor Evangelia & Actus Apostolorum, Diaconatui libri Sapientiales, Prophetæ majores atque minores, Presbyteratui vero Epistolæ Canonicæ, atque Apocalypsis correspondeant.

Insuper animadvertimus, quod pauciſſimi sint, licet eam, quæ par est, diligentiam in Studiis Ecclesiasticis adhibeant, qui bonos libros cognoscant, hinc necessarium esse duximus hic quosdam indicare Authores, qui & ad necessariam addiscendam scientiam, & ad sanam amplectendam doctrinam, & ad sacra munia exercenda omnibus Ecclesiasticis, præcipue vero animarum pastoribus, optimi atque proficui esse poterunt.

Pro intelligenda Sacra Scriptura interpretatio præprimis desumenda est a sanctis Patribus, deinde recurrere oportet ad quosdam meliores interpretes, uti sunt: Calmetus, Menochius cum notis Tourneminii, Mariana, Maldonatus, Du Hamelius, & propter additam versionem germanicam Cartierius, denique Esthius in loca difficiliora Scripturæ, & in Epistolas sancti Pauli, & Bernardi Lamy Apparatus Biblicus.

Pro intelligendo & explicando Catechismo Romano optime inservient: Natalis Alexandri Theologia dogmatica & moralis, Catechismus Jacobi Benigni Bossueti Epi-

sco-

scopi Meldenſis, ejuſdemque Expoſitio doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ, quæ etiam germanice extat, Franciſci Amati Pougeti Inſtitutiones Catholicæ latinæ, Fleurii Catechiſmus Hiſtoricus germanice, & denique Petri Caniſii Catechiſmus.

Pro ſacris concionibus vero ſunt legendi ſancti Patres Chryſoſtomus, Auguſtinus, & Bernardus, pro popularibus vero ſermonibus Natalis Alexandri expoſitio in Evangelia, ejuſdemque commentarius in Epiſtolas Canonicas, qui etiam præcepta & regulas ad Prædicatores conſcripſit, Kravogel conciones pro toto an. Theſaurus biblicus Merz.

Nunc ſequuntur Libri ſcholaſtici pro Theologia dogmatica & morali.

Præcipue ſancti Patres, opera S. Thomæ, Summæ caſuum conſcientiæ a ſanctis Doctoribus Raymundo & Antonino conſcriptæ, Juenin, Melchior Canus de locis Theologicis, opera Opſtraet, Veronii Secretio eorum, quæ ſunt de fide Cathol. ab iis, quæ non ſunt, Henrici Holden divinæ fidei Analyſis, Valſecchius de fundamentis religionis, Hugo Grotius de veritate religionis chriſtianæ, opera PP. Gazzeniga, Gervaſio & Bertieri, Summa Alexandrina S. Thomæ, Moralia S. Gregorii, Genettus, Beſombes, Reiffenſtuel cum notis Flavii Ricci, Manuale & Compen-

pendium Concina, Antoine cum notis Carboneanis, Godeau, ejusdemque Imago Pœnitentiæ, quæ etiam germanice extat.

Canonistæ. Concilium Tridentinum, Doujat Prænotiones Canonicæ, Fleury Institutiones Canonicæ, Van-Espen, Riegger, Engel cum notis Barthl, Schmier una cum suo jure universali publico, Zallwein.

Historici. Fleury præcipue vero ejusdem Discursus, & ejusdem Sitten der Israeliten und ersten Christen, Natalis Alexander Graveson, Cabassutius, Berti Breviarium historiæ ecclesiast. ejusdemq. Dissertat. histor.

Ritualistæ. Gavantus, Meratus, Cavalieri, Rituale Romanum, & Labacense, Pontificale & Cæremoniale Romanum, Barruffaldus, Rituale Halletinum.

His alii libri spirituales, Ascetici & pro statu Ecclesiastico summopere utiles addi possunt, maxime vero pro illis, qui curam animarum exercent, & qui alios docere, ac erudire debent.

Opera Benedicti XIV, Thomassinus de Disciplina Ecclesiastica, opera S. Caroli Borromæi, & S. Francisci Salesii, Pastoralia S. Gregorii, ejusdemque Homiliæ, S. Chrysostomus de Sacerdotio, Merlohorstii Septem Tubæ, seu de Vita Clericorum, Opera Bossuet, & Duguet, Marchantii hortus

Pasto-

Paſtorum, Raſtignac Epiſcopi de Pœnitentia, & Juſtitia chriſtiana, id quod exſtat etiam germanice, Cardinalis Denhoffen de Sacramento pœnitentiæ, Pachard de Sacramentis, Chardon Hiſtoria de Sacramentis, Giunchi ſeu Pattuzi de Indulgentiis, Diſſertatio Patris Concina de Inſufficientia Attritionis, Franciſci a Puteo Diſſertatio de Studiis eccleſiaſticis, Breves Notitiæ ad bonam directionem animarum, ac ſalutarem inſtructionem ſtudioſorum diſciplinæ moralis, Muratori de Ingeniorum Moderatione, de Vera Devotione, de Charitate Proximi, ejuſdemque Lyturgiæ, le Brun Lyturgia, Opera ſelecta S. Auguſtini de Gratia, Thomas a Kempis juxta editionem Romanam Cardinalis Henriquez 1754. Cardinalis Bona Manuductio ad cœlum, Fourneux vita Chriſtiana, ejuſdemque chriſtliches Jahr, Goll Weltprieſters deutſch überſetzter Römiſcher Catechiſmus ſamt dem Auszug, ejuſdem Leben Jeſu Chriſti, der heiligen Jungfrau Maria, und der heiligen Apoſteln. Item Auszug des Auszugs des alten Teſtaments, Wittola Pfarrers geiſtlicher Gewiſſensrath, ejuſdemque Auszug des alten Teſtaments. Poſſent & addi quam plurimi alii, ſed hi enumerati abunde ſufficientes erunt, neque imponimus, ut omnis de his omnibus ſibi provideat.

C. E. L.

INDEX ARGUMENTORUM PRINCIPALIUM.

Procœmium generale..... Pag. 1

DE SYMBOLO APOSTOLORUM.

Symbolum in communi..... 13
Articulus primus..... 16
Articulus secundus..... 35
Articulus tertius..... 47
Articulus quartus..... 57
Articulus quintus..... 71
Articulus sextus..... 84
Articulus septimus..... 92
Articulus octavus..... 101
Articulus nonus..... 110
Articulus decimus..... 131
Articulus decimus primus..... 139
Articulus decimus secundus..... 152

DE SACRAMENTIS.

Sacramenta in genere..... 163
Baptismus..... 188
Confirmatio..... 234
Eucharistia..... 250
Pœnitentia..... 306
Extrema Unctio..... 363
Sacra Ordinatio..... 375
Matrimonium..... 400

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

Præcepta in communi.....Pag. 422
Præceptum primum.....433
Præceptum ſecundum.....452
Præceptum tertium.....469
Præceptum quartum.....484
Præceptum quintum.....500
Præceptum ſextum.....514
Præceptum ſeptimum.....524
Præceptum octavum.....541
Præceptum nonum.....556
Præceptum decimum.....ibid.

DE ORATIONE DOMINICA.

Oratio in communi.....570
Neceſſitas orationis.....571
Utilitas orationis.....572
Partes, & gradus orationis.....577
Petenda in oratione.....582
Pro quibus orandum.....584
Quis orandus.....588
Præparatio in oratione.....589
Modus, & ordo orandi.....594
Proœmium orationis.....599
Petitio prima.....614
Petitio ſecunda.....620
Petitio tertia.....632
Petitia quarta.....646
Petitio quinta.....660
Petitio ſexta.....676
Petitio ſeptima.....690

INDEX CAPITUM, ET SECTIONUM TOTIUS OPERIS.

PARS PRIMA.

Præfatio agens de Pastorum in Ecclesia necessitate, auctoritate, officio, & præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, divisa in sectiones xiii. pag. 1. & sequentibus.

CAP. I. *De Fide, & Symbolo fidei, divisum in sectiones iv. pag. 13. & seq.*

CAP. II. *De primo Symboli Articulo.* Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ, *divisum in sectiones xxiii. pag. 16.*

CAP. III. *De secundo Symboli Articulo.* Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, *divisum in sectiones xii. pag. 35.*

CAP. IV. *De tertio Symboli Articulo.* Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, *divisum in sectiones xi. pag. 47. & sequentibus.*

CAP. V. *De quarto Symboli Articulo.* Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, *divisum in sectiones xvi. pag. 57. & sequentibus.*

CAP. VI. *De quinto Symboli Articulo.* Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, *divisum in sectiones xv. pag. 71. & sequentibus.*

CAP. VII. *De sexto Symboli Articulo.* Ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, *divisum in sectiones ix. pag. 84. & seq.*

CAP. VIII. *De septimo Symboli Articulo.* Inde venturus est judicare vivos, & mortuos, *divisum in sectiones xi. pag. 92.*

CAP. IX. *De octavo Symboli Articulo.* Credo in Spiritum Sanctum, *divisum in sectiones vii. pag. 101.*

CAP. X. *De nono Symboli Articulo*, Sanctam Ecclesiam &c. *divisum in sectiones xxvii. pag.* 110.

CAP. XI. *De decimo Symboli Articulo*, Remissionem peccatorum, *divisum in sectiones xii. pag.* 131. *& seq.*

CAP. XII. *De undecimo Symboli Articulo*, Carnis resurrectionem, *divisum in sectiones xiv. pag.* 139.

CAP. XIII. *De duodecimo Symboli Articulo*, Vitam æternam, *divisum in sectiones xiii. pag.* 152. *& seq.*

PARS SECUNDA.

CAP. I. *De Sacramentis in genere, divisum in sectiones xxxii. pag.* 163.

CAP. II. *De Sacramento Baptismi, divisum in sectiones lxxvi. pag.* 188. *& seq.*

CAP. III. *De Sacramento Confirmationis, divisum in sectiones xxvi. pag.* 234. *& seq.*

CAP. IV. *De Sacramento Eucharistiæ, Missæ Sacrificio, & Communione, divisum in sectiones lxxxi. pag.* 250. *& seq.*

CAP. V. *De Pœnitentiæ Sacramento, & ejus partibus, Contritione, Confessione, & Satisfactione, divisum in sectiones lxxix. pag.* 306. *& seq.*

CAP. VI. *De Sacramento Extremæ Unctionis, divisum in sectiones xvi. pag.* 363. *& seq.*

CAP. VII. *De Sacramento Ordinis, divisum in sectiones xxxiv. pag.* 375. *& seq.*

CAP. VIII. *De Sacramento Matrimonii, divisum in sectiones xxxiv. pag.* 400. *& seq.*

PARS TERTIA.

CAP. I. *De Decalogo, divinisque legibus observandis, divisum in sect. xiv. pag.* 422. *& seq.*

CAP. II. *De primo legis præcepto*, Ego sum Dominus &c. *divisum in sectiones xxxiv. pag.* 433. *& seq.*

CAP.

CAP. III. *De secundo legis præcepto.* Non assumes Nomen Domini &c. *divisum in sectiones xxx. pag.* 452.

CAP. IV. *De tertio legis præcepto.* Memento, &c. *divisum in sectiones xxviii. pag.* 469.

CAP. V. *De quarto legis præcepto.* Honora patrem tuum, &c. *divisum in sectiones xxii. pag.* 484.

CAP. VI. *De quinto legis præcepto.* Non occides, *divisum in sect. xxv. pag.* 503.

CAP. VII. *De sexto legis præcepto.* Non mœchaberis, *divisum in sectiones xiii. pag.* 514.

CAP. VIII. *De septimo legis præcepto.* Non furtum facies, *divisum in sectiones xxiv. pag.* 524.

CAP. IX. *De octavo legis præcepto.* Non loqueris, &c. *divisum in sectiones xxiii. pag.* 541.

CAP. X. *De nono, & decimo legis præcepto.* Non concupisces domum proximi tui, &c. *divisum in sectiones xxiii. pag.* 556.

PARS QUARTA.

CAP. I. *De Oratione, eiusque necessitate, divisum in sectiones iv. pag.* 570.

CAP. II. *De Orationis utilitate, divisum in sectiones xi. pag.* 572.

CAP. III. *De partibus, & gradibus orationis, divisum in sectiones vii. pag.* 577.

CAP. IV. *De his, quæ petenda sunt, divisum in sectiones v. pag.* 582.

CAP. V. *Pro quibus orandum sit, divisum in sectiones viii. pag.* 584.

CAP. VI. *Quis orandus sit, divisum in sectiones iv. pag.* 588.

CAP. VII. *De præparatione adhibenda ad orationem, divisum in sectiones vi. pag.* 589.

CAP. VIII. *Qua ratio in orando requiratur, divisum in sectiones ix. pag.* 594.

CAP. IX. *De proœmio Orationis Dominicæ.* Pater noster, qui es in cœlis, *divisum in sectiones xx. pag.* 599.

CAP. X. *De prima petitione Orationis Dominicæ.* Sanctificetur Nomen tuum, *divisum in sectiones ix. pag.* 614.

CAP. XI. *De secunda petitione Orationis Dominicæ*. Adveniat regnum tuum, *divisum in sectiones xix. pag.* 620.

CAP. XII. *De tertia petitione Orationis Dominicæ*. Fiat voluntas tua, *divisum in sectiones xxiv. pag.* 632.

CAP. XIII. *De quarta petitione Orationis Dominicæ*. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *divisum in sectiones xxiii. pag.* 646.

CAP. XIV. *De quinta petitione Orationis Dominicæ*. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, *divisum in sectiones xxiii. pag.* 660.

CAP. XV. *De sexta petitione Orationis Dominicæ*. Et ne nos inducas in tentationem, *divisum in sectiones xx. pag.* 676.

CAP. XVI. *De septima petitione Orationis Dominicæ*. Sed libera nos a malo, *divisum in sectiones xii. pag.* 690.

CAP. XVII. *De extrema Orationis Dominicæ particula, quæ est*. Amen, *divisum in sectiones vi. pag.* 699.

Addidimus in fine Bullam PII IV. quæ Fidei professionis formulam continet, pag. 705.

IN-

INDEX EVANGELIORUM DOMINICALIUM.

In gratiam piorum Divini Verbi Declamatorum facili ordine digestus, quo demonstratur, quodnam hujus Catechismi argumentum; ad quam partem cujuslibet Evangelii referri, & accommodari possit: ex quo conciones ornare, & amplificare valebunt non solum illi, verum omnes, quibus ad sedandos hominum affectus, componendam vitam, animasque Christo venandas, plebem hortari, & pascere famelicas oves datum est: quales sunt Parochi, quique animarum curam ex professo adepti sunt. Porro nullum fere erit Evangelium alicujus solemnitatis, cui uberrimam dicendi copiam non suppeditet, vel more oratorio fuse, & copiose, vel Scholastico breviter, profunde, & acute, ita ut sufficienter unicuique animum explere liceat.

Dominica prima Adventus.

Erunt signa in Sole, & Luna, &c. Luc. 21. Hoc Evangelium ad argumentum de judicio generali traducendum est. Quare hic recurrat Parochus ad articulum Symboli, *Inde venturus est judicare vivos, & mortuos.* pag. 92. & seq. prout faciendum præcipitur p. 11. vel secundum aliarum Ecclesiarum ritum.

Ecce rex tuus venit tibi, &c. Matth. 21. Hic opportune tractabit Parochus ea, quæ de Incarnatione, & causis Adventus Christi Domini nostri habentur art. 2. & 3. Symboli Apostolici, pag. 35. & 47. & seq.

Invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, solvite, &c. D. Athanasius in sermone de verbis hujus Evangelii ostendit, ex hoc loco Apostolis, & eorum successoribus factam esse potestatem solvendi eos, qui instar asinorum, peccatorum pondere pressi, ad eos con-

fugerent. Quare hic populo exponet Parochus, quæ habentur de confessione pag. 333. & seq. & absolutione, pag. 344. & de potestate remittendi peccata in Ecclesia, pag. 131. & seq.

Dominica secunda Adventus.

Cum audiisset Joannes in vinculis, &c. Tu es, qui venturus es, &c. Matth. 11. Ista Joannis interrogatio tam sedula ostendit, quantô cum studio curare debeamus, ut de rebus fidei & nos, & ii, qui nobis subsunt, rite, & a Catholicis Doctoribus instruamur. Vide, quæ huic argumento inserviunt, initio Catechismi usque ad primum Symboli articulum, pag. 2. & seq.

In vinculis. Fides usque ad vincula, imo ad necem usque cum opus est, & a judice urgemur, profitenda est; nec est satis eam pectore inclusam habere, quantumvis rectam, & sinceram, ut ostenditur pag. 17. 18. vel, *Erunt signa, in Sole, & Luna, &c.* ut Dominica præced.

Dominica tertia Adventus.

Confessus est, & non negavit. Joan. 1. Ex hoc loco simpliciter verum fateri docemur, nec intermiscere jusjurandum, ut nobis fides adhibeatur. Vide, quando, & sub quibus pœnis jurare prohibitum, pag. 464. & seq.

Quid ergo baptizas, si non es Christus? &c. Agendum hic de ministris baptismi, de quo pag. 201. 202. Et quomodo se habeant in dispensatione Sacramentorum Christus Dominus, & minister, quantum ad effectum Sacramenti, pag. 179. & seq.

Cujus ego non sum dignus, &c. Hic monere Parochus populum sibi creditum debet, ut se pro festis natalitiis ad sacram Synaxim præparet, & agere de condigna tanti hospitis (cujus corrigiam calceamenti solvere indignum se Joannes Baptista censet) susceptione. Vide de præparatione ad Eucharistiam, pag. 289. & seq. vel, *Cum audisset Joannes in vinculis*, ut in Dominica præced.

Dominica quarta Adventus.

Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris, &c. Luc. 3. Cum hic de principibus mundi fiat mentio, eadem ratio afferri potest, quæ assertur pag. 58. de eodem Pontio Pilato.

Factum est verbum Domini super Joannem, &c. Quoniam Joannes non nisi a Deo legitime vocatus officium verbi Dei prædicandi exercuit, ideo hic de legitima vocatione ministrorum Ecclesiæ Parochus differet, ex pag. 376. 377. 388. & seq. legitimosque eos ministros non esse dicet, qui missi non sunt, ut traditur pag. 3. 4.

In deserto. Hic de probitate, & morum integritate ministrorum verbi (qui sunt sacerdotes) agatur, ex pag. 397. & seq. & de castitate, quæ ex eis, quando fiunt Subdiaconi, indicitur, ut habetur pag. 387.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Quomodo adulti, qui baptismum suscipere debent, affecti esse debeant, & præteritæ eos vitæ pœnitere, traditur pag. 212. quomodo hic baptismus Joannis repeti debuit, pag. 181.

Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hic de præparatione ad Eucharistiam, de qua in superiori Dominica, & de necessaria mandatorum Dei observantia, de qua pag. 427. & seq. vel, *Et confessus est, & non negavit*, ut Domin. præced.

In die Nativitatis Domini.

Peperit primogenitum filium suum, &c. Luc. 2. Explicetur articulus Symboli, *Natus ex Maria Virgine*, qui est hujus loci maxime proprius, pag. 47.

Eadem die ad Missam majorem.

In principio erat Verbum, & Verbum erat, &c. Joan. 1. Quoniam hic locus, dum agitur de æterna Christi Domini generatione, adducitur; hinc Parochus petet hujus loci expositionem a pag. 35.

Et verbum caro factum est. Hic exponatur mysterium Incarnationis, prout habetur pag. 47. & seq.

Gloriam quasi unigeniti a Patre. Quomodo hic unigenitus sit etiam frater noster, vide pag. 608.

Dominica infra Octavam Nativitatis.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius, &c. Luc. 2. Ex hac Simeonis prædictione ansam sumere poterit Parochus explicandi, cur Deus fideles jam baptizatos, quos filios habet charissimos, non eximat ab incommodis vitæ hujus; qua de re agitur pag. 218. & seq. Et quo confugiendum tunc sit, de quo pag. 580.

Non

Non recedebat a templo, Jeiuniis, & Orationibus, &c. De privata, & publica oratione habes pag. 595. Quomodo ad orationem jejunium, & eleemosyna jungenda sint, pag. 598. Et quomodo ista tria conducant ad satisfactionem peccatorum, pag. 359. & seq.

In Circumcisione Domini.

Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, &c. Luc. 2. Quoniam circumcisioni successit baptismus, hic in genere dici poterit de vi, & efficientia Sacramentorum novæ legis supra antiquæ legis sacramenta, ut habetur pag. 184. & 315. & seq.

Vocatum est nomen eius Jesus, &c. Quam convenienter hoc nomen inditum fuerit Christo Domino, & quare, vide pag. 38.

Observandum hic etiam est, pueris nunc in baptismo, ut olim in circumcisione, nomen esse imponendum, cujus rei quænam sit ratio, & quale nomen puero imponi debeat, habes pag. 231. & seq. Denique cum impositio nominis sit una ex cæremoniis in baptismo usitatis, hic de Baptismi cæremoniis, & ritibus apta Concio haberi poterit, ex pag. 226. & seq.

In die Epiphaniæ.

Vidimus stellam eius in Oriente: &c. Matth. 2. Quoniam non incepte per hanc stellam philosophica de Deo scientia potest intelligi, sicut per responsum sacerdotum fidei lumen; non male hic adaptari poterunt, quæ de differentia sapientiæ Christianæ a philosophica notitia habentur, pag. 18. 19.

Et procidentes adoraverunt eum, &c. Matth. 2. Hic de adoratione Dei, quæ *Latria* dicitur, & simul de veneratione Sanctorum, quæ *Dulia* nominatur. Vide in expositione Decalogi, pag. 435. 436. & seq. usque ad secundum præceptum. Hic agi etiam potest de Eucharistiæ veneratione, & adoratione. Nam si eundem Christum, quem Magi adoraverunt, præsentem in Eucharistia agnoscimus, & confitemur, ut disertis verbis probatur pag. 269. si pii esse volumus, cur non æque ac Magi eum adorabimus. Vide pag. 251. & seq.

Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

Secundum consuetudinem diei festi, &c. Luc. 2. De observatione dierum festorum lege pag. 474. 475. & seq.

Et erat subditus illis, &c. De officio liberorum erga parentes, vide pag. 490. & seq.

Dominica secunda post Epiphaniam.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, &c. Joan. 2. De sacramento matrimonii vide pag. 400. & seq.

Hoc fecit Jesus initium signorum suorum. Hæc conversio aquæ in vinum valet plurimum ad confirmandos rudiores in fide transubstantiationis, quæ fit in augustissimo altaris Sacramento: de qua vide pag. 277. & seq.

Dominica tertia post Epiphaniam.

Ecce leprosus veniens adorabat eum. Matth. 8. Per lepram hæresim significari, docent Patres. Qui vero sint censendi hæretici, & qui a castris Ecclesiæ, ut olim leprosi, ejiciendi, habetur pag. 115. 116.

Vade, ostende te Sacerdoti. De honore sacerdotibus Domini, & Ecclesiæ præfectis exhibendo vide pag. 492. & seq.

Vade, ostende te Sacerdoti, &c. Longe excellentiorem virtutem nostris Sacerdotibus tributam docet Chrysostomus *lib. 3. de Sacerd.* quam Mosaicis; quod illi oblatos sibi leprosos non mundarent, sed mundatos tantum esse declararent: nostri vero hominem peccati lepra maculatum, dum absolutionis beneficium rite ei præparato impendunt, vere emundant, & perfectæ sanitati restituunt. Hic de potestate clavium Sacerdotibus concessa, ut habetur pag. 316.

Dominica quarta post Epiphaniam.

Ascendente Jesu in naviculam. Matth. 8. Inter multa, quæ Ecclesiam repræsentant, est navicula illa, seu arca Noe, de qua pag. 123. Hic ergo Ecclesia Catholica, & notis, quibus internoscitur, Parochus agere poterit, prout habetur pag. 124.

Domine salva nos, perimus. Quoniam nullum est tempus, in quo ita hominum vita, quam in propinquo animæ exitu, periclitetur; ideo Parochus ex hoc loco hortari poterit suos subditos, ut, cum mortis dies instabit, ad Deum maxime recurrant, & extremæ unctionis Sacramentum accipiant, de quo pag. 363. & seq.

Qua-

Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei? Quomodo creaturæ omnes eum, quem a Deo ab initio acceperunt, curſum teneant, homine dempto, vide pag. 623.

Dominica quinta poſt Epiphaniam.

Inimicus homo ſuperſeminavit zizania. Matth. 13. In Eccleſia duo ſunt hominum genera; bonorum, qui tritici nomine deſignantur; improborum, qui homine zizaniorum, vide pag. 114. Vel per zizania intelliguntur odia, atque rixæ, quas Pater diſſenſionis Diabolus ſeminare conatur in agro filiorum pacis, cujus morbi remedium habes pag. 512.

Inimicus, homo hoc fecit. De odio dæmonis in nos, & ad tentandum audacia, & perverſitate, vide pag. 688. & ut omnis mali culpæ auctor, mali vero pœnæ ſit exactor, vide pag. 697. & ſeq.

Dominica ſexta poſt Epiphaniam.

Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis. Matth. 13. Quoniam juxta Doctores per granum ſinapis fides intelligitur; hic tractanda ſunt, quæ de ejus neceſſitate habentur, pag. 13. 14. & quomodo ſcrutanda non ſint ea, quæ fide credenda proponuntur, pag. 17. & ejus excellentia, & quantum differat Chriſtiana de Deo ſapientia a philoſophica divinarum rerum notitia, pag. 17. & 18.

Cum autem creverit. Fidem augeri poſſe, traditur pag. 593.

Iterum ſimile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier. Hanc mulierem Eccleſiam interpretantur, quam in doctrina fidei, aut morum (per fermentum deſignata) errare non poſſe traditur pag. 124.

Donec fermentatum eſt totum. Hic de communione Sanctorum, & meritorum participatione explicari poſſunt, quæ ſunt pag. 126.

Dominica in Septuageſima.

Simile eſt regnum cœlorum homini Patrifamilias. Matth. 20. Hic paterfamilias eſt qui Deus, cur Pater dicatur, habes pag. 600. & ſeq.

Receperunt ipſi ſingulos denarios. Denarii nomine cœleſtis beatitudo deſignatur, quam hic Paterfamilias alacriter, & ſincere in vinea ſua, id eſt in cultura mandatorum divinorum laborantibus præſtat. De hoc vitæ æternæ denario lege, quæ diffuſæ traduntur pag. 152. & 428. Hujus vero beatitudinis conſequendæ cer-

certam viam, aç rationem habes pag. 629. & seq. *Item* exhortatio ad colendam hanc vineam mandatorum illustris habetur pag. 428.

Singulos denarios, &c. In cœlo tamen varietas est mercedis, & gloriæ pro ratione laboris, & affectus, quo quis operatur, pag. 161.

Dominica in Sexagesima.

Exiit, qui seminat, seminare semen suum, &c. Luc. 8. Semen hoc in terram sparsum est verbum Dei, exponente Domino, de quo vide pag. 657. & quomodo sit audiendum pag. 2.

Venit Diabolus, &c. De Dæmonis conatu, & impugnatione habes, pag. 678. & seq.

Et a solicitudinibus, & divitiis, &c. Quantum divitiæ, & effrenes rerum temporalium cupiditates impediant hujus divini seminis fructum, habes pag. 568. ubi hæc ipsa verba habentur.

Dominica in Quinquagesima.

Tradetur enim gentibus, & illudetur, &c. Luc. 18. Ut Christi milites ejus crucem, tanquam vexillum sui ducis, contuentes ad arma pœnitentiæ sumenda extimulentur: ideo hoc Evangelium innuente Quadragesima legitur, quod Passionis Dominicæ summam complectitur: quo loco non importune Parochus exponet, quæ de Passione Domini fuse traduntur, pag. 57. & seq. Vel si in aliud tempus commodius differre malit hoc argumentum, hodie alteram Evangelii partem pertractabit, ut sequitur.

Cæcus quidam sedebat secus viam. Hic cæcus genus humanum denotat, de cujus post peccatum statu misero vide pag. 632. & seq.

Jesu fili David miserere mei. Hic quomodo Deum aliter oremus, ac Sanctos, ex hac formula demonstrabis, ut habes pag. 588. Porro si angustiis, aut tribulationibus premimur, aut re aliqua indigemus, ad Dominum cum hoc cæco nobis recurrendum est, precibusque solicitandus Deus, ut nobis adsit. Vide de necessitate, & utilitate orationis pag. 571. 572.

Quid tibi vis faciam! Hic causas, ob quas clementissimus Deus vult a nobis rogari, etiam si sciat quibus rebus indigeamus, ex pag. 575. proferes.

Feria

Feria quarta Cinerum.

Cum Jejunatis, &c. Matth. 6. Cum quadrageſimæ Jejunium eo nomine ſit inſtitutum, ut totius anni peccata hac quaſi ſolemni mulcta redimeremus, hodie Parochus excitare fidelem populum debebit ad pœnitentiam amplectendam; de cujus neceſſitate ſcribitur pag. 338. & docere, quibus gradibus ad pœnitentiam liceat aſcendere, pag. 311. & quibus operum generibus pro peccatis ſatisfacere poſſimus, pag. 358. 359. & ſeq.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Vide adverſus eos, qui opes congerere undequaque ſtudent, pag. 568.

Theſaurizate vobis theſauros in cœlo. Quoniam Parochi frequenter fidelem populum ad eleemoſynas pauperibus erogandas excitare debent: hic hoc ſtudioſe præſtabunt ex his, quæ habentur pag. 534. & ſeq.

Dominica prima Quadrageſimæ.

Ut tentaremur a Diabolo, &c. Matth. 4. Cum ſit tentatio vita hominis ſuper terram, ut dicit Job. 7. c. hic de tentatione agendum, de generibus tentationum, ad quid permittantur homines tentari, quibus armis tentationibus reſiſtendum, & cætera hujuſmodi, quæ habentur pag. 676. & ſeq.

Non in ſolo pane vivit homo. De pane ſpirituali, de quo hic agit Chriſtus Dominus, vide pag. 656.

Angelis ſuis Deus mandavit, &c. De Angelorum cuſtodia erga homines, pag. 600.

Dominum Deum tuum adorabis. De adoratione Dei, quæ fide, & ſpe, & charitate perficitur, vide pag. 435. 436. & ſeq.

Dominica ſecunda Quadrageſimæ.

Aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem, & duxit eos, &c. Matth. 17. Hic afferri poſſunt ea, quæ de loco, & tempore, quo homines ad divina contemplanda aptiores ſunt, habentur pag. 431.

Bonum eſt, nos hic eſſe. Hic tractari poſſunt ea, quæ de ſumma eorum dignitate, qui Deo obediunt, habentur pag. 638. Vel de intimis hominum ſanctorum gaudiis, pag. 638. Poterunt etiam Parochi de duodecimo articulo hic habere ſermonem, de quo pag. 152.

Hic Filius meus dilectus, &c. Hic de æterna filii generatione latissimus sese offert dicendi campus, de qua pag. 35. Vel secundum aliarum Ecclesiarum ritum.

Miserere mei, fili David. Matth. 15. Hic typum habes perfectæ orationis, quantum spectat ad duas conditiones, quæ in oratione maxime desiderantur, fidem videlicet, & perseverantiam, de quibus pag. 591. & seq.

Filia mea male torquetur a Dæmonio, &c. Hujus mulieris exemplo parentes monentur diligentem liberorum curam gerere: de qua pag. 497. & 498.

Dimitte eam, quia clamat post nos, &c. Si Apostoli in hac vita degentes adhuc pro se solliciti pro Chananæa interpellant, & exaudiuntur, in cœlo mutire num audebunt? inquit D. Hieronym. contra Vigilantium. Hic de intercessione Sanctorum, prout habetur pag. 437. & 438.

Dominica tertia Quadragesimæ.

Erat Jesus ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum, &c. Luc. 11. Dæmonis proprium est, eum, quem possidet, reddere mutum, id est, a confessione peccati revocare. Sed tamen non est alia ratio ejiciendi Dæmonis, quam ut linguam solvas ad detegendum coram Sacerdote peccatum. Vide, quæ de confessione habentur pag. 332. & seq.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur. Ecclesia est Christi regnum, ut habetur pag. 626. Id autem, ut in seipsum non sit divisum, unum esse necesse est: unde hic de unitate Ecclesiæ agendum est ex pag. 117. & seq.

Revertar in domum meam. De relabentium in peccata gravitate, pag. 65. Et quid post confessionem agendum, pag. 362.

Tunc assumit alios septem spiritus nequiores se. Hic locus pag. 680. inducitur ad probandum, non unum tantum dæmonem, sed plures etiam interdum hominem tentare: patet autem ex hoc loco, Dæmonem acrius eos tentare, qui ab eo defecerunt, ut est pag. 676.

Beatus venter, qui te portavit. Glorificatione B. Mariæ Virginis hoc Evangelium concluditur, de qua habes pag. 49.

Dominica quarta Quadragesimæ.

Unde ememus panes, ut manducent hi, &c. Joan. 6. Hic aperte explicari poterit illa petitio Dominicæ Orationis: *Panem nostrum quotidianum da nobis*, pag. 646.

Notandum præterea, quod panis iſte etiam vim habebat ſedandi ſitim, ut tenent Doctores. Ita & panis Euchariſtiæ laicis pro calice eſt. Lege de communione ſub una ſpecie pag. 297.

Hoc autem dicebat tentans eum. Quomodo Deus hominem tentet, vide pag. 683. & ſeq.

Diſtribuit diſcumbentibus. Chriſtus non diſtribuit, ſed dedit Apoſtolis, & illi diſtribuerunt turbæ, *Matth.* 14. 19. ſic a mundi initio per Patriarchas, & Prophetas, & poſtea per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores Deus Verbum Dei, & ſacramenta ſubminiſtrat, ut habetur pag. 179. 180. Chriſtus tamen eſt, qui hæc omnia præcipue efficit, pag. 179. & 180.

Hic eſt vere Propheta. De gratiarum actione pag. 586.

Dominica Paſſionis.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8. Innocentia Chriſti in hodierno Evangelio convenienter profertur in medium, ut in promptu ſit nobis cauſa Dominicæ Paſſionis, quam hodie repræſentare incipit Eccleſia, nimirum non propter illius delicta, ſed noſtra. De cauſis Paſſionis Chriſti habes pag. 65.

Si veritatem dico vobis. Hic a mendacio cavere docemur, de quo multa, pag. 544. & ſeq.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, &c. De Verbo Dei audiendo pag. 657.

Nonne bene diximus nos, quia Samaritanus, &c. Ex hoc loco Parochus anſam poterit arripere ad excitandos ſuos Fideles ad injurias condonandas, qua de re multa habentur pag. 508. & ſeq.

Sed honorifico Patrem, & vos inhonoraſtis me. Chriſtus ſæpe, & a multis graviter inhonoratur: ſed ab iis maxime, qui ejus verbum vel male interpretando, vel ad vana convertendo polluunt, de quo pag. 466.

Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. Ex hoc loco perſpici poteſt, & tempus, & genus mortis a Chriſto delectum fuiſſe, qua de re pag. 58.

Dominica in Ramis Palmarum.

Evangelium, ut in prima Dominica Adventus, de quo ibid. Cæterum, quoniam ad Euchariſtiam percipiendam ex præcepto Eccleſiæ eo tempore omnes diſcretione præditi obligantur; ideo ex his Evangelii verbis: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*, ad ejus ſum-

ſumptionem fideles hortari poterit Parochus ex his, quæ habentur pag. 250. & alibi paſſim. Et quoniam parentes, ut plurimum negligentiſſimi ſunt, ad liberos ſuos ad Euchariſtiæ perceptionem præſentandos; ideo eis maxime Parochus inculcabit, quæ de ætate, qua pueri ad eam percipiendam tenentur, habentur pag. 295.

In die ſancto Paraſceves.

Hoc die quoniam ſolemnis de myſterio Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti concio haberi ſolet; ideo præter ea, quæ in expoſitione art. 4. Symboli habentur pag. 57. & ſeq. hæc inſuper hoc die tractari poſſe videntur: De ſingulari amore, quo Deus genus humanum proſecutus eſt, cum illud morte unigeniti filii ſui redimere voluerit, de quo pag. 605. De primi parentis lapſu, & miſeriis, quæ illum conſecutæ ſunt, de quibus pag. 35. & 632. & ſeq. Quomodo ex Paſſione Chriſti omnis remiſſio peccatorum emanarit, de quo pag. 660. & 135. & proinde omnia ſacramenta ex hac Chriſti Paſſione virtutem acceperint, ut eſt pag. 135. De ſacrificio Chriſti tam cruento, quam incruento, ex pag. 303. De ſatisfactione in merito Chriſti, de quo pag. 304. Denique quomodo nulli unquam patuit, ſed nec patere quidem poteſt aditus ad regnum cœlorum ſine hac de redemptionis humanæ per Chriſtum fide, ut eſt pag. 36. idque eſſe ſummam, & cardinem totius Chriſtianæ religionis, ſcire Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum, ut habes pag. 7.

Dominica Paſchæ.

Surrexit, non eſt hic, &c. Marc. ultimo. De reſurrectione Domini exponetur art. Symboli Apoſtolici: *Tertia die reſurrexit a mortuis*, pag. 71. & ſeq.

Feria ſecunda poſt Paſcha.

Duo ex diſcipulis Jeſu ibant ipſa die in caſtellum, &c. Luc. 24. Quoniam fieri vix potuit, ut Parochus omnia, quæ ad reſurrectionem Chriſti pertinent, pridie explicuerit; ideo hoc die poterit ea, quæ prætermiſit, ex eo loco repetere.

Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Hic locus eſt proprius cauſas exponendi, ob quas neceſſe fuit Chriſtum reſurgere, quæ habentur pag. 80. & exemplo Chriſti fideles hortandi, ut omni

ſtudio incumbant, ut cœleſti regno potiantur, quod habetur pag. 630. & de commodis tribulationis, pag. 698.

Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem. Hic locus proprius eſt ad probandum utramque Euchariſtiæ ſpeciem laicis neceſſario non exhibendam, de quo multa pag. 296.

Feria tertia poſt Paſcha.

Stetit Jeſus in medio diſcipulorum ſuorum. Luc. 24. Hic de quatuor dotibus corporis glorioſi agi poteſt; ut habetur pag. 148. & ſeq.

Pax vobis. Quoniam regnum Dei, teſte Apoſtolo, pax eſt, & gaudium in Spiritu Sancto, hic, quale ſit regnum Chriſti in pios, tractari poteſt, ut habetur pag. 625.

Prædicare in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. Quomodo pœnitentiæ prædicatio a Chriſto Apoſtolis injuncta ſit, ex hoc ipſo loco probatur pag. 131. Unde potes tam ex expoſitione articuli de remiſſione peccatorum, quam ex his, quæ de Sacramento pœnitentiæ hic habentur, longiſſimam habere concionem.

Dominica prima poſt Paſcha.

Cum ſero eſſet die illa una Sabbatorum. Joan. 20. Chriſti reſurrectionis exemplar quam maxime ſtabilire neceſſe fuit, ut pariter noſtra ſtabiliretur: quibus autem tum ſcripturis, tum rationibus noſtra ſtabiliatur reſurrectio, vide pag. 140. & ſeq. Una ſabbatorum autem quid ſit, vide pag. 473.

Quorum remiſeritis peccata, &c. Joan. 20. De poteſtate clavium ſacerdotibus conceſſa pag. 137. & ſeq. & 335. & ſeq.

Mitte digitum tuum in loca clavorum, &c. Qualia futura ſunt corpora poſt reſurrectionem; & cur Chriſtus, & Martyres cicatrices retinebunt, habes pag. 147. & ſeq.

Dominica ſecunda poſt Paſcha.

Ego ſum Paſtor bonus, &c. Joan. 10. Paſtorum nomine comprehenduntur non tantum Epiſcopi, & animarum Rectores, ſed etiam Reges, Magiſtratus, parentes, & magiſtri. Quid vero Paſtores ejusmodi ovibus debeant, & quid viciſſim oves Paſtoribus, habes pag. 3. & ſeq.

Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor. Quis ſit iſte mercenarius, & non Paſtor, vide pag. 378.

Et fiet unum ovile, & unus Paſtor. Hic de unitate Eccleſiæ, de qua pag. 113. 114. 115. unoque univerſali Eccleſiæ Paſtore D. Petro, & D. Petri ſucceſſore Romano Pontifice, de quo pag. 117. 118. & 394.

Dominica tertia poſt Paſcha.

Modicum, & non videbitis me, &c. Joan. 16. Efficax conſolationis genus, dum temporarius mœror pro Chriſto ſuſceptus æternis gaudiis compenſatur. Vide, quæ de vita æterna habentur pag. 152. & ſeq.

Vos vero contriſtabimini, mundus autem gaudebit. Quare perverſi minus, pii vero acrius a dæmonibus infeſtentur; & proinde illi gaudeant; iſti vero triſtentur, vide pag. 680.

Triſtitia veſtra vertetur in gaudium, &c. Spe futurorum bonorum quomodo alacri & conſtanti animo adverſa omnia tolerare debeamus, vide pag. 153. & cur Deus ſinat affligi bonos, pag. 699.

Dominica quarta poſt Paſcha.

Si non abiero, Paraclitus non veniet, &c. Joan. 16. De Spiritu Sancto; deque admirandis ejus effectibus, & donis habes pag. 101. & ſeq.

Arguet mundum de peccato, &c. Spiritus Sancti proprium munus eſt, corda ad compunctionem movere, & peccantem intrinſecus arguere. Quæ autem contritio vera ſit, quaſque res ea habere debeat, pag. 321. Huc etiam referri poſſunt ea, quæ de peccatis, quæ remitti non poſſunt, habentur pag. 318.

Dominica quinta poſt Paſcha.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, &c. Joan. 16. De oratione, & ejus adjunctis hic proprius eſt dicendi locus, de qua pag. 570. & ſeq.

Uſque modo non petiiſtis quicquam, &c. Hic proprie de modo, quo Deum per Chriſtum orare debemus, de quo pag. 597. & ſeq. Hic etiam locus adducitur ad probandum, in nomine Chriſti orandum eſſe.

In festo Ascensionis Domini.

Assumptus est in cœlum, & sedet a dexteris Dei, &c. Marc. 16. Hoc in loco art. Symb. Apostolici, qui de Ascensione est, explicabitur, ut habetur pag. 84. & seq.

Dominica post Ascensionem.

Cum venerit Paraclitus, qui a Patre procedit. Joan. 15. Hic de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, ex pag. 107.

Ut omnis, qui vos interficit, &c. Joan. 15. Hic præceptum Decalogi, *Non occides*, exponi poterit, de quo pag. 500. & seq.

Arbitretur se obsequium, &c. De omnibus adversis, & calamitatibus hujus vitæ idem judicandum est, quod de his, quæ Christi causa patimur, nempe eas esse magnum Dei in nos benevolentiæ signum, ut habetur pag. 695.

In festo Pentecostes.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, &c. Joan. 14. Spiritus Sanctus ideo credentibus datur, ut sermonem Dei, qui Decalogo comprehenditur, servare possint, ad quam rem ut promptiores sint, afferat Parochus, quæ habentur initio explicationis Decalogi, pag. 433. & seq. Vel, quoniam hic locus adducitur ad probandum Dei mandata non esse impossibilia, ideo de hac re aget, ex pag. 126.

Vel hodie exponet, quæ traduntur de Confirmationis Sacramento pag. 234. & seq. Quandoquidem tali die Apostolos a Spiritu Sancto confirmatos fuisse docent Patres.

Feria secunda post Pentecosten.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan. 3. Hic locus proprius est ad ea populo exponenda, quæ de eximia charitate cœlestis Patris in genus humanum in creatione, & gubernatione demonstrata, sed multo magis in redemptione, habentur pag. 600. & seq.

Ut omnis, qui credit in eum, non pereat. Hic quomodo fides in Christum omnibus hominibus ab omni ævo necessaria fuerit, docendum est, ex pag. 35. & seq.

Qui credit in eum, non iudicatur. De verbo *credere* habes pag. 16. quæ hic accomodare poteris : ex qua etiam dicendi forma, Filium Dei vere Deum esse, demonstrabis, ex pag. 35.

Quia non credit in nomine unigeniti Filii. Quomodo Dei Filius sit unigenitus, poteris declarare ex his, quæ habentur pag. 24. & contra, qua ratione hic unigenitus fratres habeat, vide pag. 609.

Feria tertia post Pentecosten.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, &c. Joan. 10. Hic locus proprius est ad ea explicanda, quæ de legitima ordinatione ministrorum Ecclesiæ habentur pag. 377. & seq. & de legitimo ministro Sacramenti ordinis, pag. 395.

Et oves vocem eius audiunt. De obedientia, & honore, qui debetur Episcopis, & Sacerdotibus, agitur pag. 492.

Alienum autem non sequuntur. Hæreticorum ministros non esse sequendos. Vide pag. 3. & seq. qui autem eos sequuntur, non oves, sed hœdi sunt, pag. 682.

In festo sanctissimæ Trinitatis.

Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Matth. 28. Hic explicanda sunt, quæ de regno Christi in pios, & ratione, qua regnat in suis fidelibus, habentur pag. 625. & seq. de regno etiam gloriæ ejusdem, pag. 626. item de potestate ipsius in Sacramentis tam instituendis, quam conferendis, pag. 180. & de potestate item clavium, qua remittuntur peccata, pag. 135.

Baptizantes eos. Hic locus adducitur ad probandum, quo tempore baptismus obligare cœperit, pag. 200. & ideo de necessitate ejusdem, præsertim in infantibus, ea proferri possunt, quæ habentur pag. 208. & deinceps.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hic de materia, & forma, quæ sunt pag. 192. & seq. accurate agendum est. Hic etiam de Sanctissimæ, & glorioſissimæ Trinitatis mysterio poterunt agere Parochi, de quo pag. 24. docebunt autem præsertim vulgus imperitum, Sanctissimam Trinitatem pingi, & formari non posse; atque adeo, si quando pingatur, illam picturam proprietates quasdam illius exprimere, ut habetur pag. 442.

Docentes eos servare, quæcunque mandavi. Hic de necessitate, & possibilitate servandæ legis divinæ proferentur, quæ habentur p. 424.

In eadem Dominica.

Estote misericordes, sicut & Pater vester cœlestis, &c. Luc. 6. De hoc Evangelio in Dominica 4. juxta aliarum Ecclesiarum morem.

Date, & dabitur vobis. Hic de communicandis cum proximi hujus vitæ subsidiis dici possunt, quæ habentur pag. 583. vel de eleemosynis, 534.

Hypocrita, ejice primum trabem. De hypocritis, quorum orationes Dominus rejicit, habes pag. 596. Item secundum aliquos:

Nisi quis renatus fuerit, &c. Joan. 3. Hic de necessitate baptismi, qui in nomine Sanctissimæ Trinitatis confertur, de ejus effectibus, & in universum quicquid de eo habetur pag. 188. & seq. explicabit.

In festo Corporis Christi.

Caro mea vere est cibus, &c. Joan. 6. De Eucharistiæ Sacramento pag. 250. & seq.

Dominica secunda post Pentecosten, quæ est infra Oct. Corporis Christi.

Homo quidam fecit Cœnam magnam, &c. Luc. 14. Cœnæ nomine, quæ sub finem diei sumitur, cœlestis gloria nobis significatur, quam hic paterfamilias in ipsa vitæ clausula beatis donabit, in hoc argumento vide, quæ ponuntur pag. 152. & seq. Vel Cœnæ nomine cum Paulo 1. Cor. 11. intelligitur Sacrosanctum Christi Corpus in Sacramento Altaris: de quo vide, ut sup. pag. 250.

Et cœperunt omnes simul excusare. Quoniam omnes hæ excusationes ex mala concupiscentia proveniunt; ideo hic adversus concupiscentias pravas agendum erit, ex pag. 561. & seq. Simulque miseria nostra ob oculos ponenda, qui ea respuimus, quæ salutaria nobis sunt, rebus autem perniciosis nos addicimus, ut hi fecerunt. Vide pag. 632.

Villam emi. Vide superbos, & ambitiosos, qui per hunc designantur, quæ habentur pag. 609.

Juga boum emi quinque. Vide in avaros, pag. 563.

Uxorem duxi. Hic detestanda libido, & commendanda continentia, & castitas, quæ aditum nobis ad cœlorum regnum facilem præbet. Vide pag. 515. vel secundum alios.

Homo quidam erat dives, qui induebatur, &c. Luc. 16. De vanitate in vestibus fugienda. Vide quæ habentur pag. 521. Et quomodo neces-

neceſſariis tantum rebus ad veſtitum pertinentibus contenti eſſe debeamus, pag. 582.

Sepultus eſt in inferno. Ecce quam pœnam incurrant improbi, qui morte præoccupati, ſceleribus pleni decedunt, de qua vide pag. 98.

Ut portaretur ab Angelis. Inter Angelorum officia hoc non poſtremum eſt. Vide pag. 601.

In ſinum Abrahæ. De receptaculis animarum poſt mortem habes pag. 72. 73.

Dominica tertia poſt Pentecoſten.

Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, &c. Luc. 15. Inter cætera, quæ ad pœnitentiam agendam peccatorem exſtimulare debent, eſt iſta cœlitum lætitia, qua perfruuntur ob peccatoris converſionem. Plura habes in hanc ſententiam pag. 136. Vel

Homo quidam fecit. Ut Dominica præcedenti.

Dominica quarta poſt Pentecoſten.

Cum turbæ irruerent in Jeſum, ut audirent verbum, &c. Luc. 5. Vide Exhortationem ad audiendum diligenter verbum Dei, pag. 2. 3. & 4. Et quomodo pro captu cujuſque tradenda ſit doctrina Evangelii, pag. 6. Idque præſertim diebus feſtis audiendum, pag. 481.

Aſcendens in unam navem, quæ erat Simonis, &c. Petri navem, non alterius ex Apoſtolis ingreſſus eſt Chriſtus: ut hoc ſuo facto inſinuaret, Petrum cum ſucceſſoribus caput eſſe, & Principem Paſtorum Eccleſiæ: de hac re vide pag. 117. & ſeq.

Exi a me Domine. Qui ad ſacram Synaxim accedunt, hoc Petri exemplo, & Centurionis Matth. 8. agnoſcant eſſe ſe tanti hoſpitis præſentia indigniſſimos. Vide quæ præparatione Euchariſtiæ traduntur pag. 289. Vel ſecundum aliarum Eccleſiarum ritum; *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater, &c. Luc.* 6. Ut Chriſtus nobis condonet, prius condonare ipſi debemus iis, a quibus læſi fuerimus. Vide explicationem illius petitionis, *Dimitte nobis debita noſtra, &c.* pag. 662. & ſeq. Vide item de hoc Evang. in Concil. Trid.

Dominica quinta poſt Pentecoſten.

Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non occides, &c. Matth. 5. Hujus loci erit hoc Decalogi præceptum exponere, prout habetur p. 500.

Ego autem dico vobis, omnis, qui irascitur. Hæc verba exponuntur pag. 505.

Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis, &c. Hic similiter exponatur hoc præceptum, de quo habetur pag. 514. vel, *Cum turba irruerunt in Jesum*, ut sup.

Dominica sexta post Pentecosten.

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. Marc. 8. Præter ea, quæ notata sunt in Domin. 4. Quadragesimæ, poterit Parochus ea huc proferre, quæ de paterna Dei de hominibus cura habentur pag. 600. & seq.

Si dimisero eos Jejunos, deficient in via. Hic de imbecillitate hominum, qui nullum opus Deo gratum sine adjumento Dei possunt instituere, agendum est, ut habetur pag. 571. vel *Audistis, quia dictum est antiquis, Non occides*, ut sup.

Dominica septima post Pentecosten.

Attendite a falsis Prophetis, &c. Matth. 7. Hic cavendum præcipitur ab hæreticis. Quis vero consensus sit hæreticus, habes p. 110. Quomodo autem hi, cum in Ecclesia non sint, ab ea puniri possint, habes pag. 116. Quibus autem artibus hi falsi prophetæ utantur ad impia sua dogmata diffundenda, habes pag. 2. & 4.

In ignem mittetur, &c. De hoc igne infernali pag. 98.

Sed qui facit voluntatem Patris mei, &c. Hæc sententia est veluti methodus brevissima docens, qua ratione ad regnum cœlorum pervenire possimus. Quare quicunque cupimus illud adipisci, hanc sententiam præ oculis habere debemus, vide pag. 632. & seq. & deinceps, ubi hæc tertia petitio, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra*, explicatur. Vel: *Misereor super turbam*, ut in præcedenti Dominica.

Dominica octava post Pentecosten.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16. De ratione reddenda cum unusquisque migrat e vita, vide pag. 92. 93.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Ideo divites a Deo bonis cumulantur, ut pauperibus ea erogent, pag. 659. Hic ad eleemosynas suos poterit exhortari Parochus, prout est pag. 535. Hic etiam locus pro intercessione Sanctorum facit, de quo pag. 438. Vel:

Attendite a falsis prophetis, ut in præcedenti Dominica: sicque deinceps omnia Evangelia, quæ consequenter in reliquis Dominicis proponuntur, quibusdam Ecclesiis in præcedenti Dominica legi consueverunt, quod notare supersedebimus.

Dominica nona post Pentecosten.

Flevit super illam. Luc. 19. Flet Christus, ut nos flere doceat, quomodo vero in pœnitudine erratorum sint adhibendæ lacrymæ, & quam diligenter procurandæ, habes pag. 325. ubi de contritione agitur.

Quia si cognovisses & tu. Summa est status nostri miseria, nostram miseriam non agnoscere, vide pag. 633.

Quia venient dies in te, & circumdabunt te, &c. Hierusalem in exemplum ponitur ejus hominis, qui multis a Deo beneficiis ornatus, male eis in sui perniciem abutitur, vide pag. 684.

Dominica decima post Pentecosten.

Hac apud se orabat. Luc. 18. Quibus virtutibus oratio debeat esse comitata, ut Deo placeat, & ab eo exaudiatur. Vide pag. 589.

Deus propitius esto mihi peccatori. Hoc veri pœnitentis exemplum inter alia proponitur pag. 674. Quare cum istius, tum aliorum exemplo, qui habentur ibid. & 327. ad veram pœnitentiam Parochi fideles excitabunt. Est præterea exemplum eorum, qui cum peccatores sint, Deum orant, & exaudiuntur, pag. 580. Denique quanta humilitate ad Deum precaturi accedere debeamus, hic demonstratur, pag. 589. & 590.

Qui se exaltat, humiliabitur. Christi humilitatis exemplum maximum pondus habet ad nostram superbiam deprimendam, pag. 55.

Dominica undecima post Pentecosten.

Et deprecabantur eum, ut illi imponat manum. Marc. 7. Istorum exemplo, qui Christum pro mutuo, & surdo ad eum adducto, ut sanaretur, interpellant, monemur pro aliis orare. Quomodo vero id faciendum, & pro quibus orandum, habes pag. 584.

Misit digitos in auriculas eius. Christi exemplo pueris in baptismo aures, oculi, pectus, humeri signo crucis recte insigniuntur. Vide de his, & aliis Baptismi cæremoniis, & earum significatione p. 227. & seq.

Suspi-

Suſpiciens in cœlum ingemuit, &c. Cum Deus ſit ubique, cur potius in cœlum, quam alio oculos convertamus; & cur in cœlis eſſe dicatur pag. 612. Præterea, quoniam ſacræ literæ nos ſurdos, & cæcos, & omnibus membris captos ſæpe appellant, ut habetur pag. 664. hic de malis, quæ peccatum invehit, ut ibidem habetur, diſſerere Parochus commode poterit.

Dominica duodecima poſt Pentecoſten.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Luc. 10. In hanc ſententiam populo proponantur, quæ habentur initio explicationis Decalogi, pag. 433. uſque ad ſecundum præceptum: vel quia hoc Evangelium concurrit cum Dominica decima ſeptima, poſteriorem hujus Evangelii partem, priori prætermiſſa, exponet.

Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Jericho, &c. Hominis hujus ita miſerabiliter a latronibus vulnerati nomine Doctores intelligunt humanam naturam poſt Adæ lapſum; quæ quot, qualia, & quanta vulnera acceperit, habet pag. 623. & alibi frequenter.

Samaritanus autem infundens oleum, &c. Hic de Sacramentis agat Parochus, quæ a noſtro Samaritano, id eſt a Chriſto, inſtituta ſunt, tanquam remedia contra vulnera humanæ naturæ per Adæ lapſum inflicta, ut habetur pag. 173.

Curam illius habe. Nota, genus humanum, & Eccleſiam uni homini a Chriſto commiſſam, qua de re vide pag. 117. & ſeq.

Qui homo tibi videtur fuiſſe proximus! Ex hoc loco quis ſit proximus explicatur pag. 543.

Dominica decima tertia poſt Pentecoſten.

Jeſu præceptor, miſerere noſtri. Luc. 17. De Nomine Jeſu vide pag. 38.

Ite, oſtendite vos ſacerdotibus, &c. Vide, quæ in hanc ſententiam dicta ſunt Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, vide præterea p. 333. & ſeq. ubi nominatim hic locus adducitur. Quomodo item beneficio contritionis peccata remittantur, ex hoc loco probatur p. 329. Quæ tamen confeſſionem requirit, ut habetur p. 332.

Deci-

Dominica decima quarta poſt Pentecoſten.

Non ſoliciti ſitis anima veſtra, &c. Matth. 6. Quantum immoderata ſolicitudo congerendarum opum, ceteræque cupiditates animæ ſaluti obſint. Vide pag. 563. & ſeq. Et hujus morbi remedium habes pag. 567.

Scit Pater veſter, quod omnibus his indigetis, &c. Etiamſi Deus ſciat deſideria noſtra, & indigentiam, cur ei preces porrigamus, pag. 575.

Primum quærite regnum Dei, &c. De his, quæ petenda ſunt, & quo ordine, habetur pag. 582. & 614. Porro hic commode ſecunda petitio Dominicæ Orationis tota explicabitur, ut habetur pag. 620.

Et hæc omnia adjicientur vobis, &c. Quatenus temporalia petenda. pag. 646.

Dominica decima quinta poſt Pentecoſten.

Et reſedit, qui erat mortuus, Luc. 7. Si hic mortuus, & quidam alii ſint revocati ad vitam, quomodo intelligendum, quod Chriſtus primus omnium reſurrexerit, vide pag. 77. Hic tractari poterit art. Symboli Apoſtolici penult. de carnis reſurrectione, pag. 139. & ſeq.

Dominica decima ſexta poſt Pentecoſten.

Si licet Sabbato, curare, &c. Luc. 14. De ſanctificatione dierum feſtorum, & a quibus tunc abſtinendum, quidve agendum ſit, habes pag. 478. & ſeq.

Cum invitatus fueris ad nuptias, &c. Hic locus eſt cohortandi Chriſtianos omnes, ne alii aliis ſe præferant, ut eſt pag. 609. neve ambitioſi ſint, bonorumque cupidiores, ut eſt pag. 563.

Dominica decima ſeptima poſt Pentecoſten.

Diliges Dominum Deum tuum, &c. Matth. 22. Vide Evangelium Dominicæ 12. ut ſupra.

Quid vobis videtur de Chriſto? &c. Chriſtus quomodo ſit Davidis filius, vide pag. 52.

Quomodo item non ſit filius Davidis ratione divinitatis, habes pag. 42. & 43.

Dominica decima octava poſt Pentecoſten.

Videns autem Jeſus fidem eorum, &c. Matth. 9. Ecce quantum fide aliena moveatur Deus ad aliquod donum alteri non modo non petenti, ſed non cogitanti quidem impertiendum. Hinc fit, ut in baptiſmo infantes regenerationis fiant participes; non quia mentis ſuæ aſſenſione credant; ſed quia ſuſceptorum, vel parentum, ſi fideles fuerint, ſin minus, Eccleſiæ Catholicæ (ut ait Auguſtinus) fide muniantur, pag. 208. & de patrinis pag. 204.

Remittuntur tibi peccata tua, &c. Chriſtum, ut hominem primum omnium poteſtatem remittendorum peccatorum habuiſſe, ex hoc loco probatur, pag. 135. Porro dum ſacerdos juriſdictionem habens vel ordinariam vel delegatam, rite pœnitenti peccata remittit, non minus abſolvitur, quam hic paralyticus, quantum eſt ex parte Sacramenti. De forma abſolutionis habes pag. 315.

Hic blaſphemat, &c. De blaſphemia habetur pag. 466. Et juramento, pag. 458. & ſeq.

Dominica decima nona poſt Pentecoſten.

Qui nuptias fecit filio ſuo, Matth. 22. Quibus de cauſis vir, & mulier conjungi debeant, vide pag. 407. Et quæ ſponſæ magis ſint quærendæ, pag. 408. Et quod Deum orandi cauſa certis temporibus a matrimonii officio abſtinere debent, pag. 421. Item de tribus matrimonii bonis, pag. 414.

Contumeliis affectos occiderunt, &c. De contumelia, detractione, murmuratione, cæteriſque vitiis, quibus proximus læditur, vide pag. 545. & ſeq.

Non habens veſtem nuptialem. Veſtem hanc nuptialem veſtis candida, vel ſudariolum, quod baptizatis datur, deſignat, de quo pag. 231.

Mittite in tenebras exteriores, &c. De ſententia, & pœna damnatorum pag. 98. & ſeq.

Dominica vigeſima poſt Pentecoſten.

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur, Joan. 4. Unde tot miſeriæ, & adverſitates, & quæ, quotque illæ ſint, pag. 695. Quo in malis, & rebus adverſis confugiendum, pag. 692. & 686. Hic exponi poterit ultima petitio Dominicæ Orationis; *Sed libera nos a malo*, pag. 690. & ſeq.

Domi-

Dominica vigesima prima post Pentecosten.

Redde, quod debes, &c. Matth. 18. Restitutio pœnitenti est necessaria, antequam absolvatur, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, ut inquit Aug. Vide de restitutione pag. 361. Item de furto, rapina, usuris, & aliis illicitis rerum usurpationibus, pag. 677. & seq.

Si non dimiseritis; &c. Hic exponatur petitio illa Orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus. &c.* pag. 532. & seq.

Dominica vigesima secunda post Pentecosten.

Magister, scimus, quia verax es, &c. Matth. 22. Genus assentationis pessimum, quæ ad proximi calamitatem, & perniciem adhibetur. De adulatione habes pag. 547.

Quia verax es, &c. De mendacio vide pag. 551. & seq. ubi notatur hoc ipsum testimonium ex hoc Evangelio decerptum.

Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c. Vide, quæ debentur principibus, & superioribus in potestate constitutis, pag. 494.

Dominica vigesima tertia post Pentecosten.

Ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens, &c. Matth. 9. Hic de differentia, qua fideles, & Christiani a morbis liberari cupiunt, de qua pag. 693. & quomodo in morbis ad Deum; non ad præstigiatorum incantationes sit recurrendum, ibid.

Filia mea modo defuncta est. Hic de morte, & novissimis, de quibus sæpe ad populum agendum esse præcipitur, pag. 363.

Si tetigero tantum fimbriam vestimenti. Hic de reliquiis Sanctorum, & cultu, & veneratione earum aget Parochus, ex pag. 441.

Et cum venisset Jesus in domum principis, &c. Hic de ratione juvandi mortuos per Sacrificium Missæ, & Orationes de qua p. 304. & 586. Vel in quibusdam Ecclesiis legitur Evangelium Dominicæ IV. Quadragesimæ, de quo ibidem. Si plures sint Dominicæ inter Pentecosten, & Adventum, servetur, quod de his in Breviarii rubricis habetur.

Dominica vigesima quarta post Pentecosten.

Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, &c. Matth. 24. Hic de signis præcedentibus diem judicii agendum est, de quibus pag. 97.

Orate autem, ne fiat fuga vestra, &c. Hic locus ad probandum, temporalia a Deo peti posse, inducitur pag. 651. Unde de hoc argumento Parochi etiam agere poterunt: de quo tum ibid. tum pag. 582. & seq. agitur.

Sed propter Electos breviabuntur dies illi, &c. Hic de dæmonum potestate poterit agi, qui, quantum possunt, & quamdiu volunt, homines tentare non possunt, ut habetur pag. 681.

CATECHISMI ROMANI *PRÆFATIO,*

Agens de Paſtorum in Eccleſia Neceſſitate, Auctoritate, Officio, & præcipuis Doctrinæ Chriſtianæ Capitibus.

SECTIO PRIMA.

Homo non poteſt, ſuis relictus viribus, veram ſapientiam, & obtinendæ beatitudinis certas rationes conſequi.

Ea eſt humanæ mentis, & intelligentiæ ratio, ut, quum alia multa, quæ ad divinarum rerum cognitionem pertinent, ipſa per ſe, magno adhibito labore, & diligentia inveſtigaverit, ac cognoverit, maximam tamen illorum partem, quibus æterna ſalus comparatur, cujus rei in primis cauſa homo conditus, atque ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creatus eſt, naturæ lumine illuſtrata cognoſcere, aut cernere nunquam potuerit. (a) *Inviſibilia quidem Dei* (ut docet

Theologi n. I. ſent. diſt. 26. id oſtendunt. Conſulatur 6. Sectio prima art. ſymb. & 3 Ser. 12. cap. de Or. Dom. Pſ. 118. Lucerna pedibus meis &c. Baruc. 3. 31. Non eſt qui poſſit &c. 2. Tim. 3. 16. Omnis Scriptura.

a) *Rom. 1. 20 Dam. lib. 2. c. 30.*

Apostolus) *a creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* Verum (a) mysterium illud, quod absconditum est a sæculis, & generationibus, ita humanam intelligentiam superat, ut, nisi manifestatum fuisset Sanctis, quibus voluit Deus fidei munere notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, nullo studio homini ad eam sapientiam aspirare licuisset.

a) *Col. 1. 26. Dei gratia, fideique munere homo veram sapientiam consequitur S. Th. 2. 2. q. 174. art. 6. in corp.*

2. *Unde tam præclarum fidei munus concipiatur.*

Cum autem (b) fides ex auditu concipiatur, perspicuum est, quam necessaria semper fuerit ad æternam salutem consequendam doctoris legitimi fidelis opera, ac ministerium: siquidem dictum est: (c) *Quo modo audient sine prædicante? quo modo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Et quidem ab ipsius Mundi origine, clementissimus, ac benignissimus Deus suis nunquam defuit; sed (d) multifarie, multisque modis locutus est Patribus in Prophetis, eisque pro temporum conditione ad cœlestem beatitudinem certum, ac directum iter monstravit.

b) *Rom. 10. 17. Dam. lib. 4. c. 11.*

c) *Rom. 10. 14. 15.*

d) *Hebr. 1. 2. Deus ministerio docentium fidem animis hominum instillat. D. Th. 2. 2. q. 6. art. 1. Hoc luculenter docet B. Aug. in libris de Doctrin. Christian.*

3. *Christus in hunc mundum venit ad docendum fidem, quam postea Apostoli, & successores eorum propagarunt.*

Sed quoniam prædixerat daturum se doctorem justitiæ (e) in lucem gentium, ut (f) esset salus ejus usque ad extremum terræ, (g) noviſſime locutus est nobis in Filio, quem etiam, voce e cœlo delapsa a magnifica gloria, jussit (h) ut omnes audirent, ejusque præceptis

e) *Isa. 49. 6.*
f) *Ps. 40. Joel 3. 23.*
g) *Hebr. 1. 2.*
h) *2. Petr. 1. 17.*

ceptis obtemperarent. Deinde vero Filius alios (a) dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores, & Doctores, qui verbum vitæ annuntiarent; (b) ne circumferremur, tanquam parvuli fluctuantes, omni vento doctrinæ; ſed firmo fidei fundamento adhærentes, (c) coædificaremur in habitaculum Dei, in Spiritu Sancto.

a) *ad Eph. 4. 11. Apoſtoli & Diſcipuli, quorum legitimi ſucceſſores ſunt Eccleſiarum Paſtores, hi ſunt. Videatur Princip. Seſſ. 5. Conc. Trident.*

b) *Epheſ. 4. 14.*

c) *Epheſ. 2. 22.*

4. Quomodo verba Paſtorum Eccleſiæ ſint recipienda.

Ac, ne quis (d) verbum auditus Dei ab Eccleſiæ miniſtris, tanquam verbum hominum, ſed ſicut vere eſt, verbum Chriſti acciperet, ille ipſe Salvator noſter tantam auctoritatem eorum magiſterio tribuendam eſſe ſtatuit, ut diceret: (e) *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit:* quod quidem non de iis tantum, quibuſcum ſermo habebatur, intelligi voluit, verum de omnibus etiam, qui legitima ſucceſſione docendi munus obirent. (f) quibus ſe omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi affuturum eſſe pollicitus eſt.

d) *Theſſ. 2. 13.*

e) *Luc. 16. 16. Quanta ſit auctoritas evangelizantium, Conc. Trid. Seſſ. 23. c. in decr. de ſac. Ord.*

f) *Matt. 28. 20.*

5. Veritate jam manifeſtata, hodie etiam neceſſarium eſt, Paſtores verbum Dei prædicare.

At vero, cum hæc divini verbi prædicatio, nunquam intermitti in Eccleſia debeat, tum certe hoc tempore majori ſtudio, & pietate elaborandum eſt, ut ſana, & incorrupta doctrina, tanquam pabulo vitæ, fideles nutriantur, & confirmentur. (g) Exierunt enim falſi Prophetæ in Mundum, de quibus dixit Dominus: (h) *Non mittebam Prophetas; & ipſi currebant: non loquebar ad eos; & ipſi prophetabant*, ut (i) variis doctrinis, & peregrinis

Verbi Dei perpetua eſſe debet in Eccleſia prædicatio.

g) *Joan. 46. 1. Infra de Sacramento Ord. Sect. 3. & 4.*

h) *Jerem. 23. 22.*

i) *Hebr. 13. 9.*

Christianorum animos depravarent. Qua in re illorum impietas, omnibus Satanæ artibus instructa, tam longe progressa est, ut nullis fere certis finibus contineri posse videatur. Ac, nisi Salvatoris nostri præclara illa promissione niteremur, qui se adeo stabile Ecclesiæ suæ fundamentum posuisse affirmavit, (a) ut portæ Inferi adversus eam prævalere nunquam possint; maxime verendum esset, ne hoc tempore, tot undique hostibus obsessa, tot machinis tentata, & oppugnata concideret. Nam, ut omittamus nobilissimas provincias, quæ olim veram, & Catholicam religionem, quam a majoribus acceperant, pie, & sancte retinebant, nunc autem derelinquentes viam rectam erraverunt, atque in eo se maxime pietatem colere palam profitentur, quod a patrum suorum doctrina, quam longissime recesserunt: nulla tam remota regio, aut tam munitus locus, nullus Christianæ Reipublicæ angulus inveniri potest, quo hæc pestis occulte irrepere non tentarit.

a) Matth. 16. 18.

Hæresis quam late serpserit.

6. Catechismis potissimum hæretici Christianorum animos depravare studerunt.

Quo astu hæretici sint usi ad impia sua dogmata infundenda.

Qui enim fidelium mentes corrumpere sibi proposuerunt, cum fieri nullo modo posse intelligerent, ut cum omnibus coram colloquerentur, & in eorum aures venenatas voces infunderent, idem alia ratione aggressi, multo facilius, ac latius impietatis errores dissemi-

Catechismorum apud hæreticos pernicies.

narunt. Nam præter illa ingentia volumina, quibus Catholicam fidem evertere conati sunt (a quibus tamen cavere, cum apertam hære-

sim

ſim continerent, non magni fortaſſe laboris, ac diligentiæ fuit) infinitos etiam libellos conſcripſerunt, qui cum pietatis ſpeciem præferrent, incredibile eſt, quam facile incautos ſimplicium animos deceperint.

7. *Peſtilentibus Pſeudoprophetarum vocibus, & ſcriptis occurrendum Sancta Synodus recte ſtatuit.*

Quamobrem Patres Oecumenicæ Tridentinæ Synodi, cum tanto, & tam pernicioſo huic malo ſalutarem aliquam medicinam adhibere maxime cuperent, non ſatis eſſe putarunt, graviora Catholicæ doctrinæ capita, contra noſtri temporis hæreſes decernere: ſed illud præterea ſibi faciendum cenſuerunt, ut certam aliquam formulam, & rationem Chriſtiani populi ab ipſis fidei rudimentis inſtituendi traderent, quam in omnibus Eccleſiis illi ſequerentur, quibus legitimi Paſtoris, & Doctoris munus obeundum eſſet.

Trid. Synod. Seſſ. 24. cap. 7. & Seſſ. 25. in fine.

Duplex antidotum peſtis graſſantis. Primum.

Secundum.

8. *Neceſſe fuit etiam Oecumenici Concilii ſtudio, Summique Pontificis auctoritate, poſt tot Doctrinæ Chriſtianæ conſcriptas inſtitutiones, novum Catechiſmum Paſtoribus proponere.*

Multi quidem adhuc in hoc ſcriptionis genere cum magna pietatis, & doctrinæ laude verſati ſunt: ſed tamen Patribus viſum eſt maxime referre, ſi liber Sanctæ Synodi auctoritate ederetur, ex quo Parochi, vel omnes alii, quibus docendi munus impoſitum eſt, certa præcepta petere, atque depromere ad fidelium ædificationem poſſint: ut, quemadmodum *unus eſt Dominus, una fides;* ita etiam una ſit tradendæ fidei, ad omniaque pietatis

Editionis hujus Catechiſmi ratio. Vide ſecundam Section. primi c. de Symb. Apoſt.

Epheſ. 4. 5.

officia populum Christianum erudiendi communis regula, atque præscriptio.

9. *Non sunt exacte universa nostræ religionis dogmata hic discussa.*

Comparatio hujus Catechismi cum aliis Catholicorum Catechismis.

Ergo, cum multa sint, quæ ad Christianæ religionis professionem pertinere videantur, nemo existimet, illud Sanctæ Synodo propositum fuisse, ut omnia Christianæ fidei dogmata uno libro comprehensa subtiliter explicarentur: (quod ab iis fieri solet, qui se profitentur universæ religionis institutionem, & doctrinam tradere: id enim & infiniti pene operis fuisset, & instituto minus convenire perspicuum est) sed, quoniam Parochos, Sacerdotesque animarum curatores, earum rerum cognitione instruendos suscepit, quæ pastoralis muneris maxime propriæ sunt, & ad fidelium captum accommodatæ, ea tantum in medium afferri voluit, quæ hac in re pium Pastorum studium, si in difficilioribus divinarum rerum disputationibus non ita versati fuerint, adjuvare possent. Quæ cum ita sint, antequam ad ea singillatim tractanda accedamus, quibus hujus doctrinæ summa continetur; institutæ rei ordo postulat, ut pauca quædam exponantur, quæ Pastores considerare, sibique ante oculos proponere in primis debent.

Pastoribus præcipue servit hac institutio & per eorum ministerium omnibus Christianis.

Multa, quæ ad Pastoris officium pertinent, tractantur fere posteriori parte cujusque Sess. Conc. Trid. ubi agitur de reformatione.

10. *Cum Pastores animarum hic instituendi suscipiantur, quid illis potissimum, ut rite suo fungantur munere, sit considerandum.*

Pastores omnem suam doctrinam eo debent primum referre, ut omnes intelligant quan-

Igitur, ut sciant, quonam, veluti ad finem, omnia eorum consilia, labores, & studia referenda sint, quove pacto id, quod volunt, facilius

cilius consequi, & efficere possint: illud primum videtur esse, ut semper meminerint, omnem Christiani hominis scientiam hoc capite comprehendi, vel potius, quemadmodum Salvator noster ait, (a) *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.* Quamobrem in eo præcipue Ecclesiastici Doctoris opera versabitur, ut fideles scire ex animo cupiant (b) *Jesum Christum, & hunc crucifixum:* sibique certo persuadeant, atque intima cordis pietate, & religione credant, (c) *aliud nomen non esse datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri:* (d) siquidem *ipse propitiatio est pro peccatis nostris.* At vero (e) quia *in hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus;* proximum est, & cum eo, quod diximus, maxime conjunctum, ut simul etiam ostendat, vitam a fidelibus non in otio, & desidia degendam esse, verum oportere, ut, (f) *quemadmodum ipse ambulavit, ita & nos ambulemus,* (g) sectemurque omni studio justitiam, pietatem, fidem, charitatem, mansuetudinem, *dedit* enim (h) *semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum,* quæ Apostolus Pastoribus præcipit, ut loquantur, & exhortentur. Cum autem Dominus, ac Salvator noster non solum dixerit, sed etiam exemplo suo demonstrarit, (i) Legem, & Prophetas ex dilectione pendere, Apostolus deinde confirmarit, (k) charitatem esse finem præcpti, ac legis plenitudinem, dubitare nemo potest, hoc, tan-

tum beneficium Deus generi humano per Christum præstiterit, quod est primum.

a) *Joan. 17. 3.*

b) *1. Cor. 2. 2.*

c) *Act. 4. 12.*

d) *1. Joan. 2.*

e) *1. Joa. 2. 3.*

Secundum, quod Pastores, docendo debent respicere, sunt mandata Christi, ad quæ subditi sunt excitandi.

f) *1. Joa. 2. 6.*

g) *2. Tim. 2. 22.*

Opera esse fidei adjungenda, nec quemquam in hac sola sibi debere blandiri, clare ostenditur c. 11. Sess. 4. Concil. Trid. &c. 20. ejusdem.

h) *ad Tit. 2. 14.*

Paulus præcipit Pastoribus, ut fideles excitent ad pietatis, & charitatis opera, quod est tertium.

i) *Matth. 22. 2*

k) *1. Tim. 1. 5*

quam præcipuum munus, omni diligentia curandum esse, (a) ut fidelis populus ad immensam Dei erga nos bonitatem amandam excitetur, ac divino quodam ardore incensus, ad summum illud, & perfectissimum bonum rapiatur, cui adhærere, solidam, & veram felicitatem esse is plane sentiet, qui illud Prophetæ dicere poterit; (b) *Quid enim mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram?* Hæc nimirum est via illa excellentior, quam idem (c) Apostolus demonstravit, cum omnem doctrinæ, & institutionis suæ rationem ad charitatem, quæ nunquam excidit, dirigeret. Sive enim credendum, sive sperandum, sive agendum aliquid proponatur; ita in eo semper charitas Domini nostri commendari debet, ut quivis perspiciat, omnia perfectæ Christianæ virtutis opera non aliunde, quam a dilectione ortum habere, neque ad alium finem, quam ad dilectionem referenda esse.

a) *Rom. 11. 21.* *Solida felicitas hominis est Deo integre per amorem adhærere.*

b) *Ps. 72. 25.*

c) *1. Cor. 1. 8.*

Omnis doctrina Catholico doctori ad charitatem dirigenda est. Declaratur quomodo plenitudo legis sit dilectio.

Virtus nulla perfecta sine charitate.

11. *Non satis est Pastores ad duos illos fines inter docendum respicere; sed se ad captum cujusque debent accomodare.*

Cum autem in omni re tradenda plurimum interfit, utrum hoc, an illo modo aliquid doceas: tum vero hoc in Christiani populi institutione maximi momenti existimandum est. Observanda est enim audientium ætas, ingenium, mores, conditio; ut, qui docendi munus exercet, omnia omnibus (d) efficiatur, ut & omnes Christo lucrifaciat, & (e) seipsum fidelem ministrum, & dispensatorem probare possit, ac, (f) veluti servus bonus, & fidelis,

Pastori auditorum circumstantia considerandæ, & inter docendum ad captum cujusque respiciendum.

d) *1. Cor. 9. 19. 22.*

e) *1. Cor. 4. 2. 1.*

f) *Matt. 25. 23.*

lis, dignus ſit, qui ſuper multa conſtituatur a Domino. Neque vero unius tantum generis homines fidei ſuæ commiſſos eſſe arbitretur, ut præſcripta quadam, & certa docendi formula erudire, atque ad veram pietatem inſtituere æque omnes fideles poſſit: ſed, cum (a) alii veluti modo geniti infantes ſint, alii in Chriſto adoleſcere incipiant, nonnulli vero quodammodo confirmata ſint ætate; neceſſe eſt diligenter conſiderare, quibus (b) lacte, quibus ſolidiore cibo opus ſit, ac ſingulis ea doctrinæ alimenta præbere, quæ ſpiritum augeant, (c) *donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Id vero Apoſtolus in ſeipſo omnibus obſervandum indicavit, cum (d) dixit, ſe Græcis, & Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitorem eſſe: ut videlicet intelligerent, qui ad hoc miniſterium vocati ſunt, ita in tradendis fidei myſteriis, ac vitæ præceptis doctrinam ad audientium ſenſum, atque intelligentiam accommodari oportere; ut, cum eorum animos, qui exercitatos ſenſus habent, ſpirituali cibo expleverint, ne interim parvulos fame perire patiantur, ut (e) qui panem petant, & non ſit, qui frangat eis. Neque vero cujuſquam ſtudium in docendo retardari debet, propterea quod interdum neceſſe ſit auditorem earum rerum præceptis inſtrui, quæ leviores, & humiliores videntur, nec ſine moleſtia ab iis potiſſimum tractari ſolent, quorum animus in ſublimium rerum contemplatione verſatur,

a) *1. Petr. 2. 2*

b) *1. Cor. 3. 2. Hebr. 5. 12.*

c) *Eph. 4. 13.*

Paulus veri paſtoris exemplar.

d) *Rom. 1. 14.*

e) *Thr. 4. 4.*

Non eſſe hoc exercitium ob rerum levitatem contemnendum.

Ab exemplo Christi.

ac conquieſcit. Nam ſi ipſa æterni Patris Sapientia in terras deſcendit, ut in carnis noſtræ humilitate cœleſtis vitæ præcepta nobis traderet; quem non compellat charitas Chriſti, (a) ut parvulus fiat in medio fratrum ſuorum, & tanquam nutrix fovens filios ſuos, ita cupide proximorum ſalutem deſideret, ut, quod (b) de ſeipſo Apoſtolus teſtatur, eis velit non ſolum Evangelium Dei, ſed etiam animam tradere?

a) *1. Theſſ. 2. 7.*

b) *Ibid. 2. 8.*

12. Cum Deus viſibilem ſui præſentiam nobis ſubduxerit, Paſtores ejus verbum haurient ex Scriptura, & Traditionibus.

Doctrina fidei Catholicæ Scriptura, & Traditionibus continetur.

Omnis autem doctrinæ ratio, quæ fidelibus tradenda ſit, verbo Dei continetur, quod in Scripturam, Traditioneſque diſtributum eſt. Itaque in harum rerum meditatione Paſtores dies, nocteſque verſabuntur, memores illius D. Pauli admonitionis, quam ad Timotheum ſcriptam omnes, quicunque animarum curæ præpoſiti ſunt, ad ſe pertinere exiſtimabunt. Eſt autem hæc admonitio in hunc modum: (c) *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Eſt enim* (d) *omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Sed quoniam, quæ divinitus tradita fuerunt, multa ſunt, & varia, ut nec ita facile, aut animo comprehendi, aut etiam mente comprehenſa, memoria teneri poſſint, ut, cum ſe obtulerit docendi occaſio, eorum parata ſit, & prompta explicatio; ſapientiſſime majores noſtri totam

c) *1. Tim. 4. 13.*

d) *2. Tim. 3. 16. 17.*

De verbo Dei ſcripto, & non ſcripto extat peculiare decr. Seſſ. 4. Concil. Trid. Traditionum Eccleſiæ varietas.

hanc

hanc vim, & rationem ſalutaris doctrinæ, in quatuor hæc capita redactam diſtribuerunt: Apoſtolorum Symbolum, Sacramenta, Decalogum, Dominicam Orationem. Nam omnia, quæ Chriſtianæ fidei diſciplina tenenda ſunt, ſive ad Dei cognitionem, ſive ad Mundi creationem, & gubernationem, ſive ad humani generis redemptionem ſpectent, ſive ad bonorum præmia, & malorum pœnas pertineant, Symboli doctrina continentur. Quæ autem ſigna ſunt, & tanquam inſtrumenta ad divinam gratiam conſequendam, hæc ſeptem Sacramentorum doctrina complectitur. Jam vero quæ ad leges referuntur, (a) quorum finis eſt Charitas, Decalogo deſcripta ſunt. Quidquid denique ab hominibus optari, ſperari, ac ſalutariter peti poſſit, id Dominica Precatione comprehenditur. Quare ſequitur, ut explanatis quatuor his, quaſi communibus Sacræ Scripturæ locis, nihil fere ad eorum intelligentiam, quæ Chriſtiano homini diſcenda ſunt, deſiderari poſſit.

Traditiones in quatuor capita diſtributæ.

Primum.

Secundum.

Tertium.

a) 1. *Tim.* 1. 5.

Quartum.

Traditionum quator capita ſunt velut communes Scripturæ loci, ad quorum aliquod omnis labor docentis reſpicere debet.

13. Qua methodo Parochi explicationem Evangelii cum Catechiſmi explicatione conjungent.

Itaque viſum eſt monere Parochos, ut, quoties uſuvenerit, ut aliquem interpretentur Evangelii, vel quemvis alium Divinæ Scripturæ locum, intelligant, ejus loci, quicunque is fuerit, ſententiam cadere ſub unum aliquod quatuor illorum capitum, quæ diximus, quo, tanquam ad ejus doctrinæ fontem, quod explicandum ſit, confugient. Exempli cauſa, ſi explanandum ſit illud Evangelium

Vide Indicem novum, quem huic operi adjunximus.

pri-

primæ Dominicæ Adventus (a) *Erunt signa in Sole, & Luna, &c.* quæ ad eam rationem pertinent, tradita sunt illo Symboli Articulo: *Venturus est judicare vivos, & mortuos:* quibus inde assumptis, Pastor una, eademque opera fidelem populum, & Symbolum, & Evangelium docebit. Quare in omni docendi, & interpretandi munere hanc consuetudinem tenebit dirigendi omnia ad prima illa quatuor genera, ad quæ referri universam Divinæ Scripturæ vim, atque doctrinam diximus. Docendi autem ordinem eum adhibebit, qui & personis, & tempori accommodatus videbitur: nos Patrum auctoritatem secuti, qui in initiandis Christo Domino, & in ejus disciplina instituendis hominibus, a fidei doctrina initium fecerunt, operæ pretium duximus, quæ ad fidem pertinent, prius explicare.

a *Luc. 21 25.*

Pastores Ecclesiarum debere suas conciones juxta hujus Catechismi doctrinam instituere statuitur c. 7. Decret. de Reformat. Sess. 14. Conc. Trid.

A Fidei doctrina incipiendum.

CA-

CATECHISMI ROMANI

PARS PRIMA.

DE FIDE ET SYMBOLO FIDEI.

CAPUT I.

1. Quid ſit Fides hoc loco, & quæ ejus ad ſalutem neceſſitas.

Sed quoniam in divinis literis multiplex eſt Fidei ſignificatio; nos hic de ea loquimur, cujus vi omnino aſſentimur iis, quæ tradita ſunt divinitus. Hanc autem ad ſalutem conſequendam eſſe neceſſariam, nemo jure dubitabit; præſertim cum ſcriptum ſit: (a) *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Cum enim finis, qui ad beatitudinem homini propoſitus eſt, altior ſit, quam ut humanæ mentis acie perſpici poſſit, neceſſe ei erat ipſius a Deo cognitionem accipere. Hæc vero cognitio nihil aliud eſt, niſi fides: cujus virtus efficit, ut id ratum habeamus, quod a Deo traditum eſſe ſanctiſſimæ matris Eccleſiæ auctoritas comprobarit. Nulla enim fidelibus poteſt accidere dubitatio in iis, quorum Deus auctor eſt, (b) qui eſt ipſa veritas. Ex quo intelligimus quantum inter hanc fidem quam Deo habemus, interſit, & illam, quam humanæ

A Fidei doctrina incipiendum. De fide, & Symbolo fidei.

Pars Prima.

a) *Hebr. 11. 6. Quare ſit fides ad juſtificationem, & ſalutem conſequendam neceſſaria repetatur ex Seſſ. 5. Conc. Trid. decr. de juſtificatione, præſertim c. 6. 7. & 8.*

b) *Joan. 14. 6. Fides catholica etſi una ſit, tamen ex perſonarum qualitate di-*

versos habet gradus.

manæ Hiſtoriæ ſcriptoribus adhibemus. Fides autem quanquam late pateat, & magnitudine, ac dignitate differat (eſt enim ſic in Sacris literis: (a) *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* &, (b) *Magna eſt fides tua:* &, (c) *Adauge nobis fidem:* item, (d) *Fides ſine operibus mortua eſt:* &, (e) *Fides, quæ per charitatem operatur*) tamen eſt idem genere, & diverſis fidei gradibus eadem definitionis vis, & ratio convenit. Quam vero fructuoſa ſit, & quantam ex ea utilitatem capiamus, in Articulorum explicatione dicetur.

a) *Matt.* 14. 31.
b) *Luc.* 17. 6.
c) *Matt.* 15. 18.
d) *Jac.* 2. 17. 20.
e) *Gal.* 5. 6.

2. *Quando, & qua de cauſa hæc duodecim fidei capita ab Apoſtolis ſint tradita.*

Quæ igitur primum Chriſtiani homines tenere debent, illa ſunt, quæ fidei duces, doctoreſque ſancti Apoſtoli, divino ſpiritu afflati, duodecim Symboli Articulis diſtinxerunt. Nam cum mandatum a Domino accepiſſent, (f) ut pro ipſo legatione fungentes in univerſum Mundum proficiſcerentur, (g) atque omni creaturæ Evangelium prædicarent, Chriſtianæ fidei formulam componendam cenſuerunt, ut ſcilicet (h) id ipſum omnes ſentirent, ac dicerent; neque ulla eſſent inter eos ſchiſmata, quos a fidei unitatem vocaſſent, ſed eſſent *perfecti in eodem ſenſu, & in eadem * ſententia.*

f) *Matt.* 28. 20.
g) *Marci* 16. 16.
h) 1. *Cor.* 1. 10.

* *Quamvis vulgata editio, habeat* ſcientia *Græca tamen, & Syriac. & manuſcript. exemplaria habent, ſententia.*

3. *Symbolum unde ſit dictum.*

Hanc autem Chriſtianæ fidei, & ſpei profeſſionem a ſe compoſitam, Apoſtoli Symbolum appellarunt: ſive quia ex variis ſententiis, quas ſinguli in commune contulerunt, conflata eſt, ſive quia ea veluti nota, & teſ-

ſera

sera quadam uterentur, qua desertores, (a) & subintroductos falsos fratres, qui Evangelium adulterabant, ab iis, qui vere Christi militiæ Sacramento se obligarent, facile possent internoscere. a) Gal. 2. 4.

4. *Quæ symboli hujus sit necessitas, & quot in partes dividatur.*

Credo in Deum. Cum multa in Christiana religione fidelibus proponantur, quorum sigillatim, vel universe certam, & firmam fidem habere oportet; tum vero illud primo, ac necessario omnibus credendum est, quod (veluti veritatis fundamentum, ac summam) de Divinæ essentiæ unitate, & trium personarum distinctione, earumque actionibus, quæ præcipua quadam ratione illis attribuuntur, Deus ipse nos docuit. Hujus mysterii doctrinam breviter in Symbolo Apostolorum comprehensam esse Parochus docebit. Nam, ut majores nostri, qui in hoc argumento pie, & accurate versati sunt, observaverunt, in tres potissimum partes ita distributum videtur, ut in una, Divinæ naturæ prima persona, & mirum creationis opus describatur; in altera, secunda persona, & humanæ redemptionis mysterium; in tertia, tertia item persona, caput, & fons sanctitatis nostræ variis, & aptissimis sententiis concludatur. Eas autem sententias, similitudine quadam a Patribus nostris frequenter usurpata, Articulos appellamus. Ut enim corporis membra articulis distinguuntur; ita etiam in hac fidei confessione, quidquid distincte, & separatim ab alio nobis credendum est, recte, & apposite Articulum dicimus.

Christiano præcipue credendum est, quod Deus sit Trinus, & Unus.

Symboli Apostolorum tres partes tribus personis Divinis sunt accomodatæ.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Singulæ Symboli sententiæ, quæ sunt veluti fidei Apostolicæ decreta, cur Articuli vocati.

Quid Articulus.

DE

DE PRIMO SYMBOLI ARTICULO.

CAPUT II.

CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM, CREATOREM COELI, ET TERRÆ.

1. *Explicatur breviter Primus Articulus.*

Primi Articuli brevis expositio, quæ postea minutim examinatur.

His verbis ea sententia subjecta est: Certo, ac firmiter credo, & sine ulla dubitatione profiteor Deum Patrem, primam scilicet Trinitatis Personam, (a) qui sua omnipotenti virtute cœlum ipsum, & terram, & omnia, quæ cœli, & terræ ambitu continentur, ex nihilo condidit, & condita tuetur, ac regit: neque solum eum corde credo, & ore confiteor, verum summo studio, ac pietate ad illum, veluti summum, & perfectissimum bonum, contendo. Hæc igitur sit brevis quædam primi hujus Articuli comprehensio. Sed, quoniam magna mysteria in singulis fere verbis latent, ea nunc diligentius Parocho perpendenda sunt: ut, quantum Dominus permiserit, ad ejus majestatis gloriam contemplandam cum timore, & tremore fidelis populus accedat.

a) *Gen. 1. 2. & seq. Esther. 13. Psal. 32. 6. 35. 5. Act. 14. 15. & 17. 24.*

Singula Symboli verba diligenter exponenda.

Verbi hujus, Credo, in materia fidei Evangelicæ acceptio, & professio. Conferantur hæc cum sect. 1. superioris capitis. Fidei notitiam propter infallibilem, quæ a Deo mentibus infunditur, veritatem esse certam.

2. *Credendi verbum quid significet.*

Igitur *Credendi* vox hoc loco *putare*, *existimare*, *opinari* non significat: sed, ut docent Sacræ literæ, certissimæ assensionis vim habet, qua mens Deo, sua mysteria aperienti, firme, constanterque assentitur. Quamoprem is credit (quod ad hujus loci explicationem attinet) cui aliquid sine ulla hæsitatione certum, & persuasum

ſuaſum eſt. Neque vero exiſtimare quisquam debet, fidei notitiam minus certam eſſe, quod ea non cernantur, quæ nobis credenda fides proponit. Etenim divinum lumen, quo ea percipimus, tametſi rebus perſpicuitatem non afferat, nos tamen de his dubitare non ſinit, *Deus* enim (a) *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere*, ipſe illuxit in cordibus noſtris, (b) ut non ſit nobis opertum Evangelium, ſicut iis, qui pereunt.

a) 2. Cor. 4. 6.
b) Ibid. 5.

3. Quæ in Symbolo proponuntur, non curioſe ſcrutanda, ſed ſimpliciter aſſerenda ſunt.

Jam vero ex iis, quæ dicta ſunt, conſequitur, eum, qui cœleſti hac fidei cognitione præditus eſt, inquirendi curioſitate liberum eſſe. Deus enim, cum juſſit nos credere, non divina judicia ſcrutanda, eorumque rationem, & cauſam perquirendam nobis propoſuit; ſed immutabilem fidem præcepit, quæ efficit, ut animus in æternæ veritatis notitia conquieſcat. Ac profecto cum Apoſtolus teſtetur, (c) *Deus verax eſt*, (d) *omnis autem homo mendax:* ſi arrogantis, & impudentis hominis eſt gravi, ac ſapienti viro aliquid affirmanti fidem non habere, ſed præterea urgere, ut, quod dixerit, rationibus, aut teſtibus probetur: cujus temeritatis, atque adeo ſtultitiæ fuerit, Dei voces audientem, cœleſtis, ac ſalutaris doctrinæ rationes requirere? Fides itaque, ſecluſa omni non ſolum ambiguitate, ſed etiam demonſtrandi ſtudio, tenenda eſt.

Curioſus veritatis indagator eſt modica fidei.

c) Rom. 3. 4.
d) Pſal. 115. A minori ad majus.

Fides non fert ambiguitatem, nec demonſtrationem requirit.

4. Non ſufficit ad ſalutem credere, ſed etiam fidem profiteri neceſſarium eſt.

Verum illud præterea doceat Parochus, eum, qui dicit *Credo*, præterquam quod intimum

Fidei actus interior, & exterior.

Actus fidei interior voce declarandus.

mum mentis ſuæ aſſenſum declarat (qui interior fidei actus eſt) debere id, quod animo incluſum habet, aperta fidei profeſſione præferre, ſummaque alacritate palam fateri, ac prædicare. Oportet enim fideles eum ſpiritum habere, quo fretus Propheta dixit: (a) *Credidi propter quod locutus ſum:* imitari Apoſtolos, qui ad principes populi reſponderunt. (b) *Non poſſumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui:* Divi Pauli præclara illa voce excitari. (c) *Non erubeſco Evangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.* Item, quo maxime hujus ſententiæ veritas confirmatur, (d) *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

a) *Pſal. 115. 1.*

b) *Act. 4. 20.*

c) *Rom. 1. 16.*

d) *Rom. 10. 10.*

5. Fidei Chriſtianæ excellentia.

Chriſtiana ſapientia, qua fide, ſpe, & charitate perficitur dignitas

In Deum. Hinc jam Chriſtianæ ſapientiæ dignitatem, & præſtantiam, ex eaque, quantum divinæ bonitati debeamus, cognoſcere licet, quibus datum eſt, ſtatim ad rei præſtantiſſimæ, maximeque expetendæ cognitionem, quaſi fidei gradibus, aſcendere.

6. Quantum differat Chriſtiana de Deo ſapientia a Philoſophica rerum divinarum notitia.

Profuerit hæc conferre cum iis, quæ de cœleſti, & perfectiori Dei cognitione Sect. 6. Art. 12. explicantur.

In hoc enim multum inter ſe differunt Chriſtiana Philoſophia, & hujus ſæculi ſapientia: quod hæc quidem naturalis tantum luminis ductu ab effectibus, & ab iis, quæ ſenſibus percipiuntur: paulatim progreſſa, non niſi poſt longos labores, vix tandem (e) inviſibilia Dei contemplatur, primamque omnium rerum cauſam, & auctorem agnoſcit, atque intelligit: contra vero illa humanæ mentis aciem ita exacuit, ut in cœlum nullo labore penetrare poſſit,

e) *Rom. 1. 20. Obſcuram quandam Dei cognitionem philoſophia vix præſtat. Chriſtiana ſapientia ad certam Dei notitiam adducit.*

ſit, atque divino ſplendore colluſtrata, primum quidem æternum ipſum luminis fontem, deinde, quæ infra ipſum poſita ſunt intueri: (a) ut nos vocatos eſſe de tenebris in admirabile lumen, quod eſt apud Apoſtolorum Principem, cum ſumma animi jucunditate experiamur, (b) & credentes exultemus lætitia inenarrabili. Recte igitur fideles primo ſe in Deum credere profitentur, cujus majeſtatem, ex (c) Jeremiæ ſententia, incomprehenſibilem eſſe dicimus: (d) *Lucem enim*, ut ait Apoſtolus, *inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt:* cum enim ad Moyſem loqueretur: (e) *Non videbit me*, inquit, *homo, & vivet.* Nam, ut mens noſtra ad Deum, quod nihil eſt ſublimius, perveniat, neceſſe eſt eam omnino a ſenſibus abſtractam eſſe, cujus rei facultatem in hac vita naturaliter non habeamus. Sed, quamvis hæc ita ſint, (f) *non reliquit*, tamen Deus, ut inquit Apoſtolus, *ſemetipſum ſine teſtimonio, benefaciens de cœlo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda hominum.* Quæ cauſa fuit Philoſophis nihil abjectum de Deo ſentiendi, &, quidquid corporeum, quidquid concretum, & admiſtum eſt ab eo longiſſime removendi: cui etiam bonorum omnium perfectam vim, & copiam tribuerunt, ut ab eo, tanquam a perpetuo quodam, & inexhauſto fonte bonitatis, ac benignitatis, omnia ad omnes creatas res, atque naturas perfecta bona dimanent: quem ſapientem, veritatis auctorem, & amantem, juſtum, beneficentiſſimum, & aliis nominibus appellaverunt, quibus ſumma, & abſolu-

Fidei ſummæ Symbolo comprehenſa.

a) *1. Petr. 2. 9.*

b) *1. Petr. 1. 8.*

c) *Jer. 32. 13.*

d) *1. Tim. 6. 16.*

e) *Exod. 33. 20.*

f) *Act. 14. 16.*

Deus ſuam excelentiam, & bonitatem Ethnicis, quo ſe magis a terrenis ſenſibus abduceret, per ea, quæ facta ſunt, oſtendarit.

Certius, & clarius se Deus hominibus cognoscendum præbuit suo verbo.

soluta perfectio continetur: cujus immensam, & infinitam virtutem, omnem complentem locum, & per omnia pertinentem esse dixerunt. Hoc ex divinis literis longe melius constat, & illustrius: ut illo loco: (a) *Spiritus est Deus:* item (b) *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est:* tum (c) *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus;* & illud (d) *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei;* deinde (e) *Deus verax est;* &: (f) *Ego sum via, & veritas, & vita*, præterea: (g) *Justitia plena est dextera tua:* denique: (h) *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione;* postremo: (i) *Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam?* Et: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris &c.* Et: (k) *Nunquid non cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus?* Magna, & præclara hæc sunt, quæ de Dei natura sacrorum librorum auctoritati consentanea, & consequentia ex rerum effectarum investigatione Philosophi cognoverunt: quanquam in eo etiam cœlestis doctrinæ necessitatem cognoscimus, si animadvertamus, fidem non solum hoc præstare, quemadmodum supra dictum est, ut, quæ viri tantum sapientes longo studio consecuti sunt, ea rudibus quoque, & imperitis hominibus statim pateant, atque in promptu sint: verum, ut rerum notitia, quæ fidei disciplina comparatur, multo certior, atque ab omni errore purior in mentibus nostris insideat, quam si eas ipsas res, humanæ scientiæ rationibus comprehensas, animus intelligeret.

a) *Joan. 4. 24.*
b) *Matth. 5. 18.*
c) *Hebr. 4. 13*
d) *Rom. 11. 33.*
e) *Rom. 3. 4.*
f) *Joan. 14. 6.*
g) *Psal. 47. 11.*
h) *Psal. 144. 16.*
i) *Psal. 138. 7. 8. 9.*
k) *Jerem. 23. 24.*

Ad philosophicam de Deo notitiam cur necessaria fuerit fidei doctrina.

geret. Sed quanto præstantior Divini Numinis cognitio censenda est, ad quam non communiter omnibus naturæ contemplatio, sed proprie credentibus fidei lumen aditum patefecit? Hæc autem Symboli Articulis continetur, qui nobis Divinæ essentiæ unitatem, & trium personarum distinctionem, tum vero ipsum Deum esse ultimum hominis finem aperiunt, a quo cœlestis, æternæque beatitudinis possessio expectanda sit, siquidem a Divo Paulo didicimus, (a) Deum inquirentibus se remuneratorem esse. Hæc quanta sint, & an ejus generis sint bona, ad quæ humana cognitio aspirare potuerit, multo ante eundem (b) Apostolum Isaias Propheta (c) his verbis ostendit: *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.*

a) *Hebr.* 11. 6.

b) 1. *Cor.* 2. 9.

c) *Isa.* 64. 4.

7. *Unum Deum esse, non plures deos confitendum est.*

Sed ex his, quæ diximus, unum etiam Deum esse, non plures Deos confitendum est. Nam, cum Deo summam bonitatem, & perfectionem tribuamus; fieri non potest, ut id, quod summum, atque absolutissimum est, inveniatur in pluribus. Quod si cui aliquid ad summum deest, eo ipso imperfectus est: quare nec Dei natura illi convenit. Hoc autem multis sacrarum literarum locis comprobatur, scriptum est enim: (d) *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Præterea est Domini jussum: (e) *Non habebis Deos alienos coram me.* Deinde per Prophetam sæpe admonet: (f) *Ego primus, & ego novissimus; & absque me non est*

d) *Deut.* 6. 4.

e) *Exod.* 20. 3.

f) *Isa.* 41. 4. & 43. 12.

Apoc. 1. 18. & 21. 22.

a) *Ephes. 4. 5.*

est Deus. Apostolus etiam palam testatur: (a) *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.*

8. *Creatis naturis Dei nomen interdum tribuitur, sed improprie.*

Neque vero nos moveat, quod interdum Sacræ literæ Dei nomen creatis etiam naturis imponunt. Nam, quod (b) Prophetas, & judices deos appellarunt, non gentium more factum est, quæ sibi plures deos stulte, & impie finxerunt; sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam virtutem, vel functionem, quæ Dei munere illis concessa sit. Deum igitur natura, substantia, essentia unum, quemadmodum ad confirmandam veritatem in (c) Symbolo Nicæni Concilii dictum est, Christiana fides credit, & profitetur: sed altius etiam ascendens, ita unum intelligit, *ut unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneretur:* de quo nobis mysterio nunc dicere incipiendum est.

b) *Exod. 7. 1. & 22. 28. Psal. 81. 6. Prophetæ, & Judices interdum dii vocati propter excellentem quandam virtutem quæ in illis eluceba. Vid. Sect. 6. ult. Art.*

c *Symb. Nic. apud Ruf. lib. 1. cap. 7. Ath. in Symb.*

9. *Deus generali ratione omnium hominum peculiari autem Christianorum* Pater *dicitur.*

Sequitur enim in Symbolo, *Patrem.* Sed, quoniam *Patris*, vox non una ratione Deo tribuitur, illud prius declarandum erit, quæ sit magis propria hujus loci significatio. Deum nonnulli etiam, quorum tenebris fides lucem non attulit, æternam substantiam esse intellexerunt, a qua res ortæ essent, & cujus providentia omnia gubernarentur, suumque ordinem, & statum conservarent. Ex humanis igitur rebus ducta similitudine, quemadmodum eum, a quo familia propagata est, cujusque

Deus primaria, & generali ratione dicitur hominum Pater, quia eos ut res cæteras produxit & singulari providentia gubernat.

COR-

consilio, & imperio regitur, *Patrem*, vocabant; ita hac ratione factum est, ut Deum, quem omnium rerum opificem, & rectorem agnoscebant, *Patrem* appellari voluerint. Eodem nomine sacræ etiam literæ usæ sunt, cum Deo loquentes, universorum creationem, potestatem, admirabilemque providentiam ei tribuendam indicarent. Legimus enim: (a) *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Et alibii: (b) *Nunquid non Pater unus omnium nostrum? Nunquid non Deus unus creavit nos?* At vero multo frequentius, & peculiari quodam nomine, præsertim in Novi Testamenti libris, Deus *Pater Christianorum* dicitur, qui (c) *non acceperunt spiritum servitutis in timore, sed acceperunt spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamant, Abba pater:* (d) *eam enim charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus:* (e) *quod si filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, qui est primogenitus in multis fratribus:* (f) *nec confunditur vocare nos fratres.* Sive igitur communem creationis, & providentiæ, sive præcipuam spiritualis adoptionis causam spectes, merito fideles Deum *Patrem* se credere profitentur.

Hæc de re plura initio c. 9. p. 4o de Oratione Dominica.

a) *Deut. 32. 6.*

b) *Malach. 2. 10.*

Deus secundo peculiaris dicitur Pater fidelium propter adoptionem.

c) *Rom. 8. 15. Quæ obiter hic attinguntur, latius Sect. 7. de precatione Dominica explicabuntur.*

d) *1. Joa. 3. 1.*

e) *Rom. 8. 17.*

f) *Hebr. 2. 11.*

10. *Ex hac voce* Patris *quæ colligenda mysteria, & de distinctione personarum in Divinis.*

Verum præter eas notiones, quas explicavimus, *Patris* nomine audito, ad altiora mysteria mentem erigendam esse Parochus docebit, Quod enim (g) in luce illa inaccessibili, quam inhabitat Deus, magis reconditum, & abstrusum est, quodque humana ratio, & intelli-

Pia meditatio circa nomen, Pater. in divinis, & de personarum proprietatibus.

g) *1. Tim. 6. 16.*

Tertio Patris nomen unius essentiæ, plures esse personas arguit Damas. lib. 1. de orthod. fid. cap. 9. Præfatio Missæ de Sancta Trinitate non ex dissimilitudine essentiæ, sed externa distinctione proprietatum, quæ in Personis Divinis inveniuntur existimanda est.

telligentia non consequi, aut ne suspicari quidem poterat, id *Patris* vocabulo Divina Oracula nobis aperire incipiunt. Indicat autem hoc nomen, in una divinitatis essentia non unam tantum personam, sed personarum distinctionem credendam esse. Tres enim sunt in una divinitate personæ; Patris, qui a nullo genitus est; Filii, qui ante omnia sæcula a Patre genitus est; Spiritus Sancti, qui itidem ab æterno ex Patre, & Filio procedit. Atqui Pater est in una divinitatis substantia, prima persona, *qui cum unigenito Filio suo, & Spiritu Sancto, unus est Deus, unus est Dominus, non in unius singularitate personæ, sed in unius Trinitate substantiæ.* Jam vero hæ tres personæ, cum in iis quidquam dissimile, aut dispar cogitare nefas sit, suis tantummodo proprietatibus distincte intelliguntur. Pater siquidem ingenitus est; Filius a Patre genitus; Spiritus Sanctus ab utroque procedit. Atque ita trium personarum eandem essentiam, eandem substantiam confitemur; *ut in confessione veræ sempiternæque Deitatis, & in personis proprietatem, & in essentia unitatem, & in Trinitate æqualitatem pie, & sancte colendam credamus.* Nam, quod Patris primam esse personam dicimus, hoc non ita accipiendum est, perinde ac si aliquid in Trinitate prius, aut posterius, majus, aut minus cogitemus: absit enim hæc a fidelium mentibus impietas, cum eandem æternitatem, eandem gloriæ majestatem in tribus personis Christiana religio prædicet. Sed Patrem, propterea quod ipse sit principium sine principio, primam esse personam, vere,

In Trinitate nihil majus, aut minus. Symb. Athan.

Dam. lib. 1. cap. 11. lit. K. Prima Trinitatis Persona cur Patris nomen tribuatur.

&

& ſine ulla dubitatione affirmamus: quæ quidem uti Patris proprietate diſtincta eſt, ita in unam illam præcipue hoc convenit, quod Filium ab æterno genuerit: ſemper enim Deum ſimul, & Patrem fuiſſe, nobis ſignificatur, cum Dei, & Patris nomina conjuncta in hac confeſſione pronunciamus. Verum, quoniam in nullius rei, quam hujus omnium altiſſimæ, ac difficilimæ notitia, atque explicatione aut periculoſius verſari, aut gravius errare poſſumus, doceat Parochus, religioſe retinenda eſſe eſſentiæ, & perſonæ propria vocabula, quibus hoc myſterium ſignificatur: & ſciant fideles, unitatem eſſe in eſſentia, diſtinctionem autem in perſonis. Sed hæc ſubtilius exquirere nihil oportet, cum meminerimus illius vocis: (a) *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria:* ſatis enim videri debet, quod fide certum, & exploratum habeamus, nos a Deo (cujus oraculis non aſſentiri, extremæ ſtultitiæ, atque miſeriæ eſt) ita edoctos eſſe. (b) *Docete,* inquit, *omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Rurſus: (c) *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt.* Oret tamen aſſidue, ac precetur Deum, & Patrem, qui univerſa ex nihilo condidit (d) *diſponitque omnia ſuaviter, qui* (e) *dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri,* qui Trinitatis myſterium humanæ menti patefecit; oret, inquam, ſine intermiſſione, qui divino beneficio hæc credit, ut aliquando in æterna tabernacula receptus, dignus ſit, qui videat, quæ tanta ſit Dei Patris

Patris proprietas, Filium ab æterno genuiſſe. Divinitatis Unitas in eſſentia, Trinitatis in Perſonis admittenda.

a) *Prov. 25. 27.*

b) *Matt. 28. 19.*

c) *1. Joan. 5. 7.*

d) *Sap. 1. 1.*

e) *Joan. 1. 12.*

Dei majestas multis nominibus in Scripturis exponitur.

tris fœcunditas, ut seipsum intuens, atque intelligens, Patrem, & æqualem sibi Filium gignat: quove modo duorum idem plane, & par charitatis amor, qui Spiritus Sanctus est, a Patre, & Filio procedens, genitorem, & genitum æterno, atque indissolubili vinculo inter se connectat; atque ita Divinæ Trinitatis una sit essentia, & trium personarum perfecta distinctio.

11. Nomine Omnipotentis quid hic intelligamus.

Omnipotentia Deo frequentius tribuitur.

Omnipotentem. Solent sacræ literæ multis nominibus Dei summam vim, & immensam majestatem explicare, ut ostendant, quanta religione, & pietate illius sanctissimum numen colendum sit: sed in primis doceat Parochus illi omnipotentem vim frequentissime tribui. Ipse enim de se dicit: (a) *Ego Dominus omnipotens.* Et rursus Jacob, cum filios ad Joseph mitteret, ita illis precatus est: (b) *Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem.* Deinde vero in Apocalypsi scriptum est: (c) *Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens,* & allibi: (d) *Dies magnus Dei omnipotentis appellatur.* Nonnunquam etiam pluribus verbis illud idem significari solet. Atque huc pertinet, quod dicitur: (e) *Non erit impossibile apud Deum omne verbum;* &: (f) *Nunquid manus Domini invalida est?* Item: (g) *Subest tibi, cum volueris, posse.* Et alia generis ejusdem: ex quibus variis dicendi formis id percipitur, quod uno Omnipotentis verbo comprehendi perspicuum est. Intelligimus autem hoc nomine, nihil esse, nihil animo, & cogitatione fingi posse, quod Deus efficere nequeat: etenim non

a) *Gen. 17. 1.*
b) *Gen. 43. 14.*
c) *Apoc. 1. 8.*
d) *Apoc. 16. 14.*
e) *Luc. 1. 37.*
f) *Num. 11. 23.*
g) *Sap. 12. 18.*

Omnipotentia idcirco Deus censetur, quia omnia potest, quæ summæ ejus perfectioni non re-

ſolum hæc, quæ tametſi maxima ſunt, aliquo tamen modo in cogitationem noſtram cadunt, efficiendi poteſtatem habet; nimirum ut omnia ad nihilum recidant, atque ut plures mundi ex nihilo repente exiſtant: verum etiam multo majora in illius poteſtate ſita ſunt, quæ humanæ menti, & intelligentiæ ſuſpicari non licet.

pugnant. Dam. lib. 2. c. 29. in fin.

12. *Cum Deus ſit omnipotens, peccare tamen, vel falli non poteſt.*

Neque vero, cum omnia Deus poſſit, mentiri tamen, aut fallere, aut falli, aut peccare, aut interire, aut ignorare aliquid poteſt. Hæc enim in eam naturam cadunt, cujus imperfecta actio eſt: Deus vero, cujus perfectiſſima ſemper eſt actio, ideo hæc non poſſe dicitur, quia poſſe ea infirmitatis eſt, non ſummæ, & infinitæ omnium rerum poteſtatis, quam ille habet. Ita igitur Deum *Omnipotentem* eſſe credimus, ut ab eo tamen longe omnia abeſſe cogitemus, quæ perfectæ ejus eſſentiæ maxime conjuncta, & convenientia non ſunt.

Mentiri, fallere, ignorare, vel peccare ſunt affiones imbecillitatis non potentiæ.

13. *Cur aliis nominibus, quæ de Deo dicuntur, prætermiſſis, ſolius Omnipotentiæ in Symbolo fiat mentio: quæque ſint ejus fidei utilitates?*

Recte autem, ſapienterque factum Parochus oſtendat, ut prætermiſſis aliis nominibus, quæ de Deo dicuntur, hoc unum nobis credendum in Symbolo proponeretur. Nam, cum Deum *omnipotentem* agnoſcimus, ſimul etiam fateamur neceſſe eſt, eum omnium rerum ſcientiam habere, omnia item ejus ditioni, & imperio ſubjecta eſſe. Cum vero omnia ab eo fieri poſſe non dubitemus, conſequens omnino eſt, ut cætera etiam

Omnipotentiæ vox quam multa ſub ambitu concludat. Dam in Dial. contra Manichæum fol. 48. Lit. K.

etiam explorata de illo habeamus: quæ si desint, quomodo Omnipotens sit, prorsus intelligere non possumus. Præterea nulla res tam ad fidem, & spem nostram confirmandam valet, quam si fixum in animis nostris teneamus, nihil non fieri a Deo posse; quidquid enim deinceps credere oporteat, quamvis magnum, & admirabile sit, rerumque ordinem, ac modum superet, illi tamen facile humana ratio, postquam Dei omnipotentis notitiam perceperit, sine ulla hæsitatione assentitur: quin potius, quo majora sint, quæ Divina Oracula doceant, eo libentius fidem eis habendam esse existimat. Quod si boni etiam aliquid expectandum sit, nunquam animus rei magnitudine, quam exoptat, frangitur; sed erigit sese, atque confirmat, sæpe illud cogitans, nihil esse, quod ab *omnipotenti Deo* effici non possit. Quare hac fide præcipue munitos nos esse oportet, vel cum admiranda aliqua opera ad proximorum usum, & utilitatem edere cogimur, vel cum a Deo precibus impetrare aliquid volumus. Alterum enim ipse Dominus docuit, cum Apostolis incredulitatem objiciens diceret: (a) *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit; & nihil impossibile erit vobis.* De altero autem Sanctus Jacobus ita testatus est: (b) *Postulet in fide, nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur: non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.* Multa præterea hæc fides commoda, atque utilitates nobis præbet: in primis vero ad omnem animi modestiam, & humilitatem

Omnipotentia persuasio fidem & spem maxime confirmat.

Fides omnipotentia quando sit maxime necessaria.

a) *Matt. 17. 19.*

b) *Jac. 1. 6. 7.*

Omnipotentia fides humilitatem, & confidentiam bonam præstat.

tem nos instituit: sic enim inquit Princeps Apostolorum: (a) *humiliamini sub potenti manu Dei:* monet etiam non esse trepidandum ubi non sit timor; sed unum Deum timendum esse, in cujus potestate nos ipsi, nostraque omnia posita sunt: inquit enim Salvator Noster: (b) *Ostendam vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehenam.* Utimur deinde hac fide ad immensa erga nos Dei beneficia cognoscenda, & celebranda. Nam qui Deum omnipotentem cogitat, tam ingrato animo esse non potest, quin sæpius exclamet: (c) *Fecit mihi magna, qui potens est.*

a) 1. *Petr. 5. 6.*

b) *Luc. 12. 5.*

Omnipotentiæ opinio ad laudandum Deum fideles excitat.

c) *Luc. 1 49.*

14. Omnipotentiæ vox non ita Patri hic attribuitur, ut de Filio, vel Spiritu sancto etiam non dicatur.

Sed, quod Patrem omnipotentem in hoc Articulo vocamus, neminem eo errore duci oportet, ut arbitretur ita illi hoc nomen tributum esse, ut Filio etiam, & Spiritui sancto commune non sit. Nam (d) quemadmodum Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum neque tamen tres Deos, sed unum Deum esse dicimus, ita æque Patrem, ac Filium, & Spiritum sanctum omnipotentem, neque tamen tres omnipotentes, sed unum omnipotentem esse confitemur. At vero præcipua quadam ratione Patrem, quia omnis originis fons est, hoc nomine vocamus; uti etiam Filio, qui æternum Patris verbum est, Sapientiam, & Spiritui sancto, qui utriusque amor est, bonitatem tribuimus; quamvis hæc, & alia hujusmodi nomina communiter de tribus personis, ex Catholicæ fidei regula, dicantur.

d) *Athanas. in Symb. Damasc. lib. 1. de fid. orth. cap. 10. & 11. Idem lib. 1. cap. 15. in fin.*

15. Quo

15. Quo pacto, quaque de causa Deus cælum, & terram creaverit.

Creatorem Cœli, & Terræ. Quam necessarium fuerit, omnipotentis Dei cognitionem paulo ante fidelibus tradi, ex iis, quæ nunc de universorum creatione explicanda erunt, perspici potest. Tanti enim operis miraculum facilius creditur, quod nullus de immensa Creatoris potestate dubitandi locus relinquitur. Deus enim non ex materia aliqua mundum fabricatus est, sed ex nihilo creavit; idque nulla vi, aut necessitate coactus, sed sua sponte, & voluntate instituit. Neque vero ulla alia fuit causa, quæ illum ad opus creationis impelleret, nisi ut rebus, quæ ab ipso effectæ essent, bonitatem suam impertiretur: nam Dei natura, ipsa per se beatissima, nullius rei indigens est, ut inquit David: (a) *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quemadmodum autem sua bonitate adductus, (b) quæcunque voluit, fecit; ita non exemplum aliquod, aut formam, quæ extra se posita esset, cum universa conderet, secutus est: verum, quia rerum omnium exemplar divina intelligentia continetur, id sumus Artifex in se ipso intuens, ac veluti imitatus, summa sapientia, & infinita virtute, quæ ipsius propria est, rerum universitate initio procreavit: (c) *Ipse* enim *dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.*

Deus, ut suam bonitatem aliis communicaret, mundum ex nihilo creavit. Dam. lib. 2. de orth. fid. cap. 2.

a) *Psal. 15. 1. Deus in rerum creatione nulla idea extrinseca usus est, sed ex seipso exemplar sumpsit.*

b) *Psal. 113.*

c) *Psal. 148. 5.*

16. Quid per cœlum, & terram hoc loco intelligendum sit?

Verum cœli, & terræ nomine, quidquid cœlum, & terra complectitur, intelligendum est.

Dam. lib. 2. c. 5. Psal. 145.

eſt. Nam præter cœlos, (a) quos opera digitorum ejus Propheta appellavit, Solis etiam ſplendorem, Lunæque, & cæterorum ſiderum ornatum addidit: atque, (b) ut eſſent in ſigna, & tempora, & dies, & annos, ita cœlorum orbes certo, & conſtanti curſu temperavit, ut nihil perpetua eorum converſione mobilius, nihil mobilitate illa certius videri poſſit.

a) *Pſal. 8.*

b) *Gen. 1.*

17. *De creatione cœlorum ſpiritualium, id eſt Angelorum.*

Præterea ſpiritualem naturam, innumerabileſque Angelos qui Deo miniſtrarent, atque aſſiſterent, ipſe ex nihilo creavit, quos deinde admirabili gratiæ ſuæ, & poteſtatis munere auxit, atque ornavit. Nam, cum illud ſit in divinis literis, (c) *Diabolum in veritate non ſtetiſſe*; perſpicuum eſt, eum, reliquoſque deſertores Angelos ab ortus ſui initio gratia præditos fuiſſe: de quo ita eſt apud ſanctum Auguſtinum: *Cum bona voluntate, id eſt cum amore caſto, quo illi adhærent, Angelos creavit, ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam.* Unde ſine bona voluntate, hoc eſt Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt. Quod autem ad ſcientiam attinet, extat illud ſacrarum literarum teſtimonium: (d) *Tu Dominus mi rex, ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia ſuper terram.* Poteſtatem denique eis tribuit divinus David illis verbis: (e) *Potentes virtute, facientes verbum illius*; atque ob eam rem ſæpe in ſacris literis (f) virtutes, & exercitus Domini appellantur. Sed, quamvis omnes ii cœleſtibus donis ornati fuerint, plu-

Fulg. lib. de fid. ad Pet. Diac. c. 3

c) *Joan. 8. 44. Angeli omnes in gratia creati.*

Aug. lib. 12. de Civ. Dei. Cap. 9. Sapientes Angeli.

Alex. de Ales. 2. p. q. 19. memb. 2. S. Th. 1. p. q. 62. a. Art. 3.

d) *2. Reg. 14. 20.*

e) *Pſal. 102. 20. Angeli cur virtutes, vel exercitus Domini dicantur.*

f) *Pſal. 83 45. & 15. Iſa. 6.*

plurimi tamen, qui a Deo parente, & creatore ſuo defecerunt, ex altiſſimis illis ſedibus deturbati, atque in obſcuriſſimum terræ carcerem incluſi, æternas ſuperbiæ ſuæ pœnas luunt: de quibus Princeps Apoſtolorum ſcribit in hunc modum: (a) *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari.*

Angeli Apoſtatæ in æternas pœnas conjecti.

a) 2. *Petr. 2. 4. Epiſ. Jud. ſen. 6. Job. 26.*

18. *De Terræ creatione.*

At vero (b) terram etiam ſuper ſtabilitatem ſuam fundatam Deus verbo ſuo juſſit in media mundi parte conſiſtere; effecitque, (c) ut *aſcenderent montes, & deſcenderent campi in locum, quem fundavit eis:* ac, ne aquarum vis illam inundaret, terminum poſuit, quem *non tranſgredientur, neque convertentur operire terram.* Deinde non ſolum arboribus, omnique herbarum, & florum varietate conveſtivit, atque ornavit, ſed innumerabilibus etiam animantium generibus, quemadmodum antea aquas, & aera, ita etiam terras complevit.

b) *Pſal. 103. Terra orbis centrum.*

c) *Ibid.*

Terra ornatus & plantis, & animantibus.

19. *De creatione hominis.*

Poſtremo Deus ex limo terræ (d) hominem ſic corpore affectum, & conſtitutum effinxit, ut non quidem naturæ ipſius vi, ſed divino beneficio immortalis eſſet, & impaſſibilis. Quod autem ad animam pertinet, eum ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam formavit, liberumque ei arbitrium tribuit: omnes præterea motus animi, atque appetitiones ita in eo temperavit, ut rationis imperio nunquam non parerent. Tum originalis juſtitiæ admirabile donum addidit, ac deinde cæteris animantibus præeſſe voluit:

d) *Gen. 1. Homo immortalis, & impaſſibilis creatus, etiam ſecundum corpus. Con. Milev. c. 1. Et te conſecr. Diſt. 4. Can. 152. Hominis anima libri arbitrii particeps creata, & in illa ratio domina ſenſitivi appetitus inſtituta.*

voluit: quæ quidem facile erit Parochis ad fidelium inſtitutionem ex ſacra Geneſis hiſtoria cognoſcere.

20. *Cœli, & terræ nomine viſibilia omnia, & inviſibilia comprehenduntur.*

Hæc igitur de univerſorum creatione, cœli, & terræ verbis, intelligenda ſunt: quæ omnia breviter quidem Propheta complexus eſt illis verbis: (a) *Tui ſunt Cœli, & tua eſt terra: orbem terræ, & plenitudinem ejus tu fundaſti:* ſed multo etiam brevius Patres Nicæni Concilii, additis in Symbolo duobus illis verbis: *viſibilium, & inviſibilium*, ſignificaverunt. Quæcunque enim rerum univerſitate comprehenduntur, atque a Deo creata eſſe confitemur, ea vel ſub ſenſum cadunt, & viſibilia dicuntur; vel mente, & intelligentia percipi a nobis poſſunt, quæ inviſibilium nomine ſignificantur.

Anima cum originali juſtitia creata. An amiſſa poſt Adæ peccatum juſtitia, etiam liberum hominis arbitrium, ſit extinctum, declaratur Seſſ. 6. Conſ. Trid. can. 4. 5. & 6. Cœli, & terræ nomine omnia viſibilia & inviſibilia denotantur.

a) *Pſal. 88. 12. Symb. Nic.*

21. *Res Dei virtute conditæ, citra ipſius gubernationem, & providentiam ſubſiſtere non poſſunt.*

Nec vero ita Deum creatorem, atque effectorem omnium credere oportet, ut exiſtimemus, perfecto abſolutoque opere, ea, quæ ab ipſo effecta ſunt, deinceps ſine infinita ejus virtute conſtare potuiſſe. Nam quemadmodum, omnia ut eſſent, Creatoris ſumma poteſtate, ſapientia, & bonitate effectum eſt: ita etiam niſi conditis rebus perpetua ejus providentia adeſſet, atque eadem vi, qua ab initio conſtitutæ ſunt, illas conſervaret, ſtatim ad nihilum reciderent. Atque id Scriptura declarat, cum inquit: (b) *Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod a te vocatum non eſſet, conſervaretur?*

Res conditæ Dei virtute, & providentia ſubſiſtunt, & gubernantur.

b) *Sap. 11. 26. Pſal. 103. Joan. 5.*

22. Deus ſua gubernatione ſecundarum cauſarum vim non evertit.

Deus ita res a ſe conditas gubernat, ut tamen ſecundarum cauſarum virtutem non evertat, ſed hanc etiam præveniat.

Non ſolum autem Deus univerſa, quæ ſunt, providentia ſua tuetur, atque adminiſtrat; verum etiam, quæ moventur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut, quamvis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præveniat tamen; cum ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat, & quemadmodum Sapiens teſtatur, (a) *attingat a fine uſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuaviter.* Quare ab Apoſtolo dictum eſt, cum apud Athenienſes enunciaret Deum, quem ignorantes colebant: (b) *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.*

a) *Sap. 8. 1.*

b) *Act. 17. 27. 28.*

23. Rerum creatio ſoli Patri tribuenda non eſt.

Creationis opus toti Trinitati commune eſt. Ex ipſo Patre effective, & per ipſum Filium exemplariter, & in ipſo Spiritu ſancto finaliter.

Atque hæc de Prima Articuli explicatione ſatis fuerint, ſi tamen illud etiam admonuerimus, creationis opus omnibus ſanctæ, & individuæ Trinitatis perſonis commune eſſe. Nam hoc loco, ex Apoſtolorum doctrina, Patrem creatorem cœli, & terræ confitemur: in ſcripturis ſacris legimus de Filio: (c) *Omnia per ipſum facta ſunt:* & de Spiritu Sancto: (d) *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:* & alibi; (e) *Verbo Domini cœli firmati ſunt & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

c) *Joan. 1. 3.*

d) *Gen. 1. 2.*

e) *Pſal. 32. 6.*

DE

DE SECUNDO ARTICULO,

CAPUT III.

ET IN JESUM CHRISTUM, FILIUM EJUS UNICUM, DOMINUM NOSTRUM.

1. De ſecundo Articulo, & de profeſſionis ejus utilitate.

Mirificam, & uberrimam eſſe utilitatem, quæ ex hujus Articuli fide, & confeſſione confluxit ad humanum genus, & illud ſancti Joannis teſtimonium oſtendit: (a) *Quisquis confeſſus fuerit, quoniam ſeſus eſt filius Dei: Deus in eo manet, & ipſe in Deo:* & beatitudinis præconium declarat, quod a Chriſto Domino tributum eſt Principi Apoſtolorum: (b) *Beatus es, Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Hoc enim fundamentum firmiſſimum eſt noſtræ ſalutis, ac redemptionis.

Parochus docebit confeſſionem æternæ Chriſti Nativitatis noſtræ ſalutis fundamentum.

a) 1. *Joan. 4. 15*

b) *Matth. 16. 17.* 1. *Cor. 12. 3. Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto.*

2. Unde magnitudo beneficii hoc articulo propoſiti potiſſimum cognoſcatur.

Sed quoniam admirabilis hujus utilitatis fructus maxime ex feliciſſimi illius ſtatus ruina intelligitur, in quo Deus primos homines collocarat, incumbat in hanc curam Parochus, ut fideles communium miſeriarum, & ærumnarum cauſam cognoſcant. Cum enim a Dei obedientia deſciviſſet Adam, interdictumque violaſſet illud, (c) *Ex omni ligno paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in*

Juſtitia originalis deperdita per ſolum Dei Filium recuperata. Hic ponitur cauſa occaſionalis, & acceſſoria Incarnationis Filii Dei, ut veniret mortalis, & paſſibilis, ſed initio ponitur cauſa prima, & per ſe.

c) *Gen. 2. 16. Trid. Syn. Seſ. 5. Can. 1. & 2. & Seſſ. 6. Can. 1.*

quocunque enim die comederis ex eo morte morieris: in ſummam illam incidit calamitatem, ut ſanctitatem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amitteret, & reliqua ſubiret mala, quæ ſancta Tridentina Synodus uberius explicavit. Propterea vero peccatum, & peccati pœnam in uno Adam non conſtitiſſe commemorabit, ſed ex eo tanquam ex ſemine, & cauſa, ad omnem poſteritatem jure permanaſſe.

Peccatum Adæ ad poſteros eſt propagatum. Conc. Trid. Seſſ. 5. Can. 2. & 3. Dam. lib. 2. c. 28. & 30.

3. Nullus præter Chriſtum, genus humanum potuit reſtaurare.

Cum igitur ex altiſſimo dignitatis gradu concidiſſet noſtrum genus ſublevari inde, & in priſtinum locum reſtitui nullo modo poterat hominum, aut Angelorum viribus: quare reliquum erat illud ruinæ, & malorum ſubſidium, ut Dei Filii infinita virtus, aſſumpta carnis noſtræ imbecillitate, (a) infinitam tolleret peccati vim, (b) & nos reconciliaret Deo in ſanguine ſuo.

Genus humanum non potuit ullius creaturæ viribus reſtitui. Vide Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 1. & 2.

a) *Joan. 1. 29.*
b) *Rom. 5. 10.*

4. Citra redemptionis fidem nullus unquam ſalvari potuit, & propterea Chriſtus a mundi initio ſæpe prænunciatus eſt.

Hujus autem redemptionis fides, & confeſſio hominibus ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſt, ſemperque fuit, quam Deus initio præmonſtravit: nam in illa damnatione humani generis, quæ ſtatim peccatum conſecuta eſt, oſtenſa etiam fuit ſpes redemptionis illis verbis, quibus proprium Diabolo damnum, quod ex liberatione hominum facturus erat, denunciavit: (c) *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum,*

Redemptionis fides ad ſalutem ſemper neceſſaria, & mox poſt hominis lapſum divinitus fuit oſtenſa. Primum ſub lege naturæ. D. Thom. 2. 2. q. 2. Art. 7.

c) *Gen. 3. 15.*

&

& tu insidiaberis calcaneo ejus: & deinceps eandem promissionem sæpe confirmavit, majoremque sui consilii significationem iis præsertim hominibus dedit, quibus voluit singularem benevolentiam præstare: inter cæteros vero, cum (a) Patriarchæ Abrahæ sæpe numero hoc mysterium significasset, tum eo tempore apertius declaravit, cum ille Dei jussis obediens filium suum unicum Isaac immolare voluit: inquit enim: (b) *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Ex quibus verbis facile colligi poterat, ex progenie Abrahæ futurum, qui omnibus ab immanissima Satanæ tyrannide liberatis salutem afferret: illum autem Dei filium, natum ex semine Abrahæ secundum carnem, fore necesse erat. Non ita multo post Dominus, ut ejusdem promissionis memoria conservaretur, idem fœdus cum Jacob Abrahæ nepote sancivit. (c) *Nam, cum ille in somnis vidit scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlos, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam,* ut testatur Scriptura; audivit etiam Dominum innixum scalæ dicentem sibi: (d) *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo, eritque semen tuum, quasi pulvis terræ. Dilataberis ad orientem, & occidentem, & septentrionem, & meridiem, & benedicentur in te, & in semine*

a) *Gen.* 12. 17. & 18. 1. 2.

b) *Gen.* 22. 17.

c) *Gen.* 28. 12.

d) *Gen.* 28. 13. 14.

Sub lege scripta sæpius memoria redemptionis humanæ renovata, per sacrificia typos, & prædictiones Prophetarum.

tuo cunctæ tribus terræ. Neque postea destitit Deus eadem sui promissi memoria renovanda, & generi Abraham, & multis præterea hominibus Salvatoris expectationem commovere: siquidem Judæorum republica, & religione constituta, notior populo suo fieri cœpit: nam & mutæ res significarunt, & homines prædixerunt, quæ, & quanta nobis bona Salvator ille, & Redemptor noster Christus Jesus allaturus esset. Ac. (a) Prophetæ quidem, quorum mens cœlesti lumine illustrata fuit, Filii Dei ortum, admirabilia opera, quæ homo natus effecit, doctrinam, mores, consuetudinem, mortem, resurrectionem, cæteraque ejus mysteria, hæc omnia, quasi cum adessent, palam docentes, populo prænunciarunt; ita ut, si futuri, & præteriti temporis tollatur diversitas, nihil jam inter Prophetarum prædicta, & Apostolorum prædicationem, nihil inter veterum Patriarcharum fidem, & nostram intereſſe videamus. Sed jam de singulis Articuli partibus dicendum videtur.

a) *Psal. 2. 25. 68. & 119. Isa. 7. 8. 9. 11. & 53. per tot. Jer. 23. 25. 30. Dan. 7. 9. & alibi sæpe Patriarcharum Prophetarum, & Apostolorum fides sola temporis circumstantia differt.*

5. *De Jesu nomine, & quod Christo proprie conveniat.*

Jesus nomen humani generis redemptori Dei præcepto fuit impositum.

Jesus proprium est nomen ejus, qui Deus, & homo est; quod Salvatorem significat, non quidem fortituto, aut hominum judicio, & voluntate, sed Dei consilio, & præcepto illi impositum. Angelus enim Mariæ matri ita annunciavit: (b) *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum.* Ac deinde Joseph Virginis sponso non solum, ut eo nomine puerum appellaret, præcepit, sed etiam, cur ita nominandus esset, declaravit: inquit enim

b) *Luc. 1. 31. Isa. 7. 14. 15. D. Th. 3. p. qu. 37. Art. 2.*

enim: (a) *Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt: pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.*

a) *Matt. 1. 20. 21.*

6. *Non eſt eadem ratio, cur aliis quibuſdam hominibus idem nomen ſit tributum.*

Multi quidem hoc nomine fuerunt in divinis literis: nam idem nomen Nave filio fuit, qui Moyſi ſucceſſit, & populum a Moyſe ex Ægypto liberatum, in terram promiſſionis, quod illi negatum fuerat, deduxit: eodem etiam nomine filius Syrach Jeroſolymita, qui renovavit ſapientiam de corde ſuo, & Joſedech ſacerdotis filius, appellati ſunt. Sed quanto verius Salvatorem noſtrum hoc nomine appellandum exiſtimabimus? qui non uni aliculi populo, ſed univerſis omnium ætatum hominibus, non quidem fame, aut Ægyptiaco, vel Baybilonico dominatu oppreſſis, ſed in umbra mortis ſedentibus, & duriſſimis peccati, & diaboli vinculis obſtrictis, lucem, libertatem, & ſalutem dederit: qui eis cœleſtis regni jus, & hæreditatem acquiſiverit: qui eos Deo Patri reconciliaverit: in illis Chriſtum Dominum adumbratum videmus, a quo iis beneficiis, quæ diximus, cumulatum eſt genus humanum. Quæ præterea nomina (b) prædicta ſunt Dei Filio divinitus imponenda, ad unum hoc Jeſu nomen referuntur: cum enim cætera ſalutem, quam nobis daturus erat, aliqua ex partte attingerent, hoc ipſum univerſæ ſalutis humanæ vim, rationemque complexum eſt.

Joſue filius Nun a LXX. dicitur paſſim Jeſus. Eccl. 46. 1. Jeſus filius Syrach. Eccl. 50. 29. Jeſus filius Joſedech apud Eſdram, Aggæum, & Zachariam ſæpe, & iſte eſt ille qui fuit Eliezer apud Lucam, c. 3. 29. Jeſus nomen, propriiſſime Chriſto convenit, qui ut Rex reddidit libertatem, ut Propheta lucem, & ut Sacerdos ſalutem.

b) *Iſa. 7. 14. Zach. 6. 12. Jeſu nomen, ſuæ amplitudine quicquid aliis nominibus per Prophetas Chriſto fuit attributum, complectitur. Chriſtus eſt officii, & dignitatis nomen.*

7. Quid sibi hic velit Christi nomen, & quot rationibus Jesu nostro conveniat.

Jesu nomini Christi etiam nomen additum est, quod unctum significat, & honoris, & officii nomen est, nec unius rei proprium, sed commune multorum: nam veteres illi (a) Patres nostri Christos appellabant sacerdotes, (b) & reges, quos Deus propter muneris dignitatem ungi præceperat. Sacerdotes enim ii sunt, qui populum assiduis precibus Deo commendant; qui sacrificia Deo faciunt, qui pro populo deprecantur. Regibus autem populorum gubernatio commissa est: ad eosque pertinet maxime legum auctoritatem, innocentium vitam tueri, & nocentium audaciam ulcisci. Quoniam igitur utraque harum functionum Dei majestatem referre in terris videtur, ideo qui vel ad regium, vel ad sacerdotale munus obeundum delecti erant, (c) unguento ungebantur. Prophetas etiam ungendi (d) mos fuit, qui Dei immortalis interpretes, & internuncii cœlestia arcana nobis aperuerunt, atque ad emendandos mores salutaribus præceptis, & futurorum prædictione hortati sunt. At vero cum Jesus Christus Salvator noster in mundum venit, trium personarum partes, & officia suscepit, Prophetæ, Sacerdotis, ac Regis; atque ob eas causas Christus dictus est, & unctus ad illorum munerum functionem, non quidem alicujus mortalis opera, sed cœlestis Patris virtute, non terreno unguento, sed spirituali oleo: quippe cum in sanctissimam ejus animam Spiritus sancti plenitudo, gratiaque, & omnium

a) 1. *Reg.* 12. 15. 24. & 16. 9. 1. *Par.* 16. 22. *Psal.* 104. 15. *Sacerdotum officium.*

b) *Exod.* 29. 6. & 40. 13. 1. *Regum* 9. 1. *Regum officium.*

c) *Luc.* 8. 11. 12. *Num.* 3. 3. 2. *Reg.* 10. 2. & 16. 22. 2. *Reg.* 43.

d) 3. *Reg.* 10. 15. *Sacerdotes, & Reges quare soliti sint inungi. Prophetæ inuncti. Filius Dei incarnatus trium Personarum officia quia suscepit, ideo Christus dictus est. Christus non humano auxilio ad æternas illas dignitates est evectus, nec terreno unguento inunctus.*

omnium donorum uberior copia effusa sit, quam ulla alia creata natura capere potuerit: atque id præclare Propheta ostendit, cum Redemptorem ipsum affatus diceret: (a) *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Idem etiam, ac multo apertius Isaias iis verbis demonstravit; (b) *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunciandum mansuetis misit me.* Itaque Jesus Christus (c) summus Propheta, & Magister fuit, qui nos Dei voluntatem docuit, & a cujus doctrina orbis terrarum Patris cœlestis cognitionem accepit: quod ei nomen præclarius, ac præstantius convenit, quod omnes, quicunque Prophetæ nomine dignati sunt, ejus discipuli fuerunt, atque ob illam præcipue causam missi, ut Prophetam hunc, qui ad salvandos omnes venturus erat, prænunciarent. Christus item Sacerdos fuit, non quidem ex ordine, ex quo in veteri lege Leviticæ, tribus sacerdotes extiterunt, verum ex illo, de quo David Propheta cecinit; (d) *Tu es sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech.* Cujus rei argumentum Apostolus ad (e) Hebræos scribens, accurate persecutus est. Sed Christum, non solum ut Deus, verum ut homo, ac nostræ naturæ particeps est, regem etiam agnoscimus: de quo Angelus testatus est, (f) *Regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis:* quod quidem Christi regnum spirituale est, atque æternum, in terrisque inchoatur, in cœlo perficitur. Ac regis quidem officia admirabili provi-

a) *Psal. 44. 8. Hebr. 1. 9. Jul. lib. 3. ad Trasim. Reg. cap. 14.*

b) *Is. 61. 1. Luc. 4. 18. Christus Prophetarum summus.*

c) *Deut. 18. 15.*

Christus Sacerdos. Ber. Ser. 15. sup. Cant. post. med.

d) *Psal. 109. 4.*

e) *Hebr. 5. 6. Christus juxta utramque naturam est Rex.*

f) *Luc. 1. 33. Christi regnum spirituale est, quod paulo post Art. 6. Sect. 5. ostenditur. Christus quibus*

modis Regis Officium obeat. Videatur secunda petitio Dominicæ orationis.

Omnes homines ad Christi regnum generali quadam ratione pertinent: peculiarius tamen soli boni.

Christus jure divino secundum humanam etiam naturam totius Mundi Rex.

dentia suæ præstat Ecclesiæ. Ipse eam regit, ipse eam ab hostium impetu, atque insidiis tuetur: ipse ei leges præscribit: ipse non solum sanctitatem, & justitiam largitur, verum etiam ad perseverandum facultatem, & vires præbet; quanquam autem hujus regni finibus tam boni, quam mali contineantur, atque adeo omnes homines jure ad illud pertineneant: ii tamen præ cæteris summam regis nostri bonitatem, & beneficentiam experiuntur, qui ex ejus præceptis integram, atque innocentem vitam degunt: neque vero hoc illi regnum hæreditario, aut humano jure obtigit, tametsi genus (a) a clarissimis regibus duceret; sed rex fuit, propterea quod Deus in illum hominem contulit (b) quidquid potestatis, amplitudinis, dignitatis hominis natura capere posset. Illi igitur totius mundi regnum tradidit, eique omnia, quod jam fieri cæptum est, plene, (c) perfecteque in die judicii subjicientur.

a) *Matt.* 1. 6. 7. 8. *Luc.* 3. 31.

b) *Matt.* 28. 18.

c) *Joan.* 7. 17. *Apoc.* 17. 19. 2. *Cor.* 15. 27. 28.

Filius Dei verus Deus est, & aliis duabus Personis omnino æqualis. Dam. lib. 1. *de orth. fid. cap.* 8.

8. Quo pacto Jesum Christum Filium Dei unicum nos credere, & confiteri conveniat.

Filium ejus unicum. His verbis altiora mysteria de Jesu credenda, & contemplanda fidelibus proponuntur; nimirum filium Dei esse, & verum Deum, sicuti Pater est, qui eum ab æterno genuit. Præterea illum divinæ Trinitatis secundam personam aliis duabus omnino æqualem confitemur: nihil enim impar, & dissimile in divinis personis aut esse, aut fingi animo debet, cum unam omnium essentiam, voluntatem, potestatem agnoscamus, quod cum multis pateat divinæ Scripturæ oraculis, tum præclarissime

illud

illud oſtendit ſancti Joannis teſtimonium: (a) *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Sed, cum Jeſum Filium Dei eſſe audimus, nihil terrenum, aut mortale de ejus ortu cogitandum eſt: verum ortum illum, quo ab omni æternitate Pater Filium genuit, quem ratione percipere, atque perfecte intelligere nullo modo poſſumus, conſtanter credere, & ſumma animi pietate colere debemus, ac veluti myſterii admiratione obſtupefacti, illud cum Propheta dicere, (b) *Generationem ejus quis enarrabit?* Hoc igitur credendum eſt, Filium ejusdem eſſe naturæ, ejuſdem poteſtatis, & ſapientiæ cum Patre, ut in Symbolo Nicæno explicatius confitemur; inquit enim: *Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum; & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.* 2. *De modo generationibus æternæ, ducta ſimilitudine a rebus creatis, & de duplici nativitate, & filiatione Chriſti.*

a) *Joan.* 1. 1.

Spiritualis Filii Dei ex Patre nativitas, admiranda potius, quam ſcrutanda. Fulg. lib. 3. ad Monim. cap. 7.

b) *Iſa.* 53. 8.

Ex. Symb. Nic. 1. & Conſtantinop. Can. 7. & Gregor. Naz. Or. 40. Dam. lib. 1. de Orth. fid. cap. 8.

Ex omnibus autem, quæ ad indicandum modum rationemque æternæ generationis, ſimilitudines afferuntur, illa propius ad rem videtur accedere, quæ ab animi noſtri cogitatione ſumitur: quamobrem ſanctus Joannes filium ejus (c) *Verbum* appellat. Ut enim mens noſtra, ſeipſam quodam modo intelligens, ſui effingit imaginem, quam Verbum Theologi dixerunt: ita Deus, quantum tamen divinis humana conferri poſſunt, ſeipſum intelligens, Verbum æternum generat: etſi præſtat contemplari,

Modus æternæ Chriſti generationis ſimilitudine declaratur.

c) *Joan.* 1. 1. *Dam. lib.* 1. *de orthod. fid. c.* 9. *Scot. de modo generationis æternæ profunde ſe habet in* 1. *ſent. diſt.* 2. *q.* 6. *lit. A. & H & idem.* 3. *diſt.* 5. *q. unic.*

plari, quod fides proponit, & ſincera mente Jeſum Chriſtum verum Deum, & verum hominem credere, & confiteri, genitum quidem, ut Deum, ante omnium ſæculorum ætates, ex Patre: ut hominem vero natum in tempore, ex matre Maria Virgine. Et quanquam duplicem ejus nativitatem agnoſcamus, unum tamen Filium eſſe credimus. Una enim perſona eſt, in quam divina, & humana natura convenit.

Duplex Chriſti nativitas non facit duos Filios, licet duas filiationes. Ath. in Symb.

10. Quomodo Chriſtus fratres habere, vel non habere cenſendus ſit?

Pluribus hæc explicantur Sect. 9. cap. 9. de oratione Dominica.

Et, quod ad divinam generationem attinet, nullos aut fratres, aut cohæredes habet, cum ipſe Patris unicus Filius, (a) nos vero homines figmentum, & opus manuum ejus ſimus. At ſi humanum ortum conſideremus, (b) multos ille non ſolum fratrum nomine appellat, ſed fratrum etiam loco habet, ut una cum eo paternæ hæreditatis gloriam adipiſcantur: ii ſunt, qui fide Chriſtum Dominum receperunt, & fidem, quam nomine profitentur, re ipſa, & charitatis officiis præſtant: quare *primogenitus in multis fratribus* ab Apoſtolo vocatur.

a) *Iſa. 64. 8.*

b) *Hebr. 2. 12.*

Fratres Chriſti qui ſint.

Rom. 8. 29.

11. Chriſtus ſecundum utramque naturam Dominus noſter dicitur.

Diverſæ proprietates juxta diverſas naturas Chriſto tribuuntur.

Dominum noſtrum. Multa ſunt, quæ de Salvatore noſtro in ſacris literis dicuntur: quorum alia, ut Deus eſt, alia, ut homo, ipſi convenire perſpicuum eſt, quoniam a diverſis naturis diverſas earum proprietates accepit. Igitur vere dicimus Chriſtum eſſe omnipotentem, æternum, immenſum, quod a divina natura habet. Rurſus de illo dicimus, paſſum, mortuum eſſe,

Communicatio idiomatum eſt in Chriſti perſona.

reſur-

reſurrexiſſe: quæ naturæ hominum convenire nemo dubitat. Verum, præter hæc, quædam alia utrique naturæ congruunt, ut hoc loco, cum *Dominum noſtrum* dicimus. Igitur, ſi ad utramque naturam hoc nomen referatur, merito Dominus noſter prædicandus eſt. Nam quemadmodum ipſe æternus Deus eſt, uti Pater, ita etiam omnium rerum æque Dominus eſt, ac Pater: & quemadmodum ipſe, & Pater non eſt alius, atque alius Deus, ſed idem plane Deus, ita etiam ipſe, & Pater non eſt alius, atque alius Dominus. Sed recte etiam multis rationibus, ut homo eſt, Dominus noſter appellatur. Ac primum quidem, quoniam ipſe Redemptor noſter fuit, atque a peccatis nos liberavit, jure hanc poteſtatem accepit, ut vere Dominus noſter eſſet, ac diceretur: ita enim Apoſtolus docet: (a) *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Atque ipſe de ſe poſt reſurrectionem, (b) *Data eſt*, inquit, *mihi omnes poteſtas in cœlo, & terra.* Ob eam quoque rem Dominus dicitur, quod in una perſona duæ naturæ, divina, & humana, conjunctæ ſint: hac enim admirabili conjunctione meruit, ut quamvis pro nobis mortuus non eſſet, tamen Dominus conſtitueretur, communiter quidem omnium rerum, quæ conditæ ſunt, præcipue autem fidelium, qui illi parent, atque ſummo animi ſtudio inſerviunt.

ratione diverſarum naturarum. Chriſtus juxta utramque naturam noſter Dominus eſt.
Dam. lib. 4. de orth. fid. cap. 19. Ath. in Symb. Pſal. 67. Iſa. 42. Jvan. 13. Apoc. 19.

a) *Philip. 2. 9.*

b) *Matt. 28. 18. Unio hypoſtatica cauſa eſt, cur Chriſtus Dominus dicitur: etiam ſi Adam non peccaſſet. Leo Papa Ser. 2. de Nativ. Chriſti. Greg. Naz. Orat. 38. Sto. 3. di. 7. q. 3. D. Th. 2. 2. q. 2. Art. 7.*

12. *Christiani se totos Jesu Christo, Principe tenebrarum conculcato, tradere debent.*

Quantum homo Christianus Christo debeat.

Quod igitur reliquum est, Parochus fidelem populum ad eam rationem cohortabitur, ut sciat, æquissimum esse præ ceteris hominibus, nos qui ab eo nomen invenimus, Christianique vocamur, & quanta ille in nos beneficia contulerit, ignorare non possumus, ob id maxime, quod ejus munere hæc omnia fide intelligimus, æquum esse, inquam, nos ipsos, non secus ac mancipia, Redemptori nostro, & Domino in perpetuum addicere, & consecrare. Et quidem cum baptismo initiaremur, ante Ecclesiæ fores id professi sumus: declaravimus enim, nos Satanæ, & Mundo renunciare, & Jesu Christo totos nos tradere. Quod si ut Christianæ militiæ adscriberemur, tam sancta & solemni professione nos ipsos Domino nostro devovimus, quo supplicio digni erimus, si, postquam Ecclesiam ingressi sumus, Dei voluntatem, & leges cognovimus, postquam sacramentorum gratiam percepimus, ex Mundi, & Diaboli præceptis, ac legibus vixerimus; perinde ac si cum baptismo abluti sumus, Mundo, & Diabolo, non Christo Domino, ac Redemptori nomen dedissemus? sed cujus animum amoris facibus non incendat tanti Domini tam benigna, & propensa in nos voluntas, qui, tametsi nos in potestate sua, & dominatu veluti servos, sanguine suo redemptos habeat, ea tamen charitate complectitur, (a) ut non servos vocet, sed amicos, sed fratres? Hæc profecto justissima causa est, atque haud scio, an omnium sit maxima cur eum perpetuo debeamus Dominum nostrum agnoscere, venerari, & colere.

Quanta sit indignitas, postquam nos Deo addiximus, servire Diabolo.

Dominatus Christi in redemptos quam sit pius.

a) *Joan. 15. 14.*

DE TERTIO ARTICULO,

CAPUT IV.

QUI CONCEPTUS EST DE SPIRITU SANCTO, NATUS EX MARIA VIRGINE.

1. *Tertius fidei Articulus quid credendum fidelibus proponat.*

Maximo quidem, & singulari beneficio humanum genus a Deo affectum esse, qui nos e durissimi tyranni servitute in libertatem vindicarit, ex iis, quæ superiori articulo declarata sunt, intelligere fideles possunt. At vero, si consilium etiam, & rationem, qua potissimum id efficere voluit, nobis ante oculos ponamus, profecto nihil divina in nos beneficentia, ac bonitate illustrius, nihil magnificentius esse videbitur. Ejus igitur mysterii magnitudinem, quod nobis tamquam salutis nostræ præcipuum caput sacræ literæ considerandum sæpissime proponunt Parochus a tertii articuli explicatione ostendere incipiet, cujus hanc esse sententiam docebit: nos credere, & confiteri, eum ipsum Jesum Christum, unicum Dominum nostrum, Dei Filium cum pro nobis humanam carnem susceperit in utero Virginis, non ex virili semine, ut alii homines, sed supra omnem naturæ ordinem (a) Spiritus Sancti virtute conceptum esse, ita ut eadem persona Deus permanens, quod ex æternitate erat, Homo fieret, quod ante non erat. Ea autem verba ita accipienda

Quo consilio, & ratione Christus genus humanum liberaverit.

Sensus tertii articuli. Dam. lib. 3. cap. 1. & 3.

a) *Matth. 1. 20. Luc. 1. 35.*

pienda esse, ex sacri Concilii Constantinopolitani confessione plane perspicitur: inquit enim: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis; Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Atque id etiam sanctus Joannes Evangelista explicavit, ut qui ex ipsius Domini Salvatoris pectore altissimi hujus mysterii cognitionem hausisset: nam cum Divini Verbi naturam declarasset illis verbis. (a) *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* ad extremum concluſit: (b) *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Symb. Constantinop. quod extat cap. 7. Canonum ejusdem Conc. Similia habet Nic. Conc. Dam. lib. 3. de orth. fid. cap. 6.

a) *Joan. 1.*

b) *Ibid. 14.*

2. *Per temporariam nativitatem nulla facta fuit in Christo naturarum confusio.*

Verbum enim, quod divinæ naturæ hypostasis est, ita humanam naturam assumpsit, ut una, & eadem esset divinæ, & humanæ naturæ hypostasis, ac persona: quo factum est, ut tam admirabilis conjunctio utriusque naturæ actiones, & proprietates conservaret, atque, ut est apud Sanctum Leonem magnum illum Pontificem, *nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio.*

Duæ naturæ in una persona retinent utraque proprietates. Leo Ser. 1. de Nativ. Dom. Dam. lib. 3. c. 17.

3. *Solus Spiritus Sanctus Incarnationis opus non perfecit.*

Sed quoniam prætermittenda non est verborum explanatio, doceat Parochus, cum dicimus Dei Filium Spiritus Sancti virtute conceptum esse, unam hanc divinæ Trinitatis personam Incarnationis mysterium non confecisse. Quamvis enim unus Filius humanam naturam assumpserit, tamen omnes divinæ Trinitatis

Quidquid extra tres personarum Trinitatis proprietates fit divinitus, omnibus personis est commune. August. lib. 1. de Trin. cap. 4.

tatis perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, hujus myſterii auctores fuerunt: ſiquidem illa Chriſtianæ fidei regula tenenda eſt: Omnia, quæ Deus extra ſe in rebus creatis agit, tribus perſonis communia eſſe, neque unam magis, quam aliam, aut unam ſine alia agere. Quod autem una perſona ab alia procedat, hoc unum omnibus commune eſſe non poteſt: nam Filius a Patre tantum generatur, Spiritus Sanctus a Patre, & Filio procedit: quidquid vero extra illas ab ipſis proficiſcitur, tres perſonæ ſine ullo diſcrimine agunt: atque ex hoc genere Filii Dei Incarnatio cenſenda eſt. Quamquam vero hæc ita ſe habeant, ſolent tamen ſacræ literæ earum rerum, quæ omnibus perſonis communes ſunt, aliam aliis tribuere: Quemadmodum ſummam omnium rerum poteſtatem Patri, ſapientiam Filio, Spiritui ſancto amorem adſcribunt. Et quoniam divinæ Incarnationis myſterium ſingularem, atque immenſam Dei erga nos benignitatem declarat, ob eam rem peculiari quadam ratione hoc opus Spiritui Sancto tribuitur.

Proprietates, quæ in tribus Perſonis inveniuntur, non ſunt omnibus communes.
Dam. lib. 1. c. 10. & 11.
Incarnatio Patri, & Filio, & Spiritui Sancto etiam tribuenda.
Prov. 8.
Prov. 9.
Matth. 1.
Ambr. lib. 2. de Spir. Sanct. cap. 8.
Fulg. lib. 3. ad Thraſim. Reg. cap. 7.
Cur Spiritui S. tribuatur.
In Incarnatione Chriſti quædam ſecundum naturam, quædam ſupra naturam facta inveniuntur.
Dion. Areop. Ep. 3. ad Cajum.
Leo Pap. Ser. 2. de Nativ. Dom.
Ambr. l. de Incarn. Verb. c. 6.
Dam. lib. 3. c. 2. & lib. 4. c. 15.

4. Omnia ſupra naturæ ordinem in Chriſto conceptione facta non ſunt, ſed plurima.

In hoc myſterio quædam ſupra naturæ ordinem, quædam naturæ vi effecta eſſe animadvertimus. Nam, quod ex puriſſimo Virginis matris ſanguine Chriſti corpus formatum credimus, in eo naturam humanam agnoſcimus; cum illud omnium hominum corporibus commune ſit, ut ex matris ſanguine formentur. Quod vero, & naturæ ordinem, & humanam intelligentiam ſuperat, illud eſt: ſimul atque

a) *Luc.* 1. 38.

beata Virgo Angeli verbis assentiens dixit, (a) *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* statim sanctissimum Christi corpus formatum, eique anima rationis compos conjuncta est, atque ita in ipso temporis articulo perfectus Deus, & perfectus Homo fuit. Hoc autem novum fuisse, atque admirabile Spirtus Sancti opus, nemo dubitare potest; cum servato naturæ ordine, nullum corpus, nisi intra præscriptum temporis spatium hominis anima informari queat. Deinde vero illud accedit maxima admiratione dignum, quod, ut primum cum corpore anima conjuncta fuit, ipsa etiam divinitas cum corpore & anima copulata est: quare simul corpus formatum atque animatum est, corpori, & animæ divinitas conjuncta: ex quo fit, ut eodem temporis puncto perfectus Deus, & perfectus Homo esset, & Virgo sanctissima vere, & proprie mater Dei, & Hominis diceretur, quod eodem momento Deum, & Hominem concepisset. Hoc autem ab Angelo ei significatum est, cum ait: (b) *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Et eventu comprobatum est, quod Isaias prædixit: (c) *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Idem quoque Elisabeth, cum Spiritu Sancto repleta, Filii Dei conceptionem intellexisset, his verbis declaravit: (d) *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Sed quemadmodum Christi corpus ex purissimis integerrimæ Virginis sanguinibus, sine ulla viri opera, ut antea diximus, verum sola Spiritus Sancti vir-

Quo temporis articulo credatur Christi Corpus formatum in utero Virginis. Anastasius in Symb.

Quando divinitas sit humanitati conjuncta. Leo Pap Ser. 8. de Nat. Dom. Dam. lib. 3. c. 2.

Eodem momento Maria Deum & Hominem concepit.

b) *Luc.* 1. 31.

c) *Isa.* 7. 14.

d) *Luc.* 1. 43. *Dam. lib. 3. de orth. fid. cap. 2.*

Vir-

tute formatum est; ita etiam, ut primum conceptus est, illius anima uberrimam spiritus Dei copiam, atque omnem charismatum abundantiam accepit: neque enim, ut aliis hominibus, qui sanctitate, & gratia ornantur, ipsi ad mensuram, ut testatur sanctus Joannes, (a) *dat Deus Spiritum*, sed omnem gratiam tam affluenter in ejus animam infudit, (b) *ut de plenitudine ejus nos omnes acceperimus.*

In Christi anima fuit plenitudo omnis gratiæ.

a) *Joan. 3. 34.*

b) *Joan. 1. 16.*

5. Christus dici non potest filius Dei adoptivus.

Neque tamen Christum filium Dei adoptivum appellare licet: quamvis spiritum illum habuerit, quo sancti homines filiorum Dei adoptionem consequuntur: nam, cum natura filius Dei sit, adoptionis gratiam, aut nomen in eum convenire nullo modo existimandum est.

Christus dici non potest Filius Dei adoptivus, quia est hæresis Bonosiana 24. q. 3. c. 9. Ambr. lib. 1. de fide cap. 9. Dam. lib. 4. c. 8. Greg. Naz. Orat. 51.

6. Quid circa primam articuli partem præcipue meditandum sit?

Hæc sunt, quæ de admirabili conceptionis mysterio explicanda visa sunt: ex quibus, ut salutaris fructus ad nos redundare possit, illa in primis fideles memoria repetere, ac sæpius cogitare cum animis suis debent, Deum esse, qui humanam carnem assumpsit; ea vero ratione hominem factum, quam mente nobis assequi non licet, nedum verbis explicare: ob eum denique finem hominem fieri voluisse, ut nos homines filii Dei renascceremur. Hæc cum attente consideraverint, tum vero omnia mysteria, quæ hoc articulo continentur, humili, ac fideli animo credant, & adorent; nec curiose, quod sine periculo vix unquam fieri potest, illa investigare, ac perscrutari velint.

Cur Deus incarnatus. Athan. disput. habita in Con. Nic. contra Arium. Gregor. Naz. carm. 7. de Filio. Dam. lib. 3. c. 15. Ambr. lib. 4. in Lucam. Cant. 4. Vulnerasti cor meum &c. Vulnus cordis, vulnus amoris. Hebr. 2. Decebat enim eum, &c.

7. Christum ex Maria Virgine natum quid sit?

Natus ex Maria Virgine. Hæc altera est hujus Articuli pars, in qua explicanda Parochus diligenter versabitur, cum fidelibus credendum sit, Jesum Dominum non solum conceptum Spiritus Sancti virtute, sed etiam ex Maria Virgine natum, & in lucem editum esse. Cujus mysterii fides quanta cum lætitia &, jucunditate animi meditanda sit, Angeli vox qui primus felicissimum nuncium mundo attulit, declarat: inquit enim; (a) *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Tum ex illius cœlestis militiæ cantico, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, quod Angeli cecinerunt, facile est intelligere. Hinc etiam amplissimum illud Dei promissum ad Abraham impleri incepit, cui dictum est, (b) fore aliquando, ut in ejus semine omnes gentes benedicerentur. Maria enim, quam vere matrem Dei prædicamus, & colimus, quod eam personam, quæ simul Deus, & Homo erat, peperit, (c) a Davide Rege originem duxit.

Nativitas Christi quanta lætitiæ causa.

a) *Luc. 2. 10. Maria dicitur Mater Dei per communicationem idiomatum sicut & aliæ dicuntur matres simul animæ & corporis ita Maria Dei & hominis. Dam. lib. 3. c. 12.*

b) *Gen. 22. 18. Maria quomodo Deipara sit. Quia Filius Dei subsistit in natura assumpta.*

c) *Matth. 1. 18. Christi ortus quam fuerit admirabilis.*

8. Christus secundum communem naturæ cursum non est natus.

Sed quemadmodum conceptio ipsa naturæ ordinem prorsus vincit; ita in ortu nihil non divinum licet contemplari. Præterea, quo nihil admirabilius dici omnino, aut cogitari potest, nascitur ex matre sine ulla maternæ virginitatis diminutione, & (d) quomodo postea ex sepulchro clauso, & obsignato egressus est, (e) atque ad discipulos clausis januis introivit; vel, ne a rebus etiam, quæ natura quotidie fieri videmus, discedatur, quomodo Solis

d) *Matt. 28. 2.*

e) *Joan. 20. 26.*

Similitudo, qua ostenditur Christi ortus qualis sit.

Solis radii concretam vitri ſubſtantiam penetrant neque frangunt tamen, aut aliqua ex parte lædunt: ſimili, inquam, & altiori modo, Jeſus Chriſtus ex materno alvo, ſine ullo maternæ virginitatis detrimento editus eſt: ipſius enim incorruptam, & perpetuam virginitatem veriſſimis laudibus celebramus. Quod quidem Spiritus Sancti virtute effectum eſt, qui in filii conceptione, & partu, Matri ita affuit, ut ei & fœcunditatem dederit, & perpetuam virginitatem conſervarit.

Maria perpetua virginitas Spiritus Sancti virtute fuit conſervata.

9. *Chriſtus ſecundus Adam, & Maria altera Eva recte dicitur.*

Solet interdum (a) Apoſtolus Chriſtum Jeſum noviſſimum Adam appellare, eumque primo Adam conferre: nam, ut in primo omnes homines moriuntur, ita in ſecundo omnes ad vitam revocantur: atque ut Adam, quod ad naturalem conditionem pertinet, humani generis parens fuit, ita Chriſtus gratiæ, & gloriæ auctor eſt. Ad eum modum nobis etiam licet Virginem matrem cum Eva ita conferre, ut priori Evæ ſecunda Eva, quæ eſt Maria, reſpondeat, quemadmodum ſecundum Adam, hoc eſt Chriſtum, primo Adam reſpondere oſtendimus. Eva enim, (b) quia ſerpenti fidem habuit maledictum, & mortem in humanum genus invexit; & Maria poſtquam (c) Angelo credidit, Dei bonitate effectum eſt, ut benedictio, & vita ad homines perveniret. Propter Evam (d) naſcimur filii iræ: a Maria Jeſum Chriſtum accepimus, per quem filii gratiæ regeneramur. Evæ dictum eſt: (e) *In dolore paries filios.* Maria hac lege ſoluta eſt, ut

a) *Rom. 5. 12. 1. Cor. 15. 21. Chriſtus Adamo frequenter comparatus, & ſecundus Adam dictus. Mariæ cum Eva comparatio, & quod illa ſit altera Eva. Vide comparationem Mariæ cum Eva apud Iren. lib. 3. c. 33. & lib. 5. cap. 19.*

b) *Gen. 3.*

c) *Luc. 2.*

d) *Epheſ. 2.*

e) *Gen. 3. 16.*

quæ salva virginalis pudicitiæ integritate; sine ullo doloris sensu, ut ante dictum est, Jesum filium Dei peperit.

10. Quibus præcipue figuris, ac prophetiis conceptionis, & nativitatis Christi sacramenta adumbrata sint.

Prophetiæ, & figuræ Conceptionis & Nativitatis Jesu Christi.

Cum igitur tanta, & tam multa sint admirandæ hujus conceptionis, & nativitatis Sacramenta divinæ providentiæ consentaneum fuit, ut ea multis figuris, & oraculis significarentur. Quare huc pertinere sancti doctores intellexerunt multa, quæ in variis Sacræ Scripturæ locis legimus: præcipue vero portam illam sanctuarii, (a) quam Ezechiel clausam vidit: (b) item lapidem de monte sine manibus abcissum, ut est apud Danielem; qui *factus est magnus mons, & implevit universam terram:* deinde (c) Aaron virgam, quæ una inter virgas principium Israelis germinavit: (d) & Rubum, quem Moyses vidit ardere, & non comburi. Multis verbis sanctus (e) Evangelista Christi nativitatis historiam descripsit: qua de re nihil est, quod plura a nobis dicantur, cum ea lectio Parocho in promptu sit.

a) *Ezech. 44. 2. Vide Hieron. ad Pammach.*

b) *Dan. 2. 35. Vide Iren. lib. 3. cap. 23.*

c) *Num. 17. 8.*

d) *Exod. 3. 2.*

e) *Luc. 2. per tot. fere cap.*

11. Incarnationis mysterium sæpius populo est inculcandum, quidque utilitatis ex ejus meditatione capiatur.

Rom. 15. 4. Incarnationis mysterium sæpius populo inculcandum, ut sint grati tanto benefactori, & ejus humilitatem imitentur.

Danda autem illi est opera, ut hæc mysteria, quæ ad doctrinam nostram scripta sunt, infixa animo, & mentibus fidelium hæreant, primum quidem, ut tanti beneficii commemoratione aliquam gratiam ejus auctori Deo referant; deinde, ut eximium hoc, & singulare humilitatis exemplum eis ante oculos ad imitandum propo-

nat. Quid enim nobis utilius, atque ad animorum noſtrorum ſuperbiam, & elationem comprimendam accommodatius eſſe poteſt, quam ſæpius cogitare, Deum ita ſeſe humiliare, ut cum hominibus gloriam ſuam communicet, & hominum infirmitatem, fragilitatemque aſſumat? Deum hominem fieri, ſummamque illam, & infinitam majeſtatem homini miniſtrare? (a) *ad cujus nutum columnæ cœli*, ut inquit Scriptura: *contremiſcunt, & pavent:* eumque in terra naſci, (b) quem in Cœlis Angeli adorant? Quid igitur, cum hæc Deus noſtra cauſa faciat, quid, inquam, nos, ut illi obſequamur, facere oportet? quam libenti, atque alacri animo debemus omnia humilitatis officia amare, amplecti, præſtare? Videant fideles, quam ſalutari doctrina Chriſtus naſcens nos inſtituat, antequam vocem aliquam emittere incipiat. Naſcitur egenus: naſcitur ut peregrinus in diverſorio: naſcitur in vili præſepio: naſcitur media hyeme: ita enim ſcribit ſanctus Lucas: (c) *factum eſt, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies, ut pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio.* Potuitne Evangeliſta humilioribus verbis omnem cœli, & terræ majeſtatem, & gloriam includere? Neque vero ſcribit, non fuiſſe locum in diverſorio, ſed ei non fuiſſe, qui dicit: (d) *Meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus.* Quod etiam alius Evangeliſta teſtatus eſt: (e) *In propria venit & ſui eum non receperunt.* Hæc cum fideles ſibi ante oculos propoſuerint, tum vero cogitent, Deum carnis noſtræ humilitatem, & fragilitatem ſubire voluiſſe, ut humanum genus in altiſſimo dignitatis gradu collocaretur. Nam illud

a) *Job. 26. 11.*

b) *Pſal. 96. 7.*

c) *Luc. 2. 6. 7.*

d) *Pſal. 49. 12.*

e) *Joan. 1. 11.*

Incarnationis Filii Dei myſterium, quanto pietatis ſtudio recolendum. Hominis quanta dignitas.

lud unum ſatis declarat excellentem hominis dignitatem, & præſtantiam, quæ illi divino beneficio tributa eſt, quod homo fuerit, qui idem verus, & perfectus Deus ſit: ut jam gloriari nobis liceat, Filum Dei (a) os noſtrum, & carnem noſtram eſſe: quod beatiſſimis illis ſpiritibus non licet. *Nuſquam enim*, ut eſt apud (b) Apoſtolum, *Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Præterea cavendum eſt, ne maximo noſtro malo eveniat, ut, quemadmodum illi in diverſorio Bethlehem locus, ubi naſceretur, defuit; ita etiam, quando jam in carne non naſcitur, locum in cordibus noſtris invenire non poſſit, ubi in ſpiritu naſcatur. Hoc enim, cum ſalutis noſtræ cupidiſſimus ſit, vehementer optat: nam, ut ille Spiritus Sancti virtute ſupra naturæ ordinem homo factus, & natus eſt, ſanctuſque, atque adeo ſanctitas ipſa fuit: ita nos oportet, (c) non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo naſci, ac deinde veluti (d) novam creaturam (e) in novitate ſpiritus ambulare, ſanctitatem illam, ac mentis integritatem cuſtodire, quæ homines ſpiritu Dei regeneratos maxime decet: hac enim ratione ſanctæ hujus Filii Dei conceptionis, & nativitatis imaginem aliquam in nobis ipſis exprimemus, quam fideli animo credimus, & credimus, & credentes (f) Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, ſuſpicimus, & adoramus.

a) *Geneſ. 2. 23.*

b) *Hebr. 2. 16.*

Domicilium Chriſto in cordibus noſtris parandum.

c) *Joan. 1. 13.*

d) *Gal. 6. 15.*

e) *Rom. 6. 4.*

Filii Dei nativitatis imago quomodo in nobis ipſis exprimi poſſit.

f) *1. Cor. 2. 7.*

DE QUARTO ARTICULO,

CAPUT V.

PASSUS SUB PONTIO PILATO, CRUCIFIXUS, MORTUUS, ET SEPULTUS.

1. Articuli quarti cognoſcendi neceſſitas, & ejus ſententia.

Quantam habeat neceſſitatem hujus articuli cognitio, & quam diligenter Parochus curare debeat, ut fideles Dominicæ Paſſionis memoriam ſæpiſſime animo repetant, (a) docet Apoſtolus, qui nihil aliud ſe ſcire teſtatus eſt, *niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Quare in hoc argumento omne ſtudium, & opera adhibenda eſt, ut quam maxime illuſtretur, fideleſque tanti beneficii commemoratione excitati, totos ſe ad Dei erga nos amorem, & bonitatem ſuſpiciendam convertant. Fides itaque priore articuli parte (nam de altera poſtea dicetur) illud nobis credendum proponit, *Chriſtum Dominum*, cum Pontius Pilatus Tiberii Cæſaris juſſu Judæam provinciam adminiſtraret, cruci affixum eſſe, nam captus, irriſus, variis injuriarum, & cruciatuum generibus affectus, demum in crucem ſublatus eſt.

a) *1. Cor. 2. 2. Senſus prioris partis articuli.*

2. Anima Chriſti cruciatus ſenſit ſecundum utramque portionem.

Nec vero cuiquam dubitandum eſt, Chriſti animam, quod ad inferiorem partem attinet, ab iis cruciatibus liberam non fuiſſe: nam,

Repleta eſt malis anima Chriſti. Pſal. 87. Pſal. 68. Thren. 1.

Ego plorans, &c. Thren. 3. Inundaverunt aquæ &c. Tam. lib. 3. cap. 23. in fine. Scot. in 3. Sent. Dist. 15. Greg. Naz. Or. 52.

quod humanam naturam vere assumpsit: necesse est fateri, animo etiam gravissimum dolorem sensisse: quare inquit: (a) *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Nam etsi personæ divinæ humana natura conjuncta fuit, tamen propter eam conjunctionem nihilo minus passionis acerbitatem sensit, quam si ea conjunctio facta non fuisset; cum in una Jesu Christi persona utriusque naturæ, divinæ, & humanæ proprietates servatæ sint: atque idcirco, quod erat passibile, & mortale passibile, & mortale permansit: rursus vero, quod impassibile, & immortale erat, qualem esse divinam naturam intelligimus, suam proprietatem retinuit.

a) *Marc. 14. 34.*

In una Christi persona duarum naturarum proprietates sunt servatæ. Dam. lib. 3. c. 13.

3. Cur in Symbolo exprimatur, sub quo Judææ Præside Christus sit passus?

Quod autem hoc loco tam diligenter observari videmus, Jesum Christum eo tempore passum esse, quo Pontius Pilatus Judæam provinciam procuraret, id ea re factum esse docebit Parochus, quia tantæ rei, & tam necessariæ cognitio exploratior omnibus esse poterat, si rei gestæ certum (quod & ab (b) Apostolo Paulo factum legimus) tempus describeretur: tum etiam, quia iis verbis declaratur, illam Salvatoris prædictionem exitu comprobatam esse: (c) *Tradent*, inquit, *eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

b) *1. Tim. 6. 13.*

c) *Matth. 20. 19.*

4. Non temere accidit, quod Christus in ligno crucis mortem est perpessus.

Hoc opus nostræ salutis, &c. Hymno de Passione Domini.

Sed, quod potissimum in ligno crucis mortem pertulit, hoc etiam divino consilio tribuendum est, *ut* scilicet, (d) *unde mors oriebatur, inde vita resurgeret:* serpens enim, (e) qui in

d) *Præfatio Missæ de S. Cruce.*

c) *Gen. 2. 23.*

ligno

ligno primos parentes vicerat, victus est a Christo in ligno crucis. Plures ejus rei afferri rationes possunt, quas sancti (a) Patres latius persecuti sunt, ut ostendamus consentaneum fuisse, Redemptorem nostrum mortem crucis potissimum subire. Verum satis esse Parochus admoneat, si fideles credant, illud genus mortis a Salvatore delectum esse, quod quidem ad humani generis redemptionem aptius, atque accommodatius videretur; quemadmodum certe nullum turpius, atque indignius esse potuit. Non solum enim apud Gentiles crucis supplicium execrandum, & dedecoris, ignominiæque pleniſſimum semper existimatum est; verum etiam in lege Moysis (b) *maledictus homo* appellatur, *qui pendet in ligno.*

a) *Vide inter cæteros Irenæum lib. 4. cap. 17.*

Crucis supplicium apud Gentiles, & Judæos fuit execrandum.

b) *Deut. 21. 23. Gal. 3. 13.*

5. Historia passionis Christi frequentius populo est replicanda.

Neque vero Parochus hujus articuli historiam prætermittet, quæ diligentissime a sanctis Evangelistis expositа est, ut saltem summa ejus mysterii capita, quæ ad confirmandam fidei nostræ veritatem magis necessaria videntur, fideles cognita habeant. Hoc enim articulo, veluti fundamento quodam Christiana religio, & fides nititur: eoque posito, reliqua omnia recte constituta sunt. Nam si quid aliud humanæ menti, & intelligentiæ difficultatem affert, certe crucis mysterium omnium difficillimum existimandum est: vixque percipi a nobis potest, salutem nostram ex cruce ipsa, & ex eo, qui pro nobis ligno illi affixus est, pendere. Sed in hoc, ut docet Apostolus, summam Dei providentiam licet admirari. (c) *Nam, quia*

Quam necessaria hujus quarti articuli professio, & fides mysterii absconditi in cruce. Crucis mysterium creditur omnium difficillimum; unde Gnostici Christum negabant cruci fuisse affixum, sed illius loco Simonem Cyrenæum, Iren. lib. 1. cap. 23.

c) *1. Cor. 1. 18.*

quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quare mirandum non eſt, ſi Prophetæ ante Chriſti adventum, & Apoſtoli poſt ejus mortem, & reſurrectionem tantopere laborarunt, ut hominibus perſuaderent, hunc eſſe mundi Redemptorem, eoſque in Crucifixi poteſtatem, atque obedientiam redigerent. Quare Dominus, cum nihil tam ab humana ratione remotum eſſet, quam crucis myſterium, ſtatim poſt peccatum nunquam deſtitit tum figuris, tum Prophetarum oraculis Filii ſui mortem ſignificare. Atque, ut de figuris pauca quædam attingamus, (a) Abel primum, qui fratris invidia occiſus eſt, deinde (b) Iſaac ſacrificium, præterea (c) agnus, quem Judæi, cum e terra Ægypti egrederentur, immolarunt, tum (d) ſerpens æneus, quem Moyſes in deſerto exaltavit, Chriſti Domini paſſionis, ac mortis figuram præmonſtrabant. Quod autem ad Prophetas pertinet, quam multi extiterint, qui de ea vaticinati ſunt, id vero multo notius eſt, quam ut explicari hoc loco oporteat. Sed præ cæteris, ut (e) Davidem omittamus, qui omnia præcipua redemptionis noſtræ myſteria in Pſalmis complexus eſt, (f) Iſaiæ oracula tam aperta, & clara ſunt, ut recte dici queat, eum potius rem geſtam expoſuiſſe, quam futuram prædixiſſe.

Prophetæ, Apoſtoli & Deus ipſe, aut tantopere inculcarint crucis, & paſſionis myſteria.

Figuræ mortis Chriſti.

a) *Gen. 4. 8.*

b) *Gen. 22. 6. 7.*

c) *Exod. 12. 5. 6. 7.*

d) *Num. 21. 8. 9. Joan. 3. 14.*

e) *Pſal. 2. & 21. 68. 109. Hier. in Epiſt. ad Paulinum.*

f) *Iſa. 53.*

6. *Quid hæc clauſula*, mortuus, & ſepultus, *credendum ſignificet?*

Mortuus, & ſepultus. His verbis Parochus credendum explicabit, Jeſum Chriſtum, poſtquam crucifixus eſt, vere mortuum ac ſepultum

Chriſtus vere in cruce fuit mortuus.

tum esse. Neque vero sine causa hoc separatim fidelibus credendum proponitur, cum non defuerint, qui eum in cruce mortuum negarent. Illi igitur errori hanc fidei doctrinam sancti Apostoli merito opponendam censuerunt: de cujus articuli veritate dubitandi nullus nobis locus relinquitur: nam omnes (a) Evangelistæ consentiunt, Jesum spiritum emisisse. Præterea, cum Christus verus, & perfectus homo fuerit, vere etiam mori potuit: moritur autem homo, cum anima separatur a corpore. Quare, cum Jesum mortuum esse dicimus, id significamus, ejus animam a corpore divisam esse: neque tamen concedimus divinitatem sejunctum a corpore: quin potius constanter credimus, & confitemur, anima ejus a corpore divisa, divinitatem tum corpori in sepulchro, tum animæ apud inferos conjunctam semper fuisse. (b) Decebat autem Filium Dei mori, *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium*, id est Diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.

Gnostici Christum mortuum negarunt. Iren. Tertul. lib. de præscript. Epiph.

a) *Matt. 27. 50. Marc. 15. 37. Joan. 19. 30.*

Morte Christi divinitas a corpore vel anima non fuit separata.

b) *Heb. 2. 14. Dam. lib. 3. cap. 27.*

7. Invitus, & coactus mortem Christus non subiit.

Sed illud in Christo Domino singulare fuit, quod tunc mortuus est, cum ipse mori decrevit; & mortem non tam aliena vi illatam, quam voluntariam obiit. Nec vero mortem solum, sed locum etiam, & tempus, in quo moreretur, ipse sibi constituit: ita enim Isaias scripsit: (c) *Oblatus est, quia ipse voluit.* Atque idem Dominus de se ante passionem dixit: (d) *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam; nemo tolit eam a me, sed ego pono eam a me ipso:*

Mors Christi fuit voluntaria.

c) *Isai. 53. 7.*

d) *Joan. 10. 17.*

pote-

potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Quod autem ad tempus, & locum attinet, cum Herodes ejus vitæ insidiaretur, ipse inquit: (a) *Dicite vulpi illi, ecce ejicio Dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consumor; verumtamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare; quia non capit Prophetam perire extra Hierusalem.* Ille igitur nihil invitus, aut coactus fecit, sed ipse sese volens obtulit, atque inimicis suis obviam procedens dixit: (b) *Ego sum:* & sponte sua ea omnia supplicia pertulit, quibus illum injuste, & crudeliter affecerunt: quo quidem nihil ad commovendos animi nostri sensus majorem vim habere potest, cum pœnas, tormentaque ejus omnia cogitatione perpendimus. Nam, si quispiam nostra causa omnes dolores patiatur, non quos ipse sua voluntate suscipiat, sed quos vitare nequeat: hoc vero haud magni beneficii loco a nobis ponetur: Verum si nostro tantum nomine mortem, quam defugere poterat, libenter occumbat, profecto hoc beneficii genus tantum est, ut omnem non solum referendæ, sed etiam habendæ gratiæ facultatem vel gratissimo cuique eripiat: ex quo Jesu Christi summa, & eximia charitas, ejusque divinum, & immensum in nos meritum perspici potest.

a) *Luc. 13. 32.*

b) *Joan. 18. 5.*

Magnitudo beneficii passionis ex eo, quod fuerit ultronea, considerari debet.

8. Cur Christum non modo mortuum, sed etiam sepultum esse dicamus?

Deum dicimus mortuum, & sepultum propter unitatem personæ, & communicationem idiomatum:

Jam vero quod sepultum fuisse confitemur, hoc quidem veluti articuli pars non constituitur, quod novam aliquam difficultatem habeat, præter ea, quæ jam de morte dicta sunt. Nam,

si

si Christum mortuum credimus, facile etiam nobis persuaderi potest, eum sepultum esse. Verum hoc additum est, primum, ut minus dubitare de morte liceat; cum maximo argumento sit aliquem mortuum esse, si ejus corpus sepultum probemus: deinde, ut resurrectionis miraculum magis declaretur, atque eluceat. Neque vero hoc solum credimus, Christi corpus mortuum esse, sed illud præcipue his verbis credendum proponitur, Deum sepultum esse: quemadmodum ex fidei Catholicæ regula verissime etiam dicimus: Deum mortuum, & ex Virgine natum esse: nam, cum divinitas nunquam divisa fuerit a corpore, quod in sepulchro conditum est, recte confitemur Deum sepultum esse.

erat enim totus Deus in sepulchro, & totus Deus in inferno, totus, sed non in totum. Dam. lib. 3. de orth. fid. cap. 7. Fulg. lib. 3. ad Tra. c. 25. & 27. Christus quod semel assumpsit, nunquam dimisit.

9. Quæ circa mortem, & sepulturam Christi sint maxime observanda?

Ac de genere quidem, & loco sepulturæ illa Parocho satis erunt, quæ a sanctis (a) Evangelistis dicta sunt. Duo vero in primis observanda sunt: alterum, Christi corpus in sepulchro nulla ex parte corruptum esse: de quo Propheta ita vaticinatus erat; (b) *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:* Alterum est, quod ad omnes hujus articuli partes attinet, sepulturam scilicet, passionem etiam, & mortem Christo Jesu, ut homini, non ut Deo convenire: nam pati & mori in humanam tantum naturam cadunt: quamvis Deo etiam hæc omnia tribuantur: quoniam de illa persona, quæ simul (c) *perfectus Deus, & perfectus homo fuit*, recte dici perspicuum est.

Circa mortem & sepulturam Christi duo maxime observanda.

a) *Matt. 27. 58. 59. Marc. 15. 46. Luc. 23. 53. Joan. 19. 38. 39.*

b) *Psal. 15. 10. Actor. 2. 31.*

Quomodo Deus nec patitur, nec moritur, & tamen recte dicitur Deus passus & mortus.

c) *Ath. in Symbol. Fulg. lib. 3. ad Tras. Reg. c. 30. 31.*

10. Qua

10. Qua ratione contemplari oporteat paſſionis Chriſti beneficium.

His cognitis, ea de Chriſti paſſione, & morte Parochus explicabit, ex quibus tanti myſterii immenſitatem ſi non comprehendere, contemplari ſaltem fideles poſſint. Ac primum quidem conſiderandum eſt, quis ille ſit, qui hæc omnia patitur. Et quidem nullis verbis ejus dignitatem explicare, aut mente comprehendere poſſumus. Sanctus Joannes (a) *Verbum* eſſe dicit, *quod erat apud Deum.* Apoſtolus magnificis verbis deſcribit in hunc modum: (b) Eſſe eum, *quem Deus conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula, qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ. Hic igitur purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis.* Atque, ut uno verbo complectamur, patitur Jeſus Chriſtus Deus, & homo: patitur Creator pro iis, quos ipſe condidit: patitur Dominus pro ſervis: patitur is, per quem Angeli, homines, cœli, elementa facta ſunt: ille, in quam, (c) *in quo, per quem, & ex quo ſunt omnia.* Quare mirandum non eſt, ſi eo tot paſſionum tormentis commoto, totum etiam ædificium concuſſum eſt: nam, ut inquit Scriptura, (d) *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt:* (e) *tenebræ* etiam *factæ ſunt per univerſam terram, & Sol obſcuratus eſt.* Quod ſi mutæ etiam res, & ſenſu carentes Creatoris ſui paſſionem luxerunt, cogitent fideles, quibus lacrymis ipſi, tanquam (f) vivi lapides hujus ædificii, dolorem ſuum declarare debeant.

a) *Joan.* 1. 1.

b) *Hebr.* 1. 2. 3. *Sap.* 7. 2. *Cor.* 4.

c) *Rom.* 11. 36.

d) *Matt.* 27. 51.

e) *Luc.* 22. 44. 45.

f) 1. *Petri* 2. 5. *Oſea* 11.

11. Cur Christus voluerit extrema pati, quidque sentiendum de his sit, qui Christianismum professi, in peccatis sordescunt.

Jam vero causæ etiam passionis exponendæ sunt, ut eo magis divinæ erga nos charitatis magnitudo, & vis appareat. Si quis igitur quærat, quæ causa fuerit, cur Filius Dei acerbissimam passionem subierit, hanc potissimum fuisse inveniet, (præter hæreditariam labem primorum parentum) vitia, & peccata, quæ homines a mundi origine usque ad hanc diem admiserunt, ac deinceps usque ad consummationem sæculi admissuri sunt. Hoc enim in passione, & morte Filius Dei Salvator noster spectavit, ut omnium ætatum peccata redimeret, ac deleret, & pro eis Patri abunde, cumulateque satisfaceret. Illud etiam accedit ad augendam rei dignitatem, quod non solum Christus pro peccatoribus passus est, sed etiam pro illis, qui pœnarum omnium, quas pertulit, Auctores, & Ministri fuerunt: de quo Apostolus nos admonet, ita ad Hebræos scribens: (a) *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Atque hac culpa omnes teneri judicandum est, qui in peccata sæpius prolabuntur. Nam, cum peccata nostra Christum Dominum impulerint, ut Crucis supplicium subiret: profecto qui in flagitiis, & sceleribus volutantur, *rursus*, quod in ipsis est, (b) *crucifigunt in semetipsis Filium Dei, & ostentui habent.* Quod quidem scelus eo gravius in nobis videri potest, quam fuerit Judæis, quod illi, eodem Apostolo teste, (c)

Joan. 3. Sic Deus &c. Rom. 5. Commendat charitatem. Quod potuit gutta, voluit unda, ut nos magis alliceret ad amorem suum. Pondera ly. omnium ætatum, quia incarnatus est in medio annorum, ut omnes æqualiter participarent in tertio millenario & medio. Abac. 3.

a) *Hebr. 12. 3. Et de rigore justitiæ erat necessarium, quod esset Deus, & homo. O vere necessarium, Ada peccatum, &c. Aug. in Bened. Cerei Pasch. Relabentes sæpius in scelera Deum, iterum crucifigunt, & gravius plerumque quam Judæi.*

b) *Hebr. 6. 6.*

c) *1. Cor. 2. 8.*

Joan. 3. Rom. 8. Ephes. 5. Matth. 4.

Si cognovissent, nunquam Dominum Gloriæ crucifixissent: nos autem & nosse eum profitemur; & tamen factis negantes, quodammodo violentas ei manus videmur inferre.

12. Christus a Patre, & a semetipso etiam traditus est.

Sed a Patre etiam, & a semetipso Christum Dominum traditum esse Sacræ literæ testantur: inquit enim apud Isaiam, (a) *Propter scelus populi mei percussi eum.* Et paulo ante idem Propheta, cum Dominum plagis, & vulneribus affectum spiritu Dei plenus videret, dixit: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* De Filio autem scriptum est: (b) *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Sed eandem rem Apostolus gravioribus etiam verbis expressit, cum tamen ex altera parte vellet ostendere quantum nobis de immensa Dei misericordia, & bonitate sperare liceat: inquit enim: (c) *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum illo omnia nobis * donavit?*

a) Isa. 53. 8.

Ambr. lib. 1. de fide ad Grat. c. 7. & lib. 1. de Spiritu Sancto c. 12.

b) Ibid. 10.

c) Rom. 8. 32. 33.

* Donabit. Græca, & Syriaca exemplaria.

13. Christus tormentorum acerbitatem corpore, & animo vere sensit.

Acerbitas passionis.

Sequitur nunc, ut, quanta fuerit passionis acerbitas, Parochus doceat: quamquam, si memoria teneamus (d) sudorem Domini factum, ut guttas sanguinis * * decurrentis in terram, cum ille tormenta, & cruciatus animo perciperet, quibus paulo post afficiendus erat, facile ex eo unusquisque intelliget, nihil ad illum dolorem addi potuisse. Nam, si malorum imminentium cogitatio tam acerba fuit, (e) id

d) Luc. 22. 44.

** Decurrentes habet Græcus textus.

e) Ibid.

quod

quod ſanguinis ſudor declaravit, quid ipſam perpeſſionem fuiſſe exiſtimandum eſt?

Chriſtus in corpore quanta pertulit.

Sed tamen Chriſtum Dominum ſummis tum animi, tum corporis doloribus affectum eſſe conſtat. Ac primum quidem nulla fuit ejus corporis pars, quæ graviſſimas pœnas non ſenſerit: nam & pedes, & manus clavis cruci affixæ, caput ſpinis compunctum, & arundine percuſſum, facies ſputis fœdata, alapis cæſa, totum corpus flagellis verberatum eſt. Prætera omnium & generum, & ordinum homines (a) *convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* (b) Gentes enim, & Judæi paſſionis ſuaſores, auctores, miniſtri fuerunt. Judas eum prodidit, Petrus negavit, cæteri omnes deſeruerunt. Jam vero in cruce ipſa acerbitatemne, an ignominiam, an utrumque ſimul queremur? Ac profecto nullum aut turpius genus mortis, aut acerbius excogitari eo potuit, quo affici nonniſi nocentiſſimi, & ſceleratiſſimi homines conſueverunt, & in quo ſummi doloris, & cruciatus ſenſum mortis diuturnitas vehementiorem efficiebat. Augebat autem pœnarum magnitudinem ipſa Chriſti Jeſu corporis conſtitutio, & habitus: quod quidem cum Spirtus virtute formatum eſſet, multo perfectius, & temperatius fuit, quam aliorum hominum corpora eſſe poſſunt; atque ideo acriorem quoque ſentiendi vim habuit, & gravius tormenta illa omnia perpeſſum eſt.

a) *Pſal. 2. 2.*

b) *Matt. 26. 27. Marc. 14. 15. Luc. 22. 25. Joan. 13. 19.*

Mortis Chriſti genus acerbiſſimum, & ignominioſiſſimum.

Corpus Chriſti perfectiſſimum & temperatiſſimum fuit.

Quod vero ad intimum animi dolorem pertinet, nemo dubitare poteſt, quin ſummus in Chriſto fuerit: ſanctis enim hominibus, quicumque ſupplicia, & cruciatus pertulerunt,

2. Cor. 4. 7. In omnibus tribulationem, &c. uſque ad Non perimus.

Nam Christus angustiatus est a conterraneis, destitutus ab Apostolis, derelictus a Deo, confusus a Judæo.

non defuit animæ solatium divinitus datum, quo recreati tormentorum vim æquo animo ferre possent: imo vero in cruciatibus plerique intima lætitia efferebantur: inquit enim Apostolus: (a) *Gaudeo in passionibus pro vobis: & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia:* & alibi; (b) *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Verum Christus Dominus amarissimæ Passionis calicem, (c) quem bibit, nulla suavitate permista temperavit. Humanæ enim naturæ, quam assumpserat, sentire omnia tormenta permisit, non secus, ac si homo, non etiam Deus fuisset.

a) *Col. 1. 24.*

b) *2. Cor. 7. 4.*

c) *Matt. 26. 39.*
Psal. 68.
Et sustinui &c.
Et 141. Considerabam.
Thren. 1.
Longe factus est &c.

14. Quæ potissimum commoda, & bona Christiano generi Christi passio pepererit.

Reliquum modo est, ut commoda etiam, & bona, quæ ex Passione Domini percepimus, a Parocho accurate explicentur. Primum igitur Domini Passio peccati liberatio fuit: nam, ut est apud Sanctum Joannem, (d) *dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et Apostolus inquit: (e) *Convivificavit vos cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Deinde a dæmonis tyrannide nos eripuit: ipse enim Dominus inquit: (f) *Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras: & ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Pœnam præterea peccatis nostris debitam persolvit. Tum vero, quia nullum gratius, & acceptius Deo sacrificium offerri potuit, (g) Patri nos reconciliavit, eumque

Luca 22. Apparuit illi Angelus de cœlo, &c. nota ly, Confortans.
Et solve ex Psal. 9. Exurge Domine &c. vene & subtiliter meditando quanam illa confortatio?
Primus fructus passionis Christi.

d) *Apoc. 1. 5.*

e) *Col. 2. 13.*
Secundus.

f) *Joan. 12. 31.*
Tertius.
Quartus.

g) *Rom. 5. 10. 2. Cor. 5. 18.*
Quintus.

nobis

nobis placatum, & propitium reddidit. Postremo, quoniam peccata sustulit, cœlorum etiam aditum communi humani generis peccato intercluſum, nobis patefecit. Atque id Apoſtolus ſignificavit illis verbis: (a) *Habemus fiduciam in introitu ſanctorum, in ſanguine Chriſti.* Neque vero in veteri lege hujus myſterii figura, & imago quædam defuit; nam illi, (b) quibus interdictum erat, ne in patriam ante ſummi ſacerdotis mortem reverterentur, hoc ſignificabant, nemini, quamvis juſte, & pie vixiſſet, aditum in cœleſtem patriam patere, antequam ſummus ille, atque æternus ſacerdos Chriſtus Jeſus mortem obiret: qua quidem obita, ſtatim cœli fores patuerunt iis, qui Sacramentis expiati, fideque, ſpe, & charitate præditi, paſſionis ejus participes fiunt.

a) *Hebr. 10. 19.*

b) *Num. 35. 25. Patribus veteris teſtamenti ante Chriſti mortem cœli aditus non patuit, vide Iren. lib. 5. cap. 21. Tertul. lib. 4. ad Marcionem Orig. in cap. 5. ad Rom.*

15. Unde vim habuerit Chriſti paſſio ad tanta nobis bona promerenda.

Hæc autem omnia maxima, & divina bona Parochus docebit ex Domini paſſione ad nos perveniſſe: primum quidem, quia eſt integra atque omnibus numeris perfecta ſatisfactio, quam admirabili quadam ratione Jeſus Chriſtus pro peccatis noſtris Deo Patri perſolvit. Neque vero pretium, quod pro nobis perſolvit, Neque vero pretium, quod pro nobis perſolvit, debitis noſtris par ſolum, & æquale fuit, verum ea longe ſuperavit. Deinde ſacrificium Deo acceptiſſimum fuit; quod cum illi filius in ara crucis obtulit, patris iram, atque indignationem prorſus mitigavit, atque hoc nomine Apoſtolus uſus eſt, cum inquit: (c) *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblatio-*

1. Reg. 9. Quia de induſtria &c. Matth. 27. Et cum duſtaſſet. 1. Petri 2. Chriſtus paſſus eſt &c. Chriſti paſſio verum ſacrificium.

c) *Epheſ. 5. 2. Redemptio.*

nem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Præterea redemptio, de qua est apud Apostolorum Principem (a) *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati:* & Apostolus docet: (b) *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

a) 1. *Petri* 1. 18. *Apoc.* 5. *Redemisti nos Domine, &c. nota illa* 4. *ex omni tribu, & lingua &c.*

b) *Gal.* 3. 13.

16. In Christi passione sunt omnium virtutum exempla.

Sextus Christi passionis fructus.

Verum præter hæc immensa beneficia, illud etiam vel maximum consecuti sumus, ut in hac una passione omnium virtutum clarissima exempla habeamus: nam & patientiam, & humilitatem, & eximiam charitatem, & mansuetudinem, & obedientiam, & summam animi constantiam, non solum in perferendis propter justitiam doloribus, sed etiam in morte oppetenda ita ostendit, ut vere dicere possumus, Salvatorem nostrum, quæcumque vitæ præcepta toto prædicationis suæ tempore verbis nos docuit, ea omnia uno passionis die in se ipso expressisse. Atque hæc breviter de Christi Domini saluberrima passione, & morte dicta sint. Utinam vero hæc mysteria in animis nostris assidue versentur, & una cum Domino pati, & mori, & sepeliri discamus: ut deinde, abjecta omni sorde peccati, ad novam vitam cum illo resurgentes, aliquando tandem, ipsius gratia, & digni simus, qui cœlestis regni, & gloriæ participes efficiamur.

DE

DE QUINTO ARTICULO,

CAPUT VI.

DESCENDIT AD INFEROS, TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS.

1. Prima pars hujus articuli quomodo ſit intelligenda.

MAxime quidem refert noſſe gloriam ſepulturæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, de qua proxime dictum eſt: ſed plus intereſt fidelis populi cognoſcere illuſtres triumphos, quos ex divicto Diabolo, & ſpoliatis inferorum ſedibus deportavit: de quibus, ſimulque de reſurrectione dicendum eſt: qui locus etſi ſeparatim per ſe recte tractari poſſit, nos tamen ſanctorum Patrum auctoritatem ſecuti, eum cum deſcenſu ad inferos conjungendum putavimus. Ejus igitur priori parte hoc nobis credendum proponitur, Chriſto jam mortuo, ejus animam ad inferos deſcendiſſe, ibique tamdiu manſiſſe, quamdiu ejusdem corpus in ſepulchro fuit. His autem verbis ſimul etiam confitemur eandem Chriſti perſonam eodem tempore & apud inferos fuiſſe, & in ſepulchro jacuiſſe. Quod quidem cum dicimus, nemini mirum videri debet, propterea quod, ut ſæpe jam docuimus, quamvis anima a corpere diſceſſerit, nunquam tamen divinitas vel ab anima, vel a corpore ſeparata eſt.

Iſa. 11. Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.

Prioris partis quinti artic. ſententia.

Chriſtus eodem tempore in ſepulchro, & apud inferos fuit. Vide Sect. 6. ſuperioris articuli.

2. Quid hic inferorum vocabolo intelligendum ſit.

Sed quoniam articuli explanationi plurimum lucis afferre poteſt, ſi Parochus prius do-

De multiplici vocis Inferni significatione. Inferi quid significent.

ceat, quid hoc loco inferorum vocabulo intelligendum sit, monere oportet, Inferos hoc loco pro sepulchro non accipi, ut quidam non minus impie, quam imperite putaverunt. Superiori enim articulo, *Christum Dominum* sepultum esse, edocti fumus: nec ulla causa erat, cur in fide tradenda alio, & quidem obscuriori loquendi genere idem a sanctis Apostolis repeteretur; verum inferorum nomen abdita illa receptacula significat, in quibus animæ detinentur, quæ cœlestem beatitudinem non sunt consecutæ. Ita vero sacræ literæ hanc vocem multis in locis usurparunt. Nam apud Apo-

a) *Phil. 2. 10.* stolum legimus (a) *in nomine Jesu omne genu flecti, cœlestium, terrestrium, & infernorum:* & in Actis

b) *Act. 2. 24.* Apostolorum D. Petrus testatur, (b) *Christum Dominum suscitatum solutis doloribus inferni.*

Receptacula Inferna animarum non sunt unius generis.

3. Quot sint loca, quibus animæ extra beatitudinem constitutæ post mortem detinentur.

Neque tamen ea receptacula unius, & ejusdem generis sunt omnia. Est enim deterrimus, & obscurissimus carcer, (c) ubi perpetuo, & inextinguibili igne damnatorum animæ simul cum immundis spiritibus torquentur, qui etiam (d) gehenna, (e) abyssus, & propria significatione (f) Infernus vocatur. Præterea est purgaturius ignis, quo piorum animæ ad definitum tempus cruciatæ expiantur, ut eis in æternam patriam ingressus patere possit (g), in quam nihil coinquinatum ingreditur. Ac de hujus quidem doctrinæ veritate, quam & Scripturarum testimoniis, & Apostolica traditione confirmatam esse sancta Concilia declarant, eo diligentius, & sæpius Parocho differendum erit, quod

c) *Matt. 25. 41. Primus locus damnatorum.*

d) *Matth. 5. & 10. 28. 29.*

e) *Apoc. 9. 11. Pondera ly torquentur, qua torsione, quia secundum Ambr. Serm. 20. supra Beati immaculati. Bernard. Greg. 2. Pet. 2. Angelis peccantibus, &c. Diabolus non habet pœnam sensus, sed solam damni usque ad diem judicii, & tunc utramque.*

f) *Luc. 16. 22.*

g) *Apoc. 21. 27.*

in

in ea tempora incidimus, quibus homines sanam doctrinam non sustinent. Tertium postremo receptaculi genus est, in quo animæ sanctorum ante Christi Domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu beata redemptionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur. Horum igitur piorum animas, quæ in sinu Abrahæ Salvatorem expectabant, Christus Dominus ad inferos descendens liberavit.

Secundus locus animarum est Purgatorium.
Tertium animarum receptaculum est sinus Abrahæ. Luc. 16.
Christus liberavit omnes animas Patrum & omnes purgantes tunc ibi existentes.
Anima Christi reipsa descendit ad inferos. Joan. 12.
Cum exaltatus &c.
Unde dicit, descendit ad inferos, non ad infernum.

4. Anima Christi non potentia tantum, sed reipsa ad inferos descendit.

Nec vero existimandum est, eum sic ad inferos descendisse, ut ejus tantummodo vis, ac virtus, non etiam anima, eo pervenerit. Sed omnino credendum est, ipsam animam re, & præsentia ad inferos descendisse; de quo extat firmissimum illud Davidis testimonium: (a) *Non derelinques animam meam in inferno.*

a) *Psal. 15. 10. Greg. Naz. Or. 42.*

5. Aliquid dignitati Christi ex ejus descensu ad inferos detractum non est.

Verum etsi Christus ad inferos descendit, nihil de ejus summa potestate detractum est; neque ejus sanctitatis splendor macula aliqua aspersus: cum potius hoc facto verissima esse omnia, quæ de illius sanctitate celebrata erant, eumque filium Dei esse, quemadmodum antea tot prodigiis declaverat, apertissime comprobatum sit: id quod facile intelligemus, si causas, cur Christus, & alii homines in ea loca venerint, inter se conferamus. Cæteri enim omnes captivi descenderant: ipse vero (b) inter mortuos liber, & victor, ad profligandos dæmones, a quibus illi ob noxam inclusi, & constricti tenebantur, descendit. Præterea alii omnes, qui

b) *Psal. 87. 6.*

Dam. lib. 3. c. 28. Alia fuit Christo

causa descendendi ad inferos, quam aliis hominibus.

descenderunt, partim pœnis acerbissimis torquebantur, partim vero, ut alio dolores sensu carerent, tamen Dei aspectu privati, & spe beatæ gloriæ, quam expectabant, suspensi torquebantur. At Christus Dominus descendit, non ut aliquid pateretur, verum ut sanctos, & justos homines ex misera illius custodiæ molestia liberaret, eisque passionis suæ fructum impertiret. Quod igitur ad inferos descendit, nulla prorsus de summa ejus dignitate, & potestate diminutio facta est.

6. Quibus de causis Christus ad inferos descendere voluerit.

Dam. lib. 3. cap. 29. Christus animas inferno extractas mox effecit beatas.

His expositis docendum erit, propterea Christum Dominum ad inferos descendisse, ut ereptis Dæmonum spoliis, sanctos illos Patres, cæterosque pios e carcere liberatos secum adduceret in cœlum, quod ab eo admirabiliter, summaque cum gloria perfectum est: statim enim illius aspectus clarissimam lucem captivis attulit, eorumque animas immensa lætitia, gaudioque implevit: quibus etiam optatissimam beatitudinem, quæ in Dei visione consistit, impertivit: quo facto id comprobatum est, quod latroni promiserat illis verbis, (a) *Hodie mecum eris in Paradiso.* Hanc vero piorum liberationem Oseas tanto ante prædixerat in hunc modum; (b) *Ero mors tua, o mors: morsus tuus ero, inferne.* Hoc etiam significavit Zacharias Propheta, cum ait; (c) *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Idipsum denique expressit Apostulus illis verbis: (d) *Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

Quomodo latroni promissa eodem die beatitudo sit præstita.

a) *Luc. 23. 43.*

b) *Osea 13. 14.*

c) *Zach. 9. 11. Eccles. 24.*

d) *Col. 2. 15. Passionis Christi fructus ad*

ipſo. Verum ut hujus myſterii vim melius intelligamus, ſæpe illud memoria repetere debemus, pios homines non ſolum qui poſt adventum Domini in lucem editi erant, ſed qui illum poſt Adam anteceſſerant, vel qui uſque ad finem ſæculi futuri ſunt, ejus paſſionis beneficio ſalutem conſecutos eſſe. Quamobrem, antequam ille moreretur, ac reſurgeret, cœli portæ nemini unquam patuerunt: ſed piorum animæ cum e vivis exceſſiſſent, vel in ſinum Abrahæ deferebantur, vel, quod etiam nunc iis contingit, quibus aliquid diluendum, & perſolvendum eſt, Purgatorii igne expiabantur. Eſt illa præterea cauſa, cur deſcenderit ad inferos Chriſtus Dominus, ut ibi etiam, quemadmodum in cœlo, & in terris, vim ſuam, poteſtatemque declararet; & omnino, (a) *ut in nomine ejus omne genu flecteretur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Quo loco quis ſummam Dei benignitatem in genus humanum non admiretur, & obſtupeſcat, qui non modo pro nobis acerbiſſimam mortem ſubire, ſed infimas etiam terræ partes penetrare voluerit, ut ſibi chariſſimas animas, inde ereptas, ad beatitudinem traduceret?

omnium temporum fideles eſt diffuſus.

Purgaturium ignem Judæis ante Chriſti mortem fuiſſe perſuaſum colligitur ex 1. *Reg.* 31. 13. *Tob.* 4. 17. 2. *Mach.* 12. 43. *Vide Aug. lib. de cura pro mortuis gerenda cap.* 2.

a) *Phil.* 2. 10.

Ubi ſint inferi.

7. *Alterius partis quinti articuli ſenſus.*

Sequitur altara articuli pars: in qua explicanda quantum laborare Parochus debeat, declarant illa Apoſtoli verba: (b) *Memor eſto, Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis.* Quod enim Timotheo præcepit, idem etiam reliquis animarum curatoribus præceptum eſſe, dubitandum non eſt. Ea autem articuli eſt ſententia: Poſtquam Chriſtus Dominus ſexta feria,

De glorioſo reſurrectionis Chriſti myſterio.

c) 2. *Tim.* 2. 8.

feria, hora diei nona, in cruce ſpiritum emiſit, & eadem die veſpere ſepultus eſt ab ejus
a) *Joan. 19. 31.* diſcipulis, (a) qui Pilati Præſidis permiſſu corpus Domini e cruce depoſitum in propinqui horti monumentum novum intulerunt: tertio
b) *Matt. 28. 1. Marc. 16. 1. Luc. 24. 1. 2. 3. Joan. 20. 1.* a morte die, qui fuit Dominicus, (b) ſummo mane illius anima corpori iterum conjuncta eſt: atque ita is, qui triduum illud mortuus fuerat, ad vitam, ex qua moriens diſceſſerat, rediit, & ſurrexit.

3. Non aliena virtute, ut cæteri homines, ſed propria vi Chriſtus reſurrexit.

Sua vi Chriſtus ab inferis eſt excitatus.
Scot. 4. Diſt. 43. quæſt. 3.
Joh. 7.

Sed reſurrectionis voce non illud ſolum intelligendum eſt, Chriſtum a mortuis excitatum eſſe, quod multis aliis commune fuit: ſed ſua vi, ac virtute reſurrexiſſe, quod proprium in illo fuit & ſingulare. Neque enim natura patitur, nec ulli homini conceſſum eſt, ut ſeipſum poſſit virtute ſua a morte ad vitam revocare. Hoc vero ſummæ Dei poteſtati tantummodo reſervatum eſt, ut ex illis Apoſtoli verbis in-
c) *2. Cor. 13. 4.* telligimus: (c) *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.* Quæ quoniam neque a Chriſti corpore in ſepulchro, neque ab anima, cum ab inferos deſcendiſſet, ſejuncta unquam fuit, divina vis tum in corpore inerat, qua animæ iterum conjungi, tum in anima, qua ad corpus denuo reverti poſſet, qua & licuit ſua virtute reviviſcere, atque a mortuis reſurgere. Id vero David Spiritu Dei plenus prædixit his
d) *Pſal. 97. 2.* verbis; (d) *Salvabit ſibi dextera ejus, & brachium ſanctum ejus.* Deinde ipſe Dominus Divino
e) *Joan. 17. 11.* oris ſui teſtimonio confimavit: (e) *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam: & poteſtatem habeo*

beo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Judæis etiam ad confirmandam doctrinæ veritatem dixit: (a) *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod quidem tametsi de templo illo magnifice ex lapidibus structo intelligerent, ille tamen, ut scripturæ verbis eodem in loco declaratum est, dicebat de templo corporis sui. Quamvis autem in scripturis interdum legamus, (b) *Christum Dominum a Patre suscitatum esse*, hoc ad eum, ut ad hominem, referendum est: quemadmodum illa rursus ad eundem, ut Deum, spectant, quibus significatur, eum sua virtute resurrexisse.

a) *Joan. 2. 19.*

b) *Act. 2. 24 Rom. 1. 12.*

9. *Quomodo Christus primogenitus mortuorum dicatur, cum alii ante ipsum resuscitati noscantur.*

Sed illud etiam præcipuum Christi fuit, quod ipse primus omnium hoc divino resurrectionis beneficio affectus est. Nam in scripturis & (c) *primogenitus ex mortuis*, & (d) *primogenitus mortuorum* vocatur. Atque, ut est apud Apostolum, (e) *Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormentium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in sun ordine: primitiæ Christus, deinde ii, qui sunt Christi.* Quæ quidem verba de perfecta resurrectione interpretanda sunt, qua ad immortalem vitam, omni prorsus moriendi necessitate sublata, excitamur. Atque in eo genere Christus Dominus primum locum obtinet: nam si de resurrectione loquimur, hoc est de reditu ad vitam, cui iterum moriendi necessitas adjuncta est; (f) ante Christum multi alii a mortuis excitati sunt;

c) *Col. 1. 18.* d) *Apoc. 1. 5.*

e) *1. Cor. 15. 20. 21.*

f) *3. Reg. 17. 22.*

qui

qui omnes tamen ea conditione revixerunt, ut eis iterum moriendum esset: at Christus Dominus ita resurrexit morte subacta, & oppressa, ut mori amplius non posset: quod quidem apertissimo illo testimonio confirmatur: (a) *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur.*

a) *Rom. 6. 9.*

10. *Quomodo, & qua ex causa Christus in tertiam diem suam resurrectionem distulerit.*

Tertia die non simpliciter, sed secundum scripturas.
Osea 6.
Jona 2.
Matth. 12.
Greg. Nis. Or. de resurrectione Christi.
Alex. de Ales par. 3. quæst. 20.
Mem. 3. Ar. 3.

Quod vero articulo additur, *Tertia Dei*, Parocho explanandum erit, ne fideles arbitrentur, totos ipsos tres dies Dominum in sepulchro fuisse: nam quod integrum naturalem diem, partemque tum antecedentis, tum consequentis diei in sepulchro conditus est, ob eam rem veriſſime dicitur triduo in sepulchro jacuisse, ac tertia die a mortuis surrexisse: ut enim divinitatem suam declararet, resurrectionem usque ad finem sæculi differre noluit: rursus vero, ut eum vere hominem, vereque mortuum esse crederemus, non statim post mortem, sed tertio die revixit: quod temporis spatium ad veram mortem comprobandam satis esse videbatur.

11. *Quare Patres Constantinopolitanæ Synodi huic articulo clausulam adjecerint*, Secundum Scripturas.

Patres primæ Constantinopolitanæ Synodi huic loco addiderunt; *Secundum Scripturas:* quod quidem ab (b) Apostolo acceptum, in fidei Symbolum propterea transtulerunt, quod resurrectionis mysterium maxime necessarium esse, idem Apostolus docuerit iis verbis: (c) *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra,*

b) 1. *Cor. 15. 3.*

c) 1. *Cor. 15. 14.*

noſtra, inanis eſt & fides veſtra: & ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra: adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Quare D. Auguſtinus cum hujus articuli fidem admiraretur, ita ſcripſit: *Non magnum eſt credere, quia mortuus eſt Chriſtus; hoc & Pagani, & Judæi, & omnes iniqui credunt; hoc omnes credunt, quia mortuus eſt. Fides Chriſtianorum reſurrectio Chriſti eſt: hoc pro magno habemus, quia credimus eum reſurrexiſſe.* Ex quo factum eſt, ut frequentiſſime (a) Dominus de ſua reſurrectione locutus ſit: ac nunquam fere de paſſione ſua cum diſcipulis collocutus eſt, quin de reſurrectione loqueretur: quare cum dixiſſet: (b) *Filius hominis tradetur gentibus, & illudetur & flagelabitur, & conſpuetur, & poſtquam flageliaverint, occident eum;* ad extremum addidit: *Et tertia die reſurget:* Et cum Judæi ab eo peterent, ut aliquo ſigno, & miraculo doctrinam ſuam comprobaret, reſpondit, (c) *nullum aliud ſignum eis datum iri, quam Jonæ Prophetæ ſignum; ſicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic futurum* affirmavit *filium hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Verum ut hujus articuli vim, & ſenſum melius perſpiciamus, tria nobis inveſtiganda, & cognoſcenda ſunt: primum quidem, quare neceſſe fuerit Chriſtum reſurgere: deinde qui reſurrectionis finis, & ſcopus ſit: & quæ ab ea utilitates, & commoda in nos ſint profecta.

D. Auguſt. in Pſalm. 120.

a) *Matt. 16. & 17. & 20. 21.*

b) *Luca 18. 33.*

c) *Matt. 12. 39. Luca 11. 29.*

12. Quae ob cauſas neceſſe fuerit Chriſtum reſurgere.

Quod igitur ad primum attinet, neceſſe fuit eum reſurgere, ut Dei juſtitia oſtenderetur, a quo maxime decebat eum extolli, qui, ut illi obtemperaret, depreſſus, atque omni ignominia affe-

D. Th. 3. par. qu. 53. art. 1. Pſal. 63.

Accedet homo ad cor altum, &c. Prima causa.

affectus erat. Hanc Apostolus causam attulit, cum ad Philippenses inquit: (a) *Humiliavit semetipsum factus obediens usque mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum.* Præterea, ut fides nostra confirmaretur, sine qua hominis justitia constare non potest: illud enim maximo argumento esse debet, Christum filium Dei fuisse, quod sua virtute a mortuis resurrexit. Deinde, ut spes nostra aleretur, atque sustentaretur. Cum enim Christus resurrexerit, certa spe nitimur fore, ut nos etiam resurgamus: siquidem membra capitis sui conditionem consequantur necesse est: ita enim Apostolus argumentationem concludere videtur, cum ad (b) Corinthios, & (c) Thessalonicenses scribit: & a Principe Apostolorum Petro dictum est: (d) *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem.* Postremo ob eam etiam rem Domini resurrectionem necessariam fuisse docendum est, ut salutis, & redemptionis nostræ mysterium absolveretur. Christus enim morte sua nos a peccatis liberavit; resurgens vero præcipua nobis bona restituit, quæ peccando amiseramus. Quare est apud Apostolum dictum: (e) *Christus traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Ne quid igitur humani generis saluti deesset, quemadmodum illum mori, ita resurgere etiam oportuit.

a) *Philip. 2. 8. 9. 4. Reg. 19.*

Mittet radicem, &c. Secunda.

1. *Cor. 15. 12.* 1. *Petr. v. 1.*

Luce 15. Congratulamini, &c. Tertia.

b) *1. Cor. 15. 12.*

c) *1. Thes. 4. 14.*

d) *1. Petr. 1. 3. 1.*

Quarta.

e) *Rom. 4. 25.*

13. *Quæ*

13. Quæ commoda ex resurrectione Christi ad homines redeant.

Ex iis vero, quæ hactenus dicta sunt, perspicere possumus, quantum utilitatis Christi Domini resurrectio fidelibus attulerit: in resurrectione enim Deum esse immortalem, plenum gloria, mortis & Diabolo victorem agnoscimus, quod de Christo Jesu sine ulla dubitatione credendum, & confitendum est. Deinde Christi resurrectio nobis etiam corporis resurrectionem peperit: tum quia ejus mysterii efficiens causa fuit: tum quia ad Domini exemplum resurgere omnes debemus. Nam quod ad corporis resurrectionem attinet, Apostolus ita testatur: (a) *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum:* quæcunque enim Deus in redemptionis nostræ mysterio egit, ad omnia Christi humanitate, tanquam efficienti instrumento, usus est. Quare ejus resurrectio instrumentum quoddam fuit ad resurrectionem nostram efficiendam. Exemplar vero dici potest, quoniam Christi Domini resurrectio omnium est perfectissima: ac quemadmodum Christi corpus resurgens ad immortalem gloriam immutatum est; (b) ita nostra etiam corpora, quæ prius imbecilla, & mortalia fuerant, gloria, & immortalitate ornata restituentur. Ut enim Apostolus docet; (c) *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Hoc etiam de anima in peccatis mortua dici potest: cui quo pacto Christi resurrectio exemplar proponatur, idem Apostolus iis verbis ostendit; (d)

Utilitas resurrectionis Christi.

Secundo.

a) 1. Cor. 15. 21. *Resurrectio Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Ambr. Serm. 52.*

b) 1. Cor. 15. 42.

c) *Philip. 3. 20.*

Tertio.

d) *Rom. 6. 4. 5.*

Quomodo Christus surrexit a mortuis per Gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus, & paucis interjectis, inquit: *Scientes, quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu.*

14. *Quæ ex Christi resurrectione exempla sint sumenda.*

Duo igitur a Christi resurrectione exempla petere debemus. Alterum est, ut, postquam peccati maculas eluimus, novum vitæ genus instituamus, in quo morum integritas, innocentia, sanctitas, modestia, justitia, beneficentia, humilitas eluceant. Alterum est, ut in eo vitæ instituto ita perseveremus, ut adjuvante Domino, a Justitiæ via, quam semel ingressi fuerimus, non excidamus. Neque vero (a) Apostoli verba id solum demonstrant, Christi resurrectionem ad resurrectionis exemplum nobis proponi; verum etiam resurgendi virtutem nobis præbere, vireſque & spiritum largiri, quo in sanctitate, & justitia permaneamus, ac Dei præcepta servemus, declarant. Nam quemadmodum ex ejus morte non solum peccatis moriendi exemplum capimus, sed virtutem etiam haurimus, qua peccatis moriamur; ita ejus resurrectio ad justitiam consequendam nobis vires affert, ut deinde pie, & sancte Deum colentes, in novitate vitæ ambulemus, ad quam resurgimus. Hoc enim maxime resurrectione sua Dominus effecit,

a) *Rom. 6. 4. 5. Christi resurrectio corporalis nos ad spiritualem hortatur resurrectionem.*

cit, ut qui antea una cum illo peccatis, & huic sæculo mortui eramus, cum illo etiam ad novam vitæ institutionem, & disciplinam resurgeremus.

15. Quibus indiciis colligatur, aliquem secundum spiritum cum Christo resurrexisse.

Hujus resurrectionis quæ potissimum signa observanda sint Apostolus nos admonet: nam, cum inquit: (a) *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens:* plane ostendit, eos, qui vitam, honores, otium, divitias ibi maxime, ubi Christus est, habere cupiunt, vere cum Christo surrexisse: cum vero addit, (b) *Quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram:* alteram etiam hanc veluti notam appposuit, qua perspicere possimus, num vere cum Christo surrexerimus. Ut enim corporis affectionem, & valetudinem gustus indicare solet: ita (c) si quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, alicui sapiant, isque cœlestium rerum jucunditatem intimo mentis sensu percipiat, hoc maximo argumento esse potest, eum, qui ita affectus sit, ad novam, & spiritualem vitam una cum Christo Jesu surrexisse.

Quæ sint signa resurrectionis nostræ spiritualis.

a) *Col. 3. 1.*

b) *Ibid. 3. 2.*

c) *Philip. 4. 8.*

DE SEXTO ARTICULO,

CAPUT VII.

ASCENDIT AD COELOS, SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS.

1. Hujus articuli excellentia, & primæ partis sententia.

David Propheta, cum beatam, & glorioſam Domini Aſcenſionem Spiritu Dei plenus contemplaretur, omnes ad eum triumphum ſumma lætitia, & gaudio celebrandum illis verbis hortatur, cum inquit: (a) *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis: Aſcendit Deus in jubilatione.* Ex quo inteliiget Parochus, maximo ſtudio hoc myſterium explicandum eſſe ſibique diligenter curandum, ut fideles illud non ſolum fide, & mente percipiant, ſed, quoad ejus fieri poterit, juvante Domino, factis etiam, & vita exprimere ſtudeant. Quod igitur ad ſexti articuli explanatinonem attinet, in quo potiſſimum de divino hoc myſterio agitur, a priori ejus parte incipiendum eſt, & quæ ejus ſit vis, atque ſententia, aperiendum. De Chriſto enim Jeſu illud etiam fideles ſine ulla dubitatione credere oportet, eum, perfecto jam & abſoluto redemptionis noſtræ myſterio, ut homo eſt, in cœlum corpore, & anima aſcendiſſe: nam ut Deus eſt, numquam ab eo abfuit, ut qui divinitate ſua loca omnia compleat.

a) *Pſal. 46. 1. 6.*

2. Non

2. *Non ſolum divinitatis virtute Chriſtus aſcendit, ſed vi etiam humanitatis.*

Aſcendiſſe autem eum ſua virtute doceat, non aliena vi ſublatum, quemadmodum (a) Helias, qui ignio curru in cœlum evectus eſt: (b) vel Abacuch Propheta, vel (c) Philippus diaconus, qui divina virtute per aerem delati, longinqua terrarum ſpatia permearunt. Neque vero ſolum ut Deus præpotenti divinitatis vittute in cœlos aſcendit, ſed etiam, ut homo eſt. Quamvis einim naturali vi id fieri non potuerit, tamen virtus illa, qua beata Chriſti anima prædita erat, corpus, ut libuit, movere potuit; corpus vero, quod jam gloriam adeptum erat, moventis animæ imperio facile parebat. Atque hac ratione, ut Deus, & homo eſt, Chriſtum in cœlum ſua virtute aſcendiſſe credimus.

a) *4. Reg. 2. 11. 12.*

b) *Dan. 14. 35.*

c) *Actor. 8. 39.*

3. *Quo ſenſu Chriſtus poſteriore articuli parte dicatur ſedere ad dexteram Patris.*

In altera articuli parte hæc ſunt: *Sedet ad dexteram Dei Patris:* quo loco tropum, id eſt verbi immutationem licet animadvertere, frequentem in divinis literis, cum humanas affectiones, & membra ad noſtram intelligentiam accommodantes, Deo tribuimus: neque enim, cum Spiritus ſit, quidquam in eo corporeum cogitari poteſt. Sed, quoniam in humanis rebus ei majorem honorem tribui exiſtimamus, qui ad dexteram collocatus eſt: eandem rem ad cœleſtia etiam transferentes, ad explicandam Chriſti gloriam, quam ut homo præ cæteris omnibus adeptus eſt, eum in Patris dextera eſſe confitemur.

Sedere denotat poſſeſſionem & quietem gloriæ, non poſitionem corporis, quia Chriſtus ſtat, & non ſedet, ſicut & omnes beati ſtabunt, & non ſedebunt, quia ſedere imbecillitatis eſt, ſtare vero eſt, naturalis ſitus hominis perfecti. Scot. 4. Diſt. 43. q. 13. Cajetan. in Marc. 16.

Sedere ad dexteram Dei quid denotet, Vide Ath. Ser. 1. contra Arian. Basil. lib. de Spiritu Sancto c. 6. Dam. lib. 4. c. 2.

Sedere ad dexteram Dei soli Christo est tribuzum.

Sedere autem hoc loco non situm, & figuram corporis significat, sed eam regiæ, summæque potestatis, ac gloriæ firmam & stabilem possessionem, quam a Patre accepit, declarat: de quo ait Apostolus: (a) *Suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro:* Et, (b) *omnia subjecit sub pedibus ejus.* Ex quibus verbis apparet, hanc gloriam adeo propriam, & singularem Domini esse, ut cuivis alii creatæ naturæ convenire non possit. Quare alio loco testatur: (c) *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando:* (d) *Sede a dextris meis?*

a) *Ephes. 1. 20. 21 22.*

b) *Psal. 8. 8.*

c) *Hebr. 1. 13.*

d) *Psal. 109. 1.*

4. Quare ascensionis Christi historia frequentius apud populum sit repetenda.

Sed articuli sensum Parochus latius explanabit, Ascensionis Historiam persequens, quam sanctus Lucas Evangelista in (e) Actis Apostolorum admirabili ordine descripsit. In cujus explicatione illud primum observare oportebit, cætera omnia mysteria ad Ascensionem, tanquam ad finem, referri, in eoque omnium perfectionem & absolutionem contineri: nam ut ab incarnatione Domini omnia religionis nostræ mysteria initium habent, ita Ascensione ejus peregrinatio concluditur. Præterea alia symboli capita, quæ ad Christum Dominum pertinent, summam ejus humilitatem, & contemptionem ostendunt: neque enim abjectius, aut humilius quicquam cogitari potest, quam quod Filius Dei pro nobis humanam naturam & imbecillitatem assumpserit: patique,

e) *Actorum 1. per totum fere.*

Ad Ascensionem omnia Christi mysteria diriguntur.

que, & mori voluerit. At vero, quod eum superiori articulo a mortuis resurrexisse, nunc vero in cœlum ascendisse, & ad Dei Patris dexteram sedere confitemur, nihil ad ejus summam gloriam, divinamque majestatem declarandam magnificentius dici, aut admirabilius potest.

5. Cur Christus in cœlum ascenderit, nec in terra potius regnum suum constituerit.

Jam his expositis, accurate docendum est, cujus rei causa Christus Dominus in cœlos ascenderit. Primum enim ascendit, propterea quod ejus corpori, quod immortalitatis gloria in resurrectione donatum fuerat, non terrenæ hujus, & abscuræ habitationis locus, sed altissimum & splendidissimum cœli domicilium conveniret. Nec vero solum ut ejus gloriæ & regni solio potiretur, quod sanguine meruerat, verum etiam ut ea, quæ ad salutem nostram pertinebat, curaret. Deinde (a) ut regnum suum non esse ex hoc mundo reipsa comprobaret: nam mundi regna terrena & fluxa sunt, magnisque opibus, & carnis potentia nituntur: Christi vero regnum non terrenum, quale Judæi expectabant, sed spirituale, & æternum: itemque ejus opes & divitias spirituales esse ipse ostendit, cum suam sedem in cœlis collocavit: in quo quidem regno illi ditiores, & omnium bonorum copia affluentiores existimandi sunt, qui ea, quæ Dei sunt, diligentius quærunt: nam & sanctus Jacobus testatur, (b) Deum elegisse pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Sed etiam illud

Christi in cœlum ascensionis causa.

Prima.

Secunda.

Tertia.

a) *Joan. 18. 36. Vide secundi art. sect. septimam.*

Christi regnum non terrenum, sed spirituale.

Qui ex hominibus sint in regno Christi ditiores.

b) *Jacob 2. 5.*

Quarta.

Dominus noſter in cœlum aſcendens efficere voluit, ut nos eundem aſcendentem mente & deſiderio proſequeremur: nam quemadmodum morte, & reſurrectione ſua moriendi & reſurgendi ſpiritu exemplum nobis reliquerat; ita aſcenſu nos docet, atque inſtruit, ut in terris poſiti in cœlum nos cogitatione conferamus, (a) confitentes nos peregrinos, & hoſpites eſſe ſuper terram, ac patriam inquirentes, (b) cives eſſe Sanctorum, & domeſticos Dei. (c) Noſtra enim, ut idem inquit Apoſtolus, converſatio in cœlis eſt.

a) *Heb.* 11. 13.
b) *Eph.* 2. 19.
c) *Phil.* 3. 20.

6. Quæ beneficia ex Chriſti Aſcenſione hominibus ſint collata.

Quanta redeant ad nos commoda ex Aſcenſione Domini.

Jam vero vim & magnitudinem inexplicabilium bonorum, quæ in nos Dei benignitas effundit, divinus (d) David, (e) Apoſtolo interprete, multo ante cecinerat illis verbis: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit bona hominibus:* nam decimo die (f) Spiritum ſanctum dedit, cujus virtute, atque ubertate complevit præſentem illam fidelium multitudinem, & vere tum magnifica illa promiſſa perſolvit: (g) *Expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Aſcendit etiam in cœlum ex Apoſtoli ſententia, (h) ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, & apud Patrem advocati officio fungatur. (i) *Filioli mei*, inquit S. Joannes, *hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, ſed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Nec vero quidquam eſt, unde fideles majorem lætitiam

d) *Pſal.* 67. 19.
e) *Epheſ.* 4. 8. *Primum mittit Spiritum Sanctum.*
f) *Act.* 2. *per tot.*
g) *Joan.* 16. 7. *Secundo Advocatum agit.*
h) *Hebr.* 9. 24.
i) 1. *Joan.* 2. 1. *Tertio. Spem noſtram erigit de remiſſione peccatorum. Quarto.*

titiam, & animi jucunditatem capere debeant, quam Jesum Christum patronum causæ, ac deprecatorem salutis nostræ constitutum esse, cujus sit apud æternum Patrem summa gratia, & auctoritas. (a) Paravit denique nobis locum, quod etiam se facturum promiserat; atque omnium nostrum nomine caput ipse Jesus Christus venit in cœlestis gloriæ possessionem: nam in cœlum abiens portas, quæ Adami peccato intercluſæ fuerant, patefecit, nobisque viam munivit, qua ad cœlestem beatitudinem perveniremus; (b) quemadmodum ipse in cœna discipulis futurum prædixerat: quod quidem ut rei etiam eventu aperte comprobaret, piorum animas, quas ab inferis eripuerat, secum in æternæ beatitudinis domicilium introduxit.

a) *Joan. 14. 2. 3. Locum amicis apparat, & viam ad cœlum præstruit. Tange instantiam ex Joan. 3. Nemo ascendit &c.*

b) *Joan. 16. 24. 27. Captivam abduxit captivitatem.*

7. Commoda, quæ Christus sua Ascensione nobis attulit.

Hanc cœlestium munerum admirabilem copiam salutaris illa commodorum series consecuta est: primum enim fidei nostræ merito maximus cumulus accessit: nam fides earum rerum est, quæ sub aspectum non cadunt, atque ab hominum ratione, ac intelligentia remotæ sunt. Quare si Dominus a nobis non discessisset, fidei nostræ meritum minueretur: siquidem a Christo Domino (c) *beati* præpicantur, *qui non viderunt, & crediderunt.* Præterea Christi in cœlum ascensus ad confirmandam spem in cordibus nostris magnum momentum habet: nam quoniam Christum hominem in cœlum ascendisse, & humanam naturam in dextera Dei Patris colocasse credimus, magna in spe sumus, fore ut nos etiam, ejus membra, illuc ascendamus, atque ibi cum capite nostro conjunga-

Primo.

Fidem nostram confirmat, & meritum auget.

c) *Joan. 20. 29. Secundo Beatitudinis nostræ expectationem certam facit.*

mur: quod ipse Dominus his verbis testatus est: (a) *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi sum ego, & illi sint mecum.* Deinde hoc quoque vel maximum beneficium consecuti sumus, quod amorem nostrum ad cœlum rapuit, ac divino spiritu inflammavit: nam verissime dictum est, (b) ibi cor nostrum esse, ubi thesaurus noster est.

a) *Joan. 17. 24. Tertio. Charitatem nostram promovit, & affectum a terrenis ad cœlestia sustulit.*

b) *Matt. 6. 21. Luc. 12. 34.*

8. Non fuit nobis utile Christum in terris manere.

Ac profecto, si Christus Dominus in terris versaretur, omnis nostra cogitatio in ipso hominis aspectu, & consuetudine defixa esset; & illum duntaxat hominem spectaremus, qui nos tantis beneficiis afficeret, eumque terrena quadam benevolentia prosequeremur: (c) verum in cœlum ascendens, amorem nostrum spiritualem reddidit, effecitque, ut quem nunc absentem cogitamus, eum, ut Deum, veneremur & diligamus. Id autem partim Apostolorum exemplo intelligimus, quibus dum præsens affuit Dominus, humano fere sensu de illo judicare videbantur: partim vero ipsius Domini testimonio confirmatum est: cum inquit: (d) *Expedit vobis, ut ego vadam.* Nam imperfectus ille amor, quo Christum Jesum præsentem diligebant, divino amore perficiendus erat, idque Spiritus Sancti adventu: quare statim addit: *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.*

c) *2. Cor. 5. 16. Est elevatus in cœlum, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes. Præfatio de Christi Ascensione.*

d) *Joan. 16. 7.*

9. Post Christi Ascensionem Ecclesia maxime amplificata fuit.

Accedit etiam, quod in terris domum suam, id est Ecclesiam amplificavit, quæ Spiritus Sancti virtute, & ductu gubernaretur: (e) ejus vero universæ inter homines Pastorem, & summum

e) *Joan. 21. 15. Petrus universæ Ecclesiæ Pastor relictus.*

mum Antiſtitem Petrum Apoſtolorum Principem reliquit: tum vero *dedit quoſdam quidem* (a) *Apoſtolus, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores:* Atque ita ad texteram Patris ſedens, aliis atque aliis diverſa dona ſemper impertitur: nam teſtatur Apoſtolus, (b) *unicuique noſtrum datam eſſe gratiam, ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Ad extremum vero, quod antea de mortis, & reſurrectionis myſterio docuimus, idem etiam de Aſcenſu fidelibus cogitandum eſt. Quamvis enim Chriſti paſſioni ſalutem & redemptionem noſtram debeamus, qui merito ſuo additum juſtis ad cœlum aperuit: tamen ejus Aſcenſus non ſolum veluti exemplar nobis propoſitum eſt, quo alte ſpectare, & Spiritu in cœlum aſcendere diſcamus, ſed divinam etiam virtutem, qua id efficere poſſimus, largitus eſt.

a) 1. *Cor.* 12. 28. *Epheſ.* 4. 11. *Chriſtus quotidie Eccleſiam ſuis donis auget.*

b) *Eph.* 4. 11. *Aſcenſio Chriſti nobis aſcendendi virtutem præſtat.*

DE SEPTIMO ARTICULO,

CAPUT VIII.

INDE VENTURUS EST JUDICARE VIVOS, ET MORTUOS.

1. Christi tria in suam Ecclesiam beneficia, & articuli septimi sententia.

Christi tria insignia in suam Ecclesiam beneficia.

Tria sunt Domini nostri Jesu Christi ad suam Ecclesiam decorandam, & illustrandam insignia officia, & munera, redemptionis, patrocinii, & judicii. Cum autem superioribus articulis ab eo genus humanum passione, & morte redemptum esse, ascensu etiam in cœlum nostram causam, & patrocinium in perpetuum susceptum constet: sequitur, ut ejus judicium hoc articulo declaretur: cujus articuli ea vis est & ratio, summo illo die Christum Dominum de universo hominum genere judicaturum esse.

Articuli septimi sensus.

2. Duplex est Christi Adventus.

Sacræ enim literæ duos Filii Dei adventus esse testantur: alterum, cum salutis nostræ causa carnem assumpsit, & homo in Virginis alvo effectus est: alterum, cum in consummatione sæculi ad judicandos omnes homines veniet. Hic adventus in sacris literis (a) Dies Domini appellatur, de quo ait Apostolus: (b) *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet:* & Salvator ipse. (c) *De die autem illa & hora nemo scit.* Ac de summo judicio satis sit illa auctoritas Apostoli: (d) *Omnes nos manifestari oportet*

a) 1. Pet. 3. 10. Apoc. 3. 16.
b) 1. Thess. 5. 2.
c) Matt. 24. 36. Marc. 13. 32.
d) 2. Cor. 5. 10. Rom. 14. 10.

ante

ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gesit, sive bonum, sive malum. Plena enim est sacra (a) scriptura testimoniorum, quæ passim Parochis occurrent, ad rem non solum comprobandam, sed etiam fidelium oculis subjiciendam: ut, quemadmodum a mundi initio dies ille Domini, quo humanam carnem induit omnibus optatissimus semper fuit, quod in eo mysterio liberationis suæ spem positam haberent: ita deinceps post Filii Dei mortem, & ascensum in cœlum, alterum diem Domini vehementissimo studio desideremus, (b) *expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei.*

a) *1. Reg. 2. 10. Psal. 95. 97. 13. Isa. 2. 13. 26. 27. 30. & 66. Jerem. 30. 23. Dan. 7. 9. Joel. 2. 1. 31. Soph. 12. 14. Malach. 4. 1. Matt. 12. 15. 16. & 26. Luca 17. 29. Actor. 1. & 3. 11. Rom. 2. 14. 1. Cor. 15. 1. Thess. 1. 4. 2. Thess. 1. 17. Apoc. 20. 11.*

b) *Tit. 2. 13. Aug. toto libro 20. de Civ. Dei.*

3. *Quoties quilibet homo Christi judicis sententiam coram subire debeat.*

Sed duo tempora Parochis ad rei explicationem observanda sunt, in quibus unicuique necesse est in conspectum Domini venire, & singularum cogitationum, actionum, verborum denique omnium rationem reddere, demumque judicis præsentem subire sententiam. Primum est, (c) cum unusquisque nostrum migrat e vita, nam statim ad Dei Tribunal sistitur, ibique de omnibus justissima quæstio habetur, quæcunque aut egerit, aut dixerit, aut cogitarit unquam: atque hoc privatum judicium vocatur. Alterum vero, (d) cum uno die, atque uno in loco omnes simul homines ad tribiunal judicis stabunt, ut, omnibus omnium sæculorum hominibus inspectantibus, & audientibus, singuli, quid de ipsis decretum, & judicatum fuerit, cognoscant: cujus sententiæ pronunciatio impiis, & sceleſtis hominibus

Duplex cujusque hominis Judicium particulare, & generale.

c) *Hebr. 9. 27. Lucæ 16. 22. Eccl. 11. 28. Aug. lib. 2. de anima cap. 4.*

d) *Matt. 25. 21. Joel. 3. 2. 3.*

minibus non minima futura eſt pœnarum, & ſuppliciorum pars: rurſus vero pii & juſti non parvum ex ea præmium, fructumque percepturi ſunt, cum, qualis quiſque in hac vita fuerit, apparebit. Hoc autem generale judicium appellatur.

4. Cur neceſſe fuerit privato judicio generale ſubjicere.

Cauſa ob quam privato judicio univerſale ſubjiciatur.

De quo illud neceſſario oſtendendum eſt, quæ cauſa fuerit cur præter privatum de ſingulis, alterum etiam de univerſis hominibus judicium exerceretur. Nam, cum vel ipſis hominibus mortuis interdum ſuperſtites ſint filii parentum imitatores, reliqui ſint liberi ac diſcipuli, exemplorum, orationum, actionum amatores, ac propugnatores, quibus rebus ipſorum mortuorum præmia, & pœnas augeri neceſſe eſt; cum hæc vel utilitas, vel calamitas ad plurimos pertinens non prius finem habitura ſit, quam extremus veniat mundo dies; æquum erat de univerſa hac recte, aut perperam factorum, dictorumque ratione perfectam quæſtionem haberi: quod fieri non poterat, niſi facto communi omnium hominum judicio.

Prima ratio, Mortuorum præmia, vel pœna augentur virtutibus, & vitiis ſuorum ſectatorum. Vide Baſilium lib. de Sancta virginitate ante medium. Scot. 4. Diſt. 47. q. 1. S. Thom. 3. par. q. 59. a. 5.

Secunda, ut laudem pii, ignominiam impii palam.

Accedit etiam, quod, cum piorum fama ſæpe lædatur, impii vero innocentiæ laude commendentur, divinæ juſtitiæ ratio poſtulat, ut pii ereptam injuria apud homines exiſtimationem, in publico univerſorum hominum conventu, & judicio recuperent.

Tertia, ut corpora vel præmium, vel pœnam cum anima ex æquo participent. Ath. in Symb.

Deinde vero boni & mali homines, quæcunque in vita egerunt, cum non ſine corporibus egerint, omnino ſequitur, ut benefacta, ſive malefacta ad corpora etiam pertineant,

quæ

quæ actionum ipſarum inſtrumentum fuerunt. Maxime igitur conveniebat, corporibus una cum eorum animis debita æternæ gloriæ præmia, aut ſupplicia impertiri; quod quidem neque ſine omnium hominum reſurrectione, neque ſine generali judicio fieri poterat. *Pſal. 36. & 61. 2. Cor. 5.*

Poſtremo, quoniam in adverſis & ſecundis hominum rebus, quæ promiſcue nonnunquam bonis, & malis eveniunt, probandum erat, nihil non infinita Dei ſapientia, & juſtitia geri ac gubernari, par fuit, non ſolum bonis præmia, improbis ſupplicia in futuro ſæculo conſtitui, verum etiam publico ac generali, judicio decerni; quo omnibus notiora, & illuſtriora fierent; atque ut Deo juſtitiæ, & providentiæ laus ab omnibus tribueretur, pro injuſta illa querela, qua ſancti etiam viri deplorare interdum, ut homines, ſolebant, cum improbos valentes opibus, & honoribus florentes animadverterent: nam Propheta, (a) *Mei*, inquit, *pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns:* & paulo poſt, (b) *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias: & dixi: Ergo ſine cauſa juſtificavi cor meum; & lavi inter innocentes manus meas; & fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Atque hæc frequens querela (c) multorum fuit. Ergo neceſſe erat, ut generale judicium exerceretur: ne forte homines dicerent, (d) Deum circa cardines cœli perambulantem non curare terrena. Hæc autem veritatis formula, jure una ex duodecim fidei Chriſtianæ articulis conſtituta eſt, ut, ſi quorum animi in providen-

Quarta ut divina providentia ratio omnibus conſtet: hæc ratio ſumitur ex Eccl. 9. 1. 2. 3. Pſal. 9.

a) *Pſal. 72. 2.*

b) *Idem 2. 13. 1. & 14.*

c) *Job. 21. 7. Jerem. 12. 1. 2. Abacuc. 1. 13.*

d) *Job. 22. 14.*

tia,

tia, & juſtitia Dei nutarent, hujus doctrinæ ratione confirmarentur. Præterea propoſito judicio pios recreari, impios terreri oportebat, ut cognita Dei juſtitia, illi ne deficerent, hi a malis æterni ſupplicii metu, atque expectatione revocarentur. Quare Dominus, & Salvator noſter, (a) cum de extremo die loqueretur, declaravit futurum aliquando generale judicium; ſignaque adventantis ejus temporis deſcripſit: ut cum illa viderimus, finem ſæculi prope eſſe intelligamus, ac deinde in cœlum aſcendens Angelos miſit, qui Apoſtolos ejus abſentia mærentes his verbis conſolarentur: (b) *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.*

Quinta, ut boni perſeverarent & mali reſipiſcerent.

a) *Matth. 24. 29. 30.*

b) *Act. 1. 11.*

5. *Juxta utramque naturam Chriſto tributa eſt poteſtas judicandi genus humanum.*

Verum Chriſto Domino non ſolum ut Deo, ſed etiam ut homini hoc judicium datum eſſe, ſacræ literæ declarant: quamvis enim judicandi poteſtas omnibus ſanctæ Trinitatis perſonis communis ſit, præcipue tamen Filio eam tribuimus, quod ipſi quoque ſapientiam convenire dicimus. Quod autem, ut homo, mundum judicaturus ſit, Domini teſtimonio confirmatur, qui inquit: (c) *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.*

Chriſtus etiam ut homo judex omnium conſtitutus eſt.

c) *Joan. 5. 26. Aug. in Joan. tract. 21. & 1. de Trin. cap. 13.*

6. *Cur perinde Patri, vel Spiritui Sancto hoc judicium non adſcribatur.*

Decebat autem maxime a Chriſto Domino hoc judicium exerceri, ut cum de hominibus

Judex Chriſtus, corporeis oculis videbitur.

decer-

decernendum esset, illi corporeis oculis judicem videre, & auribus sententiam, quæ proferebatur, audire possent, & omnino judicium illud sensibus percipere. Ac præterea æquissimum erat, ut homo ille, qui iniquissimis hominum sententiis condemnatus fuerat, omnium deinde judex sedere ab omnibus conspiceretur. Quamobrem Apostolorum Princeps, cum in Cornelii domo summa Christianæ religionis capita exposuisset, docuissetque Christum a Judæis in ligno suspensum, atque occisum, tertia vero die ad vitam resurrexisse, subjunxit: (a) *Et præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum, & mortuorum.*

Aug. de verb. Dom. Ser. 64. Job. 36. 17. Causa tua quasi, &c.

a) *Act. 10. 42.*

7. *Quibus indiciis extremum judicium imminere agnoscetur.*

Tria hæc præcipua signa judicium antecessura esse, sacræ literæ declarant, Prædicationem Evangelii per universum orbem, Discessionem, Antichristum; inquit enim Dominus; (b) *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; & tunc veniet consummatio:* & Apostolus nos admonet, (c) ne ab aliquo seducamur, *quasi instet dies Domini: quoniam, nisi venerit Discessio primum: & revelatus fuerit homo peccati, judicium non fiet.*

Signa judicium præcessura. Damasc. de fide orth. lib. 4. c. 27.

b) *Matt. 24. 14. Aug. de Serm. Dom. in monte lib. 2. & cap. 8. ad Hesich.*

c) *2. Thess. 2. 3. Augusti. lib. 20. de civ. Dei c. 19.*

8. *Quomodo fiet judicium: quaque ratione de omnibus feretur sententia.*

Quæ autem judicii forma, & ratio futura sit, Parochis ex (d) Danielis oraculis, tum ex sanctorum Evangeliorum, (e) & Apostoli doctrina facile erit cognoscere. Præterea sententia, quæ a judice pronuncianda sit, dili-

Judicii forma.

d) *Dan. 7. 9.*

e) *Matt. 24. & 25.*

Marci 13. Theſſ. 4. Judicis ſententia piis læta, impiis horribilis.

gentius hoc loco expendenda erit. Chriſtus enim Salvator noſter, lætis oculis pios a dextera ſtantes intuens, ita de illis judicium ſumma cum benignitate pronunciabit (a) *Venite benedicti Patris mei: poſſidete regnum, quod paratum eſt vobis a conſtitutione mundi.* Quibus verbis nihil jucundius audiri poſſe illi intelligent, qui ea cum impiorum damnatione contulerint; ac cum animo ſuo cogitaverint, iis verbis pios, & juſtos homines a laboribus ad quietem, a lacrymarum valle ad ſummum gaudium, a miſeriis ad perpetuam beatitudinem, quam illi charitatis officiis promeriti fuerint, vocari.

a) *Matt. 25. 24. Vide Aug. Ser. 37. de Sanctis, & Cyrillum Alexand. in Orat. de exitu animæ.*

9. Quibus pœnarum generibus impii afficientur.

Deinde ad eos, qui a ſiniſtra ſtabunt, converſus, ſuam juſtitiam in eos effundet, his verbis: (b) *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Prioribus illis verbis, *diſcedite a me*, maxima pœna ſignificatur, qua impii plectendi erunt, cum a Dei aſpectu quam longiſſime ejicientur: neque ulla ſpes eos conſolari poterit, fore aliquando ut tanto bono perfruantur: atque hæc quidem a Theologis pœna damni appellata eſt, quod ſcilicet impii apud inferos divinæ viſionis luce perpetuo carituri ſint. Quod vero additur, *Maledicti*, mirum in modum auget illorum miſeriam, & calamitatem: ſi enim, cum a divina præſentia expellendi eſſent, aliqua ſaltem benedictione digni haberentur, hoc profecto magno eis ſolatio eſſe potuiſſet; at, quoniam nihil hujuſmodi ipſis expectandum eſt, quod calamitatem leviorem faciat, jure optimo, cum expellentur, divina juſtitia eos omni maledictione perſequetur.

b) *Matt. 25. 41. Duplex impiorum pœna, una quæ eſt damni, & altera ſenſus de pœna damni. Vide Chryſ. hom. 23. in Mat Aug. in Ench. cap. 112.*

10. *De*

10. De pœna ſenſus, & ſocietate damnatorum.

Sequitur deinde: *In ignem æternum:* quod quidem alterum pœnarum genus, Pœnam ſenſus Theologi vocarunt, propterea quod ſenſu corporis percipiatur, ut in verberibus, & flagellis, aliove graviore ſuppliciorum genere: inter quæ dubitari non poteſt, ignis tormenta ſummum doloris ſenſum efficere: cui malo cum accedat, ut perpetuum tempus duraturum ſit, ex eo oſtenditur, damnatorum pœnam omnibus ſuppliciis cumulandam eſſe: atque hoc magis declarant verba illa, quæ in extrema ſententiæ parte poſita ſunt; *Qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Cum enim ita comparatum ſit, ut omnes moleſtias levius feramus, ſi calamitatis noſtræ ſocium aliquem & conſortem habeamus, cujus prudentia, atque humanitate aliqua ex parte juvari poſſimus; quæ tandem erit damnatorum miſeria, quibus in tantis ærumnis a perditiſſimorum dæmonum ſocietate divelli nunquam licebit? Et hæc quidem ſententia in impios juſtiſſime a Domino Salvatore noſtro feretur: ut qui omnia veræ pietatis opera neglexerint, & eſurienti, ac ſitienti nec cibum, nec potum miniſtraverint, hoſpitem non exceperint, nudum non operuerint, aut in carcere incluſum, ægrumque non viſitarint.

Pœna ſenſus quanta futura ſit. Aug. Serm. 181. de temp. & in lib. de tripl. hab. cap. 2. Greg. lib. 9. mor. cap. 46. & lib. 4. Dialog. c. 28. Scot. 4. d. 44. q. 2. & 3. Job. 26. Socii pœnarum non lenient pœnas inferni. Solatium eſt miſerorum ſocios habere pœnarum in mundo, non in inferno. Sententia illius acerbiſſima æquitas.

11. Judicii materia ſæpius fidelis populi auribus inculcari debet.

Hæc ſunt, quæ Paſtores fidelis populi auribus ſæpiſſime inculcare debent. Nam hujus articuli veritas fide concepta, maximam vim habet ad frænandas pravas animi cupiditates,

Baſilius Magnus Serm. ſuper Pſal. 33.

tates, atque a peccatis homines abstrahendos. Quare in Ecclesiastico dictum est: (a) *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Ac profecto vix quisquam adeo præceps in scelera feretur, quem illa cogitatio ad pietatis studium non revocet, fore aliquando, ut ei apud justissimum judicem omnium non solum factorum, dictorumque, sed occultissimarum etiam cogitationum ratio reddenda, & pro meritis pœna persolvenda sit. Justus vero ad colendam justitiam magis, ac magis incitetur, ac summa lætitia efferatur, necesse est, quamvis etiam in egestate, infamia, cruciatibus vitam degat, cum animum ad eum diem refert, quo (post ærumnosæ hujus vitæ certamina) victor universis hominibus audientibus declarabitur; & divinis, atque illis quidem æternis honoribus in cœlestem patriam receptus afficietur. Quod igitur reliquum est, hortari fideles oportet, ut optime vivendi rationem comparent, ad omne pietatis studium se exerceant, quo possint adventantem magnum illum diem Domini majore cum securitate animi expectare, atque adeo, ut filios decet, cum summa cupiditate expetere.

a) *Eccl. 7. 40. Aug. Serm. 120. de temp. Greg. Hom. 30. in Evang. Per. Ser. 1. in Festo omnium Sanct. & Ser. de primordiis, mediis & novissimis nostris.*

DE OCTAVO ARTICULO,

CAPUT IX.

CREDO IN SPIRITUM SANCTUM.

1. Quanta sit fidei in Spiritum Sanctum necessitas, & fructus.

Hactenus quæ ad primam, & secundam sanctæ Trinitatis personam pertinebant, quantum propositi argumenti ratio postulare videbatur, exposita sunt: sequitur nunc, ut illa etiam, quæ in Symbolo de tertia persona, hoc est de Spiritu Sancto traduntur, explicentur. Qua in re declaranda omne studium, & diligentiam Pastores adhibebunt; cum homini Christiano non magis liceat hanc partem ignorare, vel de ea minus recte sentire, quam de aliis superioribus articulis existimandum sit. Quare (a) Apostolus non permisit Ephesios quosdam Spiritus Sancti personam ignorare; a quibus cum quæsisset, an Spiritum Sanctum accepissent, cum illi, ne si Spiritus Sanctus quidem esset, se scire respondissent, statim rogavit: *In quo ergo baptizati estis?* Quibus verbis significavit, distinctam hujus articuli notitiam fidelibus maxime necessariam esse: ex qua eum præcipue fructum capiunt, quod cum attente cogitant, (b) se quidquid habent Spiritus Sancti munere & beneficio consecutos esse, tum vero de seipsis modestius, & humilius sentire, & in Dei præsidio omnem spem ponere incipiunt:

De Spiritu Sancto scire & profunde disputarunt. Greg. Naz. Orat. 37. quæ est 5. de Theologia. Amb. lib. de Spiritu Sancto. Basilius, & Damasc.

a) *Act. 19. 2.*

Fructus fidei hujus articuli.

b) *1. Cor. 12. 3. 4.*

cipiunt: qui primus homini Christiano gradus ad summam sapientiam, & felicitatem esse debet.

2. *Spiritus Sancti verbum non ita tertiæ personæ Trinitatis convenit, ut etiam aliis tribui non possit.*

Pater, & Filius etiam dicuntur Spiritus Sanctus, quin etiam omnes Spiritus cœlestes, Sanctorumque animæ.

Hujus igitur articuli explanationem a vi, & notione, quæ hoc loco Spiritus Sancti vocabulo subjecta est, exordiri oportebit: nam, cum illud æque de Patre, & Filio rectissime dicatur (uterque enim (a) Spiritus est, & (b) sanctus siquidem Deum spiritum esse confitemur) deinde vero hac voce (c) Angeli etiam, & (d) piorum animæ significentur: cavendum est, ne populus verbi ambiguitate in errorem inducatur. Quare docendum est, in hoc articulo Spiritus Sancti nomine tertiam Trinitatis personam intelligi: quomodo in sacris literis tum veteris nonnunquam, tum novi Testamenti frequenter accipitur; nam David precatur: *Et* (e) *Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me:* & in libro Sapientiæ legimus: (f) *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?* & alibi: (g) *Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.* In novo vero testamento jubemur (h) baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & Sanctissimam Virginem (i) de Spiritu Sancto concepisse legimus: tum vero a sancto (k) Joanne ad Christum mittimur, qui nos in Spiritu Sancto baptizat: ac plurimis præterea aliis in locis ea vox legentibus occurrit.

a) *Joan. 4. 24. 2. Cor. 3. 17.*
b) *Isa. 6. 3. Apoc. 4. 8.*
c) *Psal. 103. 4. Hebr. 1. 7.*
d) *Psal. 145. 4. Eccles. 12. 7.*
Tertiæ Trinitatis personæ proprie dicitur Spiritus Sanctus.
e) *Psal. 50. 12.*
f) *Sap. 9. 17.*
g) *Eccl. 1. 9.*
h) *Matt. 28. 19.*
i) *Matt. 1. 20. Luc. 1. 35.*
k) *Joan. 1. 33. Marc. 1. 8.*

3. Qua-

3. *Quare tertiæ perſonæ Trinitatis, perinde ac aliis duabus, proprium nomen non ſit tributum.*

Verum nemo mirari debet, tertiæ perſonæ, quemadmodum primæ, & ſecundæ, proprium nomen tributum non eſſe. Nam ſecunda perſona ideo proprium nomen habet, & Filius dicitur, quia ejus æternus a Patre ortus proprie generatio vocatur, ut in ſuperioribus articulis explicatum eſt. Ut igitur ortus ille generationis nomine ſignificatur: ita perſonam, quæ emanat, proprie Filium appellamus, & a qua emanat, Patrem. Nunc, cum, tertiæ perſonæ productioni proprium nomen impoſitum non ſit, ſed ſpiratio & proceſſio appelletur; ſequitur, ut etiam perſona, quæ producitur, ſuo nomine careat. Nullum autem proprium nomen ejus emanatio habet: propterea quod nomina, quæ Deo tribuuntur, a rebus creatis mutuari cogimur: in quibus quoniam nullam aliam naturæ, & eſſentiæ communicandæ rationem, quam generandi virtute agnoſcimus, ob eam cauſam fit, ut rationem, qua ſeipſum totum Deus vi amoris communicat, proprio vocabulo exprimere non poſſimus. Quare communi Spiritus Sancti nomine tertia perſona appellata eſt: quod quidem illi maxime convenire ex eo intelligimus, quia ſpiritalem vitam in nos infundit; ac ſine ejus ſanctiſſimi numinis afflatu, nihil æterna vita dignum efficere poſſumus.

Cur Spiritus Sancti commune nomen tertiæ perſonæ tributum ſit, vide Aug. in 15. de Trin. cap. 19. & in Joan. tr. 99. Mens humana non aliam eſſentiæ communicandæ rationem agnoſcit, quam per generandi virtutem. Tertia perſona cur dicatur Spiritus Sanctus.

4. *Spiritus Sanctus Deus eſt, ejuſdem omnino cum Patre & Filio potentiæ, & naturæ.*

Verum explicata vocabuli ſignificatione, docendus in primis erit populus, Spiritum San-

Spiritum Sanctum omnino Patri & Filio in omnibus æqualem præter Scripturam, docuerunt D. Dion. Areop. lib. de Div. nom. cap. 2. Iren. lib. 4. l. 14.

Quæ sit hoc in symbolo particula, In, energia. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto c. 13. & 14.

Sanctum, æque ac Patrem, & Filium, Deum esse, eidem æqualem, æque omnipotentem, æternum, & infinitæ perfectionis, summum bonum, ac sapientissimum, ejusdemque cum Patre, & Filio naturæ. Quòd quidem illius vocis, *In*, cum dicimus, *Credo in Spiritum Sanctum*, proprietatis satis indicat, quæ ad exprimendam fidei nostræ vim, singulis Trinitatis personis apposita est. Atque id etiam aperta sacrarum literarum testimonia confirmant. Nam cum sanctus Petrus in Actis Apostolorum dixisset: (a) *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* mox inquit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo:* quem prius Spiritum Sanctum appellaverat, eundem statim Deum vocat. Apostolus etiam ad Corinthios, quem Deum dixerat, Spiritum Sanctum esse interpretatur: (b) *Divisiones*, inquit, *operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus:* deinde subjungit: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Præterea in Actis Apostolorum, quod uni Deo Prophetæ tribuunt, ille Spiritui Sancto adscribit: dixerat enim Isaias: (c) *Audivi vocem Domini dicentis; Quem mittam? & dixit mihi: Vade, & dices populo huic: Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat.* Quæ verba cum Apostolus citaret: (d) *Bene*, inquit, *Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam.* Deinde vero cum Scriptura Spiritus Sancti personam cum Patre, & Filio conjungit, ut (e) cum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomen in baptismo adhiberi præcipit, nul-

a) *Act. 5. 3. Spiritus Sancti divinitas pulcherrime confirmatur.*

b) *1. Cor. 12. 4. Ibidem 11.*

c) *Isa. 6. 8.*

d) *Act. 28. 25.*

e) *Matt. 28. 19. & Joan. 5. 7.*

nullus nobis de hujus myſterii veritate dubitandi locus relinquitur: nam ſi Pater Deus eſt, & Filius Deus; omnino fateri cogimur, etiam Spiritum Sanctum, qui cum eis pari honoris gradu conjungitur, Deum eſſe. Accedit autem, quod is, qui in nomine cujuſvis rei creatæ baptizatur, nullum ex eo fructum conſequi poteſt. (a) *Nunquid in nomine Pauli*, inquit, *baptizati eſtis?* ut oſtenderet hoc eis nihil ad comparandam ſalutem profuturum eſſe. Cum igitur baptizemur in nomine Spiritus Sancti, eum eſſe Deum fateri oportet. Sed hunc eundem trium perſonarum ordinem, quo Spiritus Sancti divinitas comprobatur, licet animadvertere, tum in Epiſtola Joannis: (b) *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt:* tum ex præclaro illo ſanctæ Trinitatis elogio, quo divinæ laudes, & pſalmi concluduntur, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Poſtremo, quod ad eam veritatem confirmandam maxime pertinet, quæcunque Dei propria eſſe credimus, ea Spiritui Sancto convenire ſacræ literæ teſtantur. Quare illi templorum honorem tribuunt, ut cum Apoſtolus ait: (c) *An neſcitis: quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti?* Item (d) *ſanctificationem*, & (e) *vivificationem*, & (f) *ſcrutari profunda Dei*, & (g) *per prophetas loqui*, & (h) *ubique eſſe:* quæ omnia divino tantum numini tribuenda ſunt.

a) 1. Cor. 1. 13. *Vide ex hoc loco pulcherrimam rationem apud D. Greg. Naz. Orat. 5. de Theol. quæ eſt 17. in ordine.*

b) 1. Joan. 5. 7. *Vide ex hoc loco argumentum apud Aug. lib. 1. Trin. cap. 5.*

c) 1. Cor. 6. 19.
d) 2. Theſſ. 2. 13.
1. Petr. 1. 2.
e) Joan. 6. 63. 2. Cor. 3. 6.
f) 1. Cor. 2. 10.
g) 2. Petr. 1. 21.
h) Pſ. 138. 7. Sap. 1. 17.

5. *Certo credendum eſt, Spiritus Sancti vocabulum tertiam Divinitatis perſonam per ſe ſubſiſtentem ſignificare.*

Sed illud præterea fidelibus accurate explanandum eſt, Spiritum Sanctum ita Deum eſſe, ut

Spiritum Sanctum perſonam ſubſiſtentem per

se probant Patres qui contra Sabellium dimicarunt.

eum tertiam personam in divina natura a Patre, & Filio distinctam, & voluntate productam confiteri oporteat. Nam, ut alia scripturarum testimonia omittantur, baptismi forma, (a) quam Salvator noster docuit: apertissime ostendit, Spiritum Sanctum tertiam esse personam, quæ in divina natura per se constet, & ab aliis distincta sit. Quod etiam Apostoli verba declarant, cum inquit: (b) *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, Amen.* Idem vero multo apertius demonstrant, quæ Patres in Constantinopolitano primo Concilio hoc loco ad confutandam impiam Macedonii amentiam addiderunt: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.* Quod igitur *Spiritum Sanctum* Dominum confitentur, in eo declarant, quantum Angelis antecellat, qui tamen nobilissimi spiritus a Deo conditi sunt: illos enim omnes sanctus (c) Paulus testatur esse *administratorios spiritus, in ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Vivificantem vero appellant, quod anima cum Deo conjuncta magis vivit, quam corpus animæ conjunctione alitur, ac sustinetur. Quoniam vero Spiritui Sancto (d) sacræ literæ hanc animæ cum Deo conjunctionem tribuunt, rectissime *vivificantem Spiritum Sanctum* vocari perspicuum est.

a) *Matth. 28. 19.*

b) *1. Cor. 13. 13. In Symbol. Constantinopol. primo, & Niceno illa vox, Filioque, non fuit, sed postea a latinis addita est, quæ postea fuit explicatio quæ additio, quam explicationem in Conc. Lugdunensi, & Florentino confirmarunt Græci.*

c) *Hebr. 1. 14. Deus est vita animæ. Aug. lib. 19. de Civit. cap. 20. & de ver. Apo. Ser. 16.*

d) *Rom. 8. 1. Cor. 12. 1.*

6. *Spiritum Sanctum a Patre & Filio, tanquam ab uno principio, procedere declaratur.*

Spiritum Sanctum a Filio procedere.

Jam vero quod sequitur, *Qui ex Patre, Filioque procedit*, docendi sunt fideles, Spiritum San-

Sanctum a Patre, & Filio, tanquam ab uno principio, æterna processione procedere: id enim Ecclesiastica regula, a qua Christiano non licet aberrare, credendum nobis proponit, & divinarum literarum, & Conciliorum auctoritate confirmatur. Nam Christus Dominus, cum de Spiritu Sancto loqueretur, dixit: (a) *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Hoc idem ex eo colligitur, quod in Scripturis Sacris Spiritus Sanctus nonnunquam Spiritus (b) Christi, interdum Spiritus Patris appellatur: modo a Patre, & modo a Filio mitti dicitur, ut æque a Patre, & Filio procedere non obscure significetur. (c) *Qui Spiritum Christi non habet*, inquit sanctus Paulus, *hic non est ejus:* & idem Spiritum Christi vocat, cum ad Galatas inquit: (d) *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.* Apud sanctum Matthæum Spiritus Patris appellatur: (e) *Non vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri:* & Dominus in cœna inquit: (f) *Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Tum alibi eundem Spiritum Sanctum a Patre mittendum affirmat his verbis: *Quem mittet Pater in nomine meo.* (g) Ex quibus verbis cum processionem Spiritus Sancti intelligamus, perspicuum est, eundem ab utroque procedere. Hæc sunt, quæ de Spiritus Sancti persona tradenda erunt.

Græci Patres scribunt Ath. in symbol. & Serm. 4. cont. Ari. Basil. lib. 1. & 3. & contra Eun. & alii.

Concil. Lateranense c. 1. Lugdunense in Decr. lib. 6. & Florentinum in literis unionis.

a) *Joan. 16. 14.*
b) *Act. 16. 7. 1. Petr. 1. 11.*
c) *Rom. 8. 9.*
d) *Gal. 4. 6.*

e) *Matth. 10. 20.*
f) *Joan. 15.*

g) *Joan. 14. 26.*

7. Cum

7. *Cum opera Trinitatis sint indivisa, quare peculiariter quidam effectus, & dona Spiritui Sancto tribuantur.*

De admirandis Spiritus Sancti affectibus, & donis vide Aug. lib. de Serm. Domini in monte c. 9. & Greg. hom. 19. in Ezech.

Trinitatis opera indivisa sunt ad extra. Aug. lib. 1. de Trinitate c. 4. & in Joan. tract. 2. & alibi frequenter.

Cur peculiariter quadam opera Spiritui Sancto tribuantur.

Spiritus Sanctus cur donum vocetur. Aug. in Enchir. cap. 57. & in 6. de Trin. c. 15.

Docere præterea oportebit, quosdam esse Spiritus Sancti admirabiles effectus, & amplissima quædam munera, quæ ab ipso, tanquam a perenni bonitatis fonte; oriri, & manare dicuntur. Quamvis enim sanctissimæ Trinitatis opera, quæ extrinsecus fiunt, tribus personis communia sint: ex iis tamen multa Spiritui Sancto propria tribuuntur, ut intelligamus illa in nos a Dei immensa charitate proficisci; nam, cum Spiritus Sanctus a divina voluntate, veluti amore inflammata, procedat, perspici potest, eos effectus, qui proprie ad Spiritum Sanctum referuntur, a summo erga nos Dei amore oriri. Quare ex eo consequitur, ut Spiritus Sanctus donum appelletur: nam doni vocabulo significatur id, quod benigne & gratuito, nulla spe remunerationis propositа, donatur. Ac proinde quæcunque dona, & beneficia a Deo in nos collata (a) sunt (quid autem habemus, quod a Deo, ut inquit Apostolus, non acceperimus?) ea nobis Spiritus Sancti concessu, & munere data esse, pio & grato animo agnoscere debemus.

a) 1. Cor. 4. 7.

8. *Qui, qualesve, & quanti sint Spiritus Sancti effectus.*

Plures sunt Spiritus Sancti effectus.

Ejus autem plures effectus sunt: nam (b) ut mundi creationem, (c) creatarumque rerum propagationem, & gubernationem omittamus, de quibus in primo articulo commemoravimus; vivificationem Spiritui Sancto proprie tribui, paulo ante demonstratum est: & Ezechielis testimonio

b) Job. 33. 4. Psal. 32. 6.

c) Sap. 1. 7.

ſtimonio confirmatur: (a) *Dabo:* inquit, *vobis Spiritum, & vivetis.* Præcipuos tamen, & mixime proprios Spiritus Sancti effectus Prophe enumerat, (b) *Spiritum ſapientiæ, & intellectus, ſpiritum conſilii, & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritum timoris Domini:* quæ dona Spiritus Sancti vocantur: interdum autem Spiritus Sancti nomen eis tribuitur. Quare ſapienter D. Auguſtinus monet, animadvertendum eſſe, cum in ſacris literis hujus vocis Spiritus Sancti mentio fit, ut dijudicare poſſimus, tertiam ne Trinitatis perſonam, an ejus effectus, atque operationes ſignificet: nam hæc duo eodem intervallo diſtinguenda ſunt, quo etiam Creatorem a rebus creatis differre credimus. Atque hæc eo diligentius explicanda ſunt, quod ex hiſce Spiritus Sancti donis Chriſtianæ vitæ præcepta haurimus, ſentireque poſſumus, an Spiritus Sanctus in nobis ſit. Verum præ cæteris ejus ampliſſimis muneribus gratia illa prædicanda eſt, quæ nos juſtos facit, (c) ſignatque Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. Hæc enim mentem noſtram arctiſſimo amoris vinculo Deo junigit: ex quo fit, ut ſummo pietatis ſtudio accenſi novam vitam inſtituamus, ac (d) naturæ divinæ participes effecti, (e) filii Dei nominemur, & vere ſimus.

a) *Ezech. 37. 6.* *Spiritus Sancti dona.*

b) *Iſa. 11. 2.*

D. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 15. & 19. Fulg. lib. 2. ad Mon. cap. 7. & 8.

Juſtificatio noſtra eſt Spiritus Sancti ſignaculum, de qua copioſe agitur Seſſ. 6. Conc. Trid.

c) *Epheſ. 1. 13.*

d) *2. Petr. 1. 4.*
e) *1. Joan. 3. 1.*

DE

DE NONO ARTICULO,

CAPUT X.

CREDO SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, SANCTORUM COMMUNIONEM.

1. Quibus de causis nonus articulus omnium frequentissime populo inculcandus sit.

Quanta diligentia curare Pastores debeant, ut hujus noni articuli veritatem fidelibus explicent, si duo potissimum considerentur, facile cognosci poterit. Primum enim, teste sancto Augustino, Prophetæ planius, & apertius de Ecclesia, quam de Christo locuti sunt; cum in eo multo plures errare, ac decipi posse, quam in Incarnationis Sacramento præviderent. Neque enim defuturi erant impii, qui ad simiæ imitationem, quæ se hominem esse fingit, solos se Catholicos esse profiterentur, & Catholicam Ecclesiam apud se tantum, non minus nefarie, quam superbe affirmarent. Deinde si quis hanc veritatem firmo animo conceptam habuerit, facile horrendum hæresis periculum effugiet. Non enim, ut quisque primum in fide peccarit, Hæreticus dicendus est: sed qui, Ecclesiæ auctoritate neglecta, impias opiniones pertinaci animo tuetur. Cum igitur fieri non possit, ut aliquis se hæresis peste commaculet, si iis fidem adhibeat, quæ in hoc articulo credenda proponuntur: curent omni studio Pastores, ut fideles, cognito hoc mysterio, contra adversarii

De Ecclesia ex veteribus scripserunt Aug. concione 2. super Psal. 30. & Cyprian, lib. de unit. Eccl. Cur prophetæ planius de Ecclesia, quam de Christo sint locuti, Aug. in Psal. 30. vide prophetarum testimonia apud eundem in lib. de util. cred. c. 7. 8. & 9. & adhuc fusius in lib. 17. de Civ. Dei cap. 4. 5. 8. 16. 20. & lib. 18. fere per totum. Verus noni articuli professor nequit dici Hæreticus.

artes

artes muniti in fidei veritate perſeverent, Pendet autem hic articulus a ſuperiori: quia, cum jam demonſtratum ſit, Spiritum Sanctum omnis ſanctitatis fontem, & largitorem eſſe, nunc ab eodem Eccleſiam ſanctitate donatum confitemur.

2. *Quod peculiari ratione nomine Eccleſiæ, quidque generatim denotetur.*

Ac quoniam Eccleſiæ vocem Latini a Græcis mutuati, poſt divulgatum Evangelium ad res ſacras tranſtulerunt, quam vim habeat hoc vocabulum, aperiendum eſt. Significat autem Eccleſia Evocationem: verum ſcriptores poſtea uſurparunt pro concilio, & concione. Neque vero refert, utrum populus ille veri Dei, an falſæ religionis cultor extiterit: in Actis enim de Epheſino populo ſcriptum eſt, cum ſcriba turbas ſedaſſet, dixiſſe; (a) *Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima Eccleſia poterit abſolvi.* Legitimam vocat Eccleſiam populum Epheſinum, Dianæ cultui addictum. Neque ſolum gentes, quæ Deum non noverunt, ſed etiam malorum & impiorum hominum concilia interdum Eccleſia nominantur. (b) *Odivi*, inquit Propheta, *Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* Communi vero deinde ſacrarum ſcripturarum conſuetudine hæc vox ad rempublicam Chriſtianam, fideliumque tantum congregationes ſignificandas uſurpata eſt; qui ſcilicet ad lucem veritatis, & Dei notitiam per fidem vocati ſunt, ut, rejectis ignorantiæ, & erorum tenebris, Deum verum, & vivum pie & ſanctæ colant, illique ex toto corde inſerviant: atque, ut uni-

Eccleſia eſt ἐκκλησία a verbo græco ἐκκαλέω Et bene Eccleſia dicitur, quia omnes ad ſalutem vocat & colligat, ut ait Dominus, Levit. cap. 8. 3.

a) *Act. 19. 39.*

b) *Pſal. 25. 5. Eccleſia peculiari, & uſitata conſuetudine ſignificat omnium fidelium multitudinem: cæteræ ſignificationes nominis Eccleſiæ exponentur Sect. 9. hujus Articuli. Definitio Eccleſiæ. Aug. in Pſal. 140. vide Cyprianum Ep. 69.*

co

co verbo hæc res tota absolvatur, Ecclesia, ut ait Sanctus Augustinus, *est populus fidelis per universum orbem dispersus.*

3. *Quæ potissimum mysteria in vocabulo Ecclesiæ contemplanda offerantur.*

Ecclesia quo a cæteris gentilibus politiis differat. Deus qui suam Ecclesiam vocarit.

Nec vero levia mysteria in hoc vocabulo continentur. Etenim in Evocatione, quam Ecclesia significat, statim divinæ gratiæ benignitas, & splendor elucet, intelligimusque Ecclesiam ab aliis rebus publicis maxime differre: illæ enim humana ratione, & prudentia nituntur; hæc autem Dei sapientia, & consilio constituta est: vocavit enim nos intimo quidem Spiritus Sancti afflatu, qui corda hominum aperit; extrinsecus autem Pastorum, & Prædicatorum opera, ac ministerio. Præterea ex hac vocatione quis nobis finis propositus esse debeat, nimirum æternarum rerum cognitio, & possessio, is optime perspiciet, qui animadverterit, cur olim fidelis populus sub lege positus, synagoga, id est congregatio diceretur: nam, ut docet sanctus Augustinus, *hoc ei nomen impositum est, quia pecudum more, quibus magis congregari convenit, terrena, & caduca tantum bona spectaret.* Quare merito Christianus populus non synagoga, sed Ecclesia dicitur: quia terrenis, & mortalibus rebus contemptis: cœlestes, & æternas tantummodo consectatur.

Duplex Ecclesiæ vocatio.

Finis vocationis varius, qui est æternarum rerum post cognitionem possessio. August. in Psal. 77. 81. Ecclesia quo differat a Judæorum republica.

4. *Quibus nominibus Christianorum universitas in sacris literis describta inveniatur.*

a) *Luc. 6. 41. 15. 25. 1. Tim. 3. 15. 2. Tim. 2. 20. Hebr. 4.*
b) *Ædificium.*

Multa præterea nomina, quæ plena sunt mysteriis, ad Christianam rempublicam significandam traducta sunt: nam & (a) domus, & (b) ædificium Dei ab Apostolo vocatur. Si

tarda-

tardavero, inquit ad Timotheum, *ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.* Domus autem Ecclesia idcirco appellatur, quia sit veluti una familia, quam unus paterfamilias moderatur, & in qua est bonorum omnium spiritualium communio. Dicitur etiam (a) grex ovium Christi, quarum ille ostium est, & Pastor: vocatur & sponsa Christi; (b) *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, inquit Apostolus ad Corinthios. Idem ad Ephesios: (c) *Viri diligite uxores vestras: sicut & Christus dilexit Ecclesiam:* ac de matrimonio: *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Dicitur denique Ecclesia (d) corpus Christi, (e) ut ad Ephesios, (f) & Colossenses licet videre. Et hæc singula plurimum valent ad fideles excitandos, ut se dignos immensa Dei clementia, & bonitate præbeant, qui eos, (g) ut populus Dei esset, elegit.

Matth. 16. 18. Rom. 15. 20. 1. Cor. 3. 9. Domus Dei cur sit dicta Ecclesia. Grex ovium.

a) *Joan. 10. 1. 2. Sponsa Christi.*
b) *2. Cor. 11. 2.*

c) *Ephes. 5. 25. Vide Cypr. Ep. 6. lib. 1. & in lib. de unit. Eccl. eodem capite ver. 3.*

d) *Ecclesia est corpus Christi. Rom. 12. 3. 4. 1. Cor. 12. 12.*
e) *Eph. 2. 23.*
f) *Col. 1. 24.*
g) *1. Petr. 1. 9. 10.*

§. *Duæ præcipue Ecclesiæ partes recensentur, triumphans una, militans altera.*

His vero explicatis, necesse erit singulas Ecclesiæ partes enumerare, earumque differentias docere, quo magis Deo dilectæ Ecclesiæ naturam, proprietatis, dona, & gratias populus percipiat; & ob eam causam sanctissimum Dei numen laudare nunquam intermittat. Ecclesiæ autem duæ potissimum sunt partes, quarum altera triumphans, altera militans vocatur. Triumphans est cœtus ille clarissimus, & felicissimus beatorum spirituum, & eorum, qui de Mundo, de Carne, de ini-

De Ecclesia militante, & triumphante Aug. in Ench. cap. 6. & lib. 10. de Civ. Dei c. 7. Triumphans Ecclesia quid sit. Aug. in Ench. cap. 57. Animæ purgandorum triumphant in spe certa. Militans Ecclesia.

quissimo Dæmone triumpharunt, & ab hujus vitæ molestiis liberi ac tuti, æterna beatitudine fruuntur. Militans vero Ecclesia est cœtus omnium fidelium, qui adhuc in terris vivunt: quæ ideo militans vocatur, quod illi cum immanissimis hostibus, Mundo, Carne, Satana, perpetuum sit bellum.

6. Ecclesia militans, & triumphans una est.

Aug. lib. 22. de civ. Dei c. 9. Quia idem Princeps, idem populus, eadem lex, idem vivus, & eadem civitas est.

Neque idcirco tamen duas esse Ecclesias censendum est: sed ejusdem Ecclesiæ, ut antea diximus, partes duæ sunt; quarum una antecessit, & cœlesti patria jam potitur; altera in dies sequitur, donec aliquando cum Salvatore nostro conjuncta, in sempiterna felicitate conquiescat.

7. In Ecclesia militanti duo hominum sunt genera, boni scilicet, & mali.

In Ecclesia militanti duo sunt hominum genera. Vide Aug. in Breviculo, collat. 3.

Jam in Ecclesia militanti duo sunt hominum genera, bonorum, & improborum: & improbi quidem eorundem sacramentorum participes, eadem quoque, quam boni, fidem profitentur, vita ac moribus dissimiles: boni vero in Ecclesia dicuntur ii, qui non solum fidei professione, & communione sacramentorum, sed etiam spiritu gratiæ, & charitatis vinculo inter se conjuncti, & colligati sunt: de quibus dicitur: (a) *Cognovit Dominus, qui sunt ejus:* possunt vero etiam homines aliquibus conjecturis opinari, quinam sint, qui ad hunc piorum hominum numerum pertineant, certo autem scire minime possunt. Quare existimandum non est, Christum Salvatorem de hac Ecclesiæ parte locutum esse, (b) cum ad Ecclesiam non remisit, eique ut pareamus, præcepit. Nam cum

a) *2. Tim. 2. 19. Electorum Ecclesia est incerta. Consulatur cap. 22. Sess. 6. Conc. Trid. decreto de justificatione: vide etiam Aug. tract. 45. in Joan.*

b) *Matt. 18. 19.*

illa

illa sit incognita, cui certum esse poterit, ad cujus judicium confugiendum, & cujus auctoritati obtemperandum sit? Bonos igitur, & improbos Ecclesia complectitur, quemadmodum (a) & divinæ literæ, & sanctorum virorum scripta testantur: in quam sententiam scriptum est illud Apostoli: (b) *Unum corpus, & unus spiritus.* S. *Ecclesia visibilis est: & bonos, & malos suo sino concludit.*

Hæc autem Ecclesia nota est, (c) urbique supra montem sitæ comparata, quæ undique conspicitur: nam (d) cum illi ab omnibus parendum sit, cognoscatur necesse est. Neque bonos tantum, sed etiam malos complectitur, ut multis parabolis Evangelium docet: veluti cum (e) regnum cœlorum, id est militantem Ecclesiam, simile esse sagenæ in mare missæ commemorat: vel agro, in quo zizania superseminata sunt: vel (f) areæ, in qua frumentum cum paleis continetur: vel (g) decem virginibus partim fatuis, partim prudentibus. Sed multo ante etiam in (h) arca Noe, qua non solum munda, sed etiam immunda animantia concludebantur, hujus Ecclesiæ figuram, & similitudinem licet intueri. Quamvis autem bonos, & malos ad Ecclesiam pertinere Catholica fides vere, & constanter affirmet, ex iisdem tamen fidei regulis fidelibus explicandum est, utriusque partis diversam admodum rationem esse: ut enim paleæ cum frumento in areæ confusæ sunt, vel interdum membra varie inter mortua corpori conjuncta; ita etiam mali in Ecclesia continentur.

a) *Matt. 3. 12. & 13. 4. 22. 23. & sequent. 1. Cor. 5. 3. 4. 2. Tim. 2. 20. Greg. Naz. Orat. 51. & 52. adv. Apol.*

b) *Ephes. 4. 4.*

c) *Matt. 5. 14.*

d) *Matt. 18. 17. Cæterum Ecclesiam visibilem esse præter hæc loca, confirmat etiam Num. 20. 4.*

e) *Matt. 13. 47.*

f) *Matt. 3. 12.*

g) *Matt. 25. 1. 2.*

h) *Gen. 7. 2. 1. Petr. 3. 6.*

Duarum Ecclesiæ partium diversissimam esse sortem. Vide August. Tract. 6. in Joan. & Serm. 107. de tempore, & in Psalm. 47.

9. *Quinam Ecclesiæ militantis finibus non contineantur.*

Tria hominum genera ab Ecclesia excluduntur, & primo infideles.

Ex quo fit, ut triæ tantummodo hominum genera ab ea excludantur: primo infideles, deinde hæretici, & schismatici, postremo excommunicati. (a) Ethnici quidem, quod in Ecclesia nunquam fuerunt, neque eam unquam cognoverunt, nec ullius Sacramenti participes in populi Christiani societate facti sunt: (b) Hæretici vero, atque schismatici, quia ab Ecclesia desciverunt: neque enim illi magis ad Ecclesiam spectant, quam transfugæ ad exercitum pertineant, a quo defecerunt (c) Non negandum tamen, quin in Ecclesiæ potestate sint; ut qui ab ea in judicium vocentur, puniantur, & anathemate damnentur. Postremo etiam (d) excommunicati, quod Ecclesiæ judicio ab ea excluſi, ad illius communionem non pertineant, donec resipiscant. De cæteris autem, quamvis improbis, & sceleratis hominibus, adhuc eos in Ecclesia perseverare dubitandum non est: idque fidelibus tradendum assidue, ut si forte Ecclesiæ Antistitum vita flagitiosa sit, eos tamen in Ecclesia esse, nec propterea quidquam de eorum potestate detrahi, certo sibi persuadeant.

a) 1. *Cor.* 5. 12.

2. *Hæretici.*

b) 1. *Tim.* 1. 19. *Cyprian. in Ep. ad Jul.*

Sunt tamen in potestate Ecclesiæ ut ab ea puniantur.

c) *Deut.* 17. 12. *Rom.* 13. 4.

Unde leges in hæreticos latæ.

Excommunicati non sunt in Ecclesia.

d) *Matth.* 18. 17. 1. *Cor.* 5. 4.

Antistitum dignitati nihil detrahit etiam si illi mali sint.

Joan. 11. *Unus autem &c.*

10. *Nominis Ecclesiæ significationum varietas.*

Verum universæ etiam Ecclesiæ partes Ecclesiæ nomine significari solent: ut cum Apostolus Ecclesiam, (e) quæ est Corinthi, (f) Galatiæ, (g) Laodicensium (h) Thessalonicensium nominat: privatas etiam fidelium familias Ecclesias vocat: nam (i) Priscæ, & Aquilæ domesticam Ecclesiam salutari jubet: item alio

e) 1. *Cor.* 1. 2.
f) *Gal.* 1. 2.
g) *Col.* 4. 16.
h) *Thess.* 1. 1.

Privatæ fidelium familiæ Ecclesiæ appellantur.

i) *Rom.* 16. 4.

in

in loco: (a) *Salutant vos*, inquit, *in Domino multum Aquila, & Priscilla cum domestica sua Ecclesia:* ad Philemonem (b) etiam scribens eandem vocem usurpavit. Interdum quoque Ecclesiæ nomine ejus Præsides, ac Pastores significantur: (c) *Si te non audierit*, inquit Christus, *dic Ecclesiæ:* quo in loco præpositi Ecclesiæ designantur: (d) sed locus etiam, in quem populus sive ad concionem sive alicujus rei sacræ causa convenit, Ecclesia apellatur. Præcipue vero in hoc articulo Ecclesia bonorum simul, & malorum multitudinem, nec præsides solum, sed eos etiam, qui patere debent, significat.

a) *1. Cor. 16. 19.*

b) *Phil. 1. 2.*

c) *Math. 18. 17. Ecclesia pro ipsius præpositis, & pastoribus aliquando usurpatur.*

d) *3. Reg. 8. Ecclesia pro loco. Deut. 23. & 1. Cor. 14. 16.*

11. De Notis veræ Ecclesiæ; & primo cur una dicatur.

Hic Ecclesia proprie accipitur pro omnium fidelium tam bonorum quam malorum multitudine.

Aperiendæ autem sunt fidelibus hujus Ecclesiæ proprietates, ex quibus licebit agnoscere, quanto beneficio a Deo affecti sint, quibus contigerit in ea nasci, atque educari. Prima igitur proprietas in Symbolo Patrum describitur, ut una sit: (e) *una enim*, inquit, *est columba mea, una est speciosa mea.* Vocatur autem una tanta hominum multitudo, quæ tam longe lateque diffusa est, ob eas causas, quæ ab Apostolo ad Ephesios scriptæ sunt: (f) *Unum enim Dominum, unam fidem, unum Baptisma* tantum esse prædicat. Unus est etiam ejus rector ac gubernator: invisibilis quidem Christus, quem æternus Pater dedit (g) caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius: Visibilis autem is, qui Romanam cathedram, Petri Apostolorum Principis legitimus successor, tenet.

Prima Ecclesiæ nota est, ut sit una.

Quæ quidem nota ab hæreticorum omnium cœtibus distinguitur.

e) *Cant. 6. 8. Cypr. lib. de unit. Ecclesiæ.*

f) *Eph. 4. 4.*

g) *Ephes. 1. 22. Post invisibile Ecclesiæ caput, necessario statui visibile caput colligitur ex Scriptura, in qua Ecclesia comparatur. Exercitui. Cant. 6. Corpori humano, in quo est caput.*

12. Quid de Romano Pontifice visibili Ecclesiæ Christi capite sentiendum sit.

De quo fuit illa omnium Patrum ratio, & sententia consentiens, hoc visibile caput ad unitatem Ecclesiæ constituendam, & conservandam necessarium fuisse: quod præclare & vidit, & scripsit sanctus Hieronymus contra Jovinianum iis verbis: *Unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolatur occasio:* & ad Damasum: *Faceſſat invidia: Romani culminis recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri, communione conſocior,* (a) *ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio.* (b) *Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt:* (c) *ſi quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio:* quod & longe ante ab Irenæo probatur: & Cypriano, qui de unitate Eccleſiæ loquens ait: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego, Petre, dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Super unum ædificat Eccleſiam: & quamvis Apoſtolis omnibus, poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat, & dicat:* (d) Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum: *Tamen ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem, ab uno incipientem, auctoritate ſua diſpoſuit, &c.* Optatus deinde Milevitanus ait: *Ignorantiæ tibi adſcribi non poteſt ſcienti in urbe Roma Petro primo Cathedram epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſedevit omnium Apoſtolorum caput Petrus: in quo uno Cathedræ unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: ut jam ſchiſma-*

S. Hieronymus lib. 1. cont. Jovin. in med. & Epiſt. 57. Cant. 7. 3. Reg. Da. 2. 44. Ovili. Joan. 10. 16. Dom. 1. Tim. 3. 15. Navi ſeu arcæ Noe. Iren. lib. 3. contra hæres. c. 3. S. Cyprian. de ſimpl. prælatis in principio fere. In his autem omnibus viſibilis rector cernitur, ergo & in Eccleſia cerni debet;

a) *Mat. 16. 18.*
b) *Exod. 12. 22.*
c) *Gen. 22. 23.*

d) *Joan. 20. 21. 22. Optatus in init. lib. 2. ad Parmenianum.*

ſchiſmaticus, & † *prævaricator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret:* Poſt vero Baſilius ſic ſcriptum reliquit: *Petrus collocatus eſt in fundamento: dixit enim: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi; & viciſſim audivit ſe eſſe petram: licet enim petra eſſet, non tamen petra erat, ut Chriſtus. Nam Chriſtus vere immobilis Petra, Petrus vero propter petram. Dignitates enim ſuas Deus largitur aliis: ſacerdos eſt, & facit ſacerdotes: petra eſt, & petram facit, & quæ ſua ſunt, largitur ſervis ſuis.* Poſtremo vero ſanctus Ambroſius idem ait: * *Magna ſunt enim Dei munera, qui non ſolum nobis, quæ noſtra fuerant, reparavit, verum etiam, quæ ſua ſunt propria, conceſſit:* deinde paucis interjectis, ſequitur: *Magna autem Chriſti gratia, qui omnia prope vocabula ſua diſcipulis ipſis donavit:* (a) *Ego ſum* inquit, *lux mundi:* & id tamem, quo ipſe gloriatur, diſcipulis nomen indulſit, dicens: (b) *Vos eſtis, lux mundi.* (c) *Ego ſum panis vivus:* &, (d) *Nos omnes unus panis ſumus:* (e) *Ego ſum vitis vera.* Et tibi dicit: (f) * *Plantavi te vitem fructuoſam, omnem veram:* (g) *Petra eſt Chriſtus*, bibebant enim de ſpirituali ſequenti petra, *petra autem erat Chriſtus: Et jam diſcipulo ſuo hujus vocabuli gratiam non negavit,* (h) *ut & ipſe ſit Petrus, quod de petra habeat ſoliditatem conſtantiæ, fidei firmitatem.*

† *Alia litera habet, peccator. Sanct. Baſil. Hom. 29. Quæſt. de Pœnitentia.*

Chriſtus ita bonus eſt, & ſui natura diffuſivus, quod ſuas dignitates, & munera largitur aliis. S. Ambroſius lib. 6. com. in Lucam cap. 9. ultra medium.

* *Alia editiones hæc omittunt & incipiunt auctoritatem S. Ambroſ. a §. ſeq. ſed perperam.*

a) *Joan. 8. 12.*

b) *Matt. 5. 14.*
c) *Joan. 6. 41.*
d) *1. Cor. 10.*
e) *Joan. 15.*

f) *Hier. 2.*
* *Textus hic ita legitur apud S. Ambroſium. Sed aliter in vulgata editione.*
g) *1. Cor. 10.*
h) *Matt. 16. Matt. 7.*

13. *Quomodo præter Chriſtum Eccleſia uno capite viſibile indigeat.*

Verum ſi quis objiciat, Eccleſiam uno capite ſponſo Jeſu Chriſto contentam, præterea nullum requirere: in promptu reſponſio eſt: ut enim Chriſtum Dominum ſingulorum ſacra-

mentorum non ſolum auctorem, ſed intimum
a) *Joan.* 1. 33. b) *Pſal.* 43. 25. c) 1. *Cor.* 4. 1. etiam præbitorem habemus: nam (a) ipſe eſt, qui baptizat: (b) & qui abſolvit, & tamen (c) is homines ſacramentorum externos miniſtros inſtituit) ſic Eccleſiæ, quam ipſe intimo ſpiritu regit, hominem ſuæ poteſtatis vicarium, & miniſtrum præfecit. Nam cum viſibilis Eccleſia viſibili capite egeat, ita Salvator noſter Petrum univerſi fidelium generis caput, &
d) *Joan.* 21. 15. *In Petro omnes Rom. Pontif. primatum ſu- er omnem Eccleſiam acceperunt. Iren. lib. c. 3.* Paſtorem conſtituit, (d) cum illi oves ſuas paſcendas verbis ampliſſimis commendavit, ut qui ei ſucceſſiſſet, eandem plane totius Eccleſiæ regendæ, & gubernandæ poteſtatem habere voluerit.

14. Cur Eccleſia una dicatur, alias rationes ſubjungit.

e) 1. *Cor.* 12. 11. Unus præterea idemque eſt (e) Spiritus, inquit Apoſtolus ad Corinthios, qui fidelibus gratiam, perinde atque anima corporeis membris vitam impertitur. Ad quam unitatem ſervandam cum Epheſios hortaretur, inquit:
f) *Epheſ.* 4. 3. (f) *Solliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis: unum corpus, & unus Spiritus.* Quemadmodum enim humanum corpus multis conſtat membris, eaque ab una anima aluntur, quæ oculis viſum, auribus auditum, & aliis ſenſibus diverſas vires ſubminiſtrat: ita Corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, ex mul-
g) *Epheſ.* 4. 4. 1. *Cor.* 9. 10. tis fidelibus compoſitum eſt. (g) Una quoque eſt ſpes, ut in eodem loco idem Apoſtolus teſtatur, ad quam vocati ſumus: ſiquidem omnes eandem rem, nempe æternam & beatam vitam, ſperamus. Una eſt denique fides, quæ
h) 1. *Cor.* 1. 10. omnibus tenenda eſt, ac præferenda: (h) *Non ſint*, inquit Apoſtolus, *in vobis ſchiſmata*; atque

unum

unum baptiſma, quod quidem eſt Chriſtianæ fidei Sacramentum.

15. De ſecunda nota Eccleſiæ, quæ dicitur Sancta. Epheſ. 5.

Altera proprietas Eccleſiæ eſt, ut ſit ſancta: quod a Principe Apoſtolorum accepimus eo loco; (a) *Vos autem genus electum, gens ſancta.* Appellatur autem ſancta, quod Deo conſecrata, dedicataque ſit: ſic enim cætera hujuſcemodi, quamquam corporea ſint, ſancta vocari conſueverunt, cum divino cultui addicta, & dedicata ſunt: cujus generis ſunt in lege veteri (b) vaſa, (c) veſtes, & (d) altaria, in qua primogeniti quoque, (e) qui Deo altiſſimo dedicabantur, ſancti ſunt appellati. Nec mirum cuiquam videri debet, Eccleſiam dici ſanctam, tametſi multos peccatores continet: (f) Sancti enim vocantur fideles, qui populus Dei effecti ſunt, quive ſe, fide & baptiſmate ſuſcepto, Chriſto conſecrarunt: quamquam in multis offendunt, &, quæ pollitici ſunt, non præſtant: quemadmodum etiam qui artem aliquam profitentur, etſi artis præcepta non ſervent, nomen tamen artificum retinent. Quare D. Paulus Corinthios (g) ſanctificatos, & ſanctos appellat, in quibus nonnullos fuiſſe perſpicuum eſt, quos ut carnales, (h) & gravioribus etiam nominibus acriter objurgat. Sancta etiam dicenda eſt, quod veluti corpus cum ſancto capite Chriſto Domino, (i) totius ſanctitatis fonte conjungitur, (k) a quo Spiritus Sancti chariſmata, & divinæ bonitatis divitiæ diffunduntur. Præclare Sanctus Auguſtinus, interpretans verba illa Prophetæ, (l) *Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum,*

a) 1. *Petr.* 2. 9. *Prima ratio cur ſancta dicatur, Eccleſia ſanctitatem oſtenderunt Juſtinus Mart. in utraque apologia, & Tertullian. in apologetico Ambr. lib. com. in Luc. cap. 1.*

b) *Num.* 31. 6.
c) *Exod.* 28. 2. & 29. 19.
d) *Exod.* 30. 5.
e) *Exod.* 34. 19.

f) *Rom.* 1. 7.

g) 1. *Cor.* 1. 2. 2. *Cor.* 1. 1.

h) 1. *Cor.* 5. 1. *Secunda ratio.*

i) *Dan.* 9. 24.
k) *Eph.* 2. 24. *S. Auguſt. in Pſal.* 85. 2.

l) *Pſalm.* 85. *Vide etiam Amb. lib.* 1. *com. in Luc. 1. Reg.* 2. 2.

Audeat, inquit, *& Corpus Christi, audeat & unus ille homo, clamans a finibus terræ, cum capite suo, & sub capite suo dicere: Sanctus sum: accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam Baptismi & remissionis peccatorum.* Ac paulo post: *Si Christiani omnes, & fideles, in Christo baptizati, ipsum induerunt,* sicut Apostolus dicit, (a) *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; si membra sunt facti corporis ejus, & dicunt se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt injuriam, cujus membra sancta sunt.* Accedit etiam, quod sola Ecclesia legitimum sacrificii cultum, & salutarem habet Sacramentorum usum, per quæ tanquam efficacia divinæ gratiæ instrumenta, Deus veram sanctitatem efficit: ita ut quicunque vere sancti sunt, extra hanc Ecclesiam esse non possint. Patet igitur, Ecclesiam esse sanctam, ac sanctam quidem, quoniam corpus est Christi, a quo sanctificatur, cujusque sanguine abluitur.

a) *Rom. 6. 3. Gal. 3. 27.*

Tertia ratio. Greg. lib. 35. moral. cap. 6. Sancta dicitur Ecclesia. Quia firma semper & stabilis perseveravit ab Adam incipiens usque ad finem mundi duratura: Psalm. 47. Sicut audivimus sic &c. Vel ideo Sancta quia fundata Sanguine Christi, & Sanctorum. Ecclesiam ab antiquissimis temporibus universalem fuisse tradunt Tertul. contra Judæos. S. Aug. Ser. 131. & 181. de tempore:

16. Qua ratione Ecclesia Christi sit Catholica.

Tertia proprietas Ecclesiæ ea est, ut Catholica, nempe universalis vocetur: quæ appellatio vere illi tributa est; quoniam, ut testatur sanctus Augustinus, *a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.* Neque enim ut in humanis rebus publicis, aut Hæreticorum conventibus, unius tantum regni terminis, aut uno hominum genere Ecclesia definita est: verum omnes homines, (b) sive illi barbari sint, sive Scythæ, sive servi, sive liberi, sive masculi, sive fœminæ, charitatis sinu complectitur. Quare scriptum est: (c) *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos*

b) *Col. 3. 11.*

c) *Apoc. 5. 9.*

Deo

Deo noſtro regnum. De Eccleſia dicit David: (a) *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Item: (b) *Memor ero Raab, & Babylonis ſcientium me: & Homo natus eſt in ea.* Præterea omnes fideles, qui ab Adam in hunc uſque diem fuerunt quive futuri ſunt, quamdiu mundus extabit, veram fidem profitentes, ad eandem Eccleſiam pertinent, (c) quæ ſuper fundamento Apoſtolorum fundata eſt, ac Prophetarum, qui omnes in illo lapide angulari Chriſto, (d) qui fecit utraque unum, (e) & pacem iis, qui prope, & iis, qui longe, annunciavit, conſtituti ſunt, & fundati. Univerſalis etiam ob eam cauſam dicitur, quod omnes, qui ſalutem æternam conſequi cupiunt, eam tenere & amplecti debeant, (f) non ſecus ac qui arcam, ne diluvio perirent, ingreſſi ſunt. Hæc igitur veluti certiſſima regula tradenda eſt, qua vera & falſa Eccleſia judicetur.

a) *Pſalm. 2. 8. Auguſt. lib. de agone Chriſti. c. 29. & Epiſt. 101.*

b) *Pſal. 86. 4. Raab pro Ægypto in Scripturis ſumitur ut Iſa. 51.*

c) *Eph. 2. 20.*

d) *Ibid. 14.*

e) *Ibid. 17. Extra Eccleſiam nulla eſt ſalus. Cyprian. de ſimpl. prael. Aug. Serm. 181. de Tempore.*

f) *Gen. 7. 1.*

17. Quo pacto Eccleſia Chriſti etiam Apoſtolica dicatur.

Sed ex origine etiam, quam revelata gratia ab Apoſtolis ducit, Eccleſiæ veritatem agnoſcimus: ſiquidem ejus doctrina veritas eſt, non recens, neque nunc primum orta, ſed ab Apoſtolis jam olim tradita, & in omnem orbem terrarum diſſeminata. Ex quo fit, ut nemo dubitari poſſit, impias hæreticorum voces longe a veræ Eccleſiæ fide abeſſe, cum doctrinæ Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis ad hanc diem prædicata eſt, adverſentur. Quare, ut omnes intelligerent, quænam eſſet Eccleſia Catholica, Patres in Symbolo illud divinitus addiderunt, *Apoſtolicam.* Etenim Spiritus Sanctus,

Eccleſia vera a falſa dignoſcendæ certiſſima regula. Hæ ſunt ergo veræ Eccleſiæ notæ, quod una q. ſancta, quod catholica, & q. Apoſtolica: una, q. ſibi conſentiens in omni fidei doctrina: ſancta quia ſtabilis, & perſeverans: catholica, quia ubique diffuſa omne genus hominum complectitur, & quia generaliter omnes genus peccatorum

torum curat, & profligat: ac denique Apostolica, quia omne virtutis genus possidet. Matth. 28.

ctus, qui Ecclesiæ præsidet, eam non per aliud genus ministrorum, quam per Apostolicum, gubernat. Qui Spiritus primum quidem Apostolis tributus est, deinde vero summa Dei benignitate semper in Ecclesia mansit.

18. Ecclesia in fidei, aut morum dogmatibus errare non potest.

Ecclesia errare non potest. 1. Tim. 3. 15. Tert. de præscript. Aug. lib. 2. contra Cresc. cap. 32.

Sed quemadmodum hæc una Ecclesia errare non potest in fidei, ac morum disciplina tradenda, cum a Spiritu Sancto gubernetur: ita cæteras omnes, quæ sibi Ecclesiæ nomen arrogant, ut quæ Diaboli spiritu ducantur, in doctrinæ, & morum perniciosissimis erroribus versari necesse est.

19. Quibus præcipue figuris Christi Ecclesia in veteri Testamento adumbrata sit.

Sed, quoniam magnam vim habent figuræ veteris Testamenti ad excitandos fidelium animos, revocandamque rerum pulcherrimarum memoriam, cujus rei potissimum causa Apostoli his usi sunt: illam quoque doctrinæ partem, quæ magnas utilitates habet, Parochi non prætermittent. In his autem illustrem significationem habet arca Noe, quæ ob eam rem tantum divino jussu constructa est, ut nullus dubitandi locus relinquatur, quin Ecclesiam ipsam significet, quam Deus sic constituit, ut quicunque per baptismum illam ingrederentur, ab omni mortis æternæ periculo tuti esse possent: qui vero extra illam essent, quemadmodum iis evenit, qui in arcam recepti non sunt, suis sceleribus obruerentur. Alia figura est magna illa civitas *Hierusalem*, cujus nomine Scripturæ sæpius sanctam Ecclesiam significant.

Arca Noe fuit Ecclesiæ figura. Gen. 6. 1. Petr. 3. 20. Vide Aug. lib. 18. civ. c. 26. & 27.

Hierusalem figura Ecclesiæ.

Ni-

Nimirum in illa ſola offerre Deo ſacrificia licebat, quia in ſola etiam Dei Eccleſia, neque extra eam uſquam verus cultus, verumque ſacrificium reperitur, quod Deo placere ullo modo poſſit.

Pſal. 121. 5. Iſa. 33. 60. 20. & 62. Gal. 4. 2. 5. Extra Eccleſiam Catholicam non eſt verus Dei cultus, verumque ſacrificium. Aug. Serm. 1. 116. de temp.

20. *Qua ratione credere Chriſti Eccleſiam ad articulos pertineat.*

Jam illlud etiam extremo loco de Eccleſia docendum erit, quanam ratione nos credere Eccleſiam, ad articulos fidei pertineat. Nam etſi quivis ratione, & ſenſibus percipit, Eccleſiam, id eſt hominum conventum, in terris eſſe, qui Chriſto Domino addicti, & conſecrati ſunt, neque ad eam rem animo concipiendam fide opus eſſe videatur, cum nec Judæi, nec Turcæ quidem de eo dubitent: tamen illa myſteria, quæ in ſancta Dei Eccleſia contineri partim declaratum eſt, partim in Sacramento Ordinis explicabitur, mens fide tantummodo illluſtrata, non ullis rationibus convicta intelligere poteſt. Cum igitur hic articulus non minus, quam cæteri, intelligentiæ noſtræ facultatem, & vires ſuperet: jure optime conſitemur nos Eccleſiæ ortum, munera & dignitatem non humana ratione cognoſcere, ſed fidei oculis intueri.

Dubium.

Reſponſio.

21. *Quæ, quot, & quanta ſint, quæ in Eccleſia eſſe credere jubemur.*

Neque enim homines hujus Eccleſiæ auctores fuerunt, ſed Deus ipſe immortalis, qui eam (a) ſuper firmiſſimam petram ædificavit, teſte Propheta, (b) *Ipſe fundavit eam Altiſſimus:* quam ob cauſam (c) Hæreditas Dei, & (d) Dei populus appellatur. Nec poteſtas, quam acce-

a) *Matt. 16. 18.*
b) *Pſal. 86. 5.*
c) *Pſalm. 28. 32. 12. 77. 62.*
d) *Pſal. 27. 5. & 28. 11.*

accepit, humana est, sed divino munere tributa: Quare quemadmodum naturæ viribus comparari non potest: ita etiam fide solum intelligimus, in Ecclesia (a) claves regni cœlorum esse, eique potestatem paccata remittendi, (b) excommunicandi, (c) verumque Christi corpus consecrandi traditam; deinde cives, (d) qui in ea morantur, non habere hic civitatem permanentem, sed futuram inquirere. Unam igitur Ecclesiam sanctam, & Catholicam esse, necessario credendum est.

a) *Matt.* 16. 18. 19. *Joan.* 20. 23.
b) 1. *Cor.* 5. 3.
c) *Luca* 22. 19.
d) *Hebr.* 13. 14.

22. Non ut in Deum, ita in Ecclesiam credendum est.

Potestas Ecclesiæ a Deo profecta. Credimus Ecclesiam, sed non in Ecclesiam, vide Aug. Tract. 29. in Joan. & Serm. 61. de verbis Domini.

Tres enim Triniatis personas, Patrem, & Filium, Spiritum Sanctum ita credimus, ut in eis fidem nostram collocemus. Nunc autem mutata dicendi forma, sanctam, & non in sanctam Ecclesiam credere profitemur, ut hac etiam diversa loquendi ratione, Deus omnium effector a creatis rebus distinguatur, præclaraque illa omnia, quæ in Ecclesiam collata sunt beneficia, divinæ bonitati accepta referamus.

23. De extrema hujus articuli clausula, Sanctorum communionem.

Quanti sit momenti hanc particulam rite explicari.

Sanctorum Communionem. Cum sanctus Joannes Evangelista de diviniş mysteriis ad fideles scriberet, cur eos in illis erudiret, hanc rationem attulit: (e) *Ut & vos*, inquit, *societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo.* Hæc societas in communione Sanctorum sita est, de qua in hoc articulo sermo habetur. Utinam vero in eo explicando Ecclesiarum Præsides (f) Pauli, & aliorum Apostolorum diligentiam imitarentur: est enim non solum quædam

e) 1. *Joan.* 1. 3.
f) *Rom.* 12. 4. 1. *Cor.* 12. 12.

superio-

superioris articuli interpretatio, doctrinaque uberrimorum fructuum, sed etiam, quis usus mysteriorum esse debeat, quæ Symbolo continentur, declarat: omnia enim ejus rei causa perveſtiganda sunt, ac percipienda, ut in hanc tam amplam, & beatam societatem Sanctorum admmittamur, admissique constantissime perseveremus, (a) *cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.*

2. Cor. 1. 11. Ephes. 4. 15. Vide item Aug. in Joan. Tract. 11.

a) Col. 1. 12. Psal. 35.

24. *Explicatio alterius particulæ, & in quo consistat Sanctorum Communio.*

In primis igitur fideles docendi sunt, hunc articulum esse illius, qui de una sancta Ecclesia Catholica antea positus est, veluti explicationem quandam. Unitas enim Spiritus, a quo illa regitur, efficit, ut quidquid in eam collatum est, commune sit. Omnium enim Sacramentorum fructus ad universos fideles pertinet: quibus Sacramentis, veluti sacris vinculis, Christo connectuntur, & copulantur, & maxime omnium Baptismo, quo, tanquam janua, in Ecclesiam ingrediuntur. Hac autem Sanctorum communione Sacramentorum communionem intelligi debere, Patres in Symbolo significant illis verbis; *Confiteor unum baptisma:* Baptismum vero in primis Eucharistia, & deinceps cætera Sacramenta consequuntur: nam etsi hoc nomen omnibus Sacramentis convenit, cum Deo nos conjungant, illiusque participes, cujus gratiam recipimus: efficiant; magis tamen proprium est Eucharistiæ, quæ hanc efficit communionem.

Christianorum communitas. Sacramenta sunt sacra vincula. Vide August. lib. 19. contra Faust. c. 11. Sanctorum communio in sacramentorum communione præcipue spectatur Symb. Const. Eucharistia communio cur proprie dicatur. Dam. lib. 4. de fid. orth. cap. 14. in fin.

25. *Para-*

25. Participatio meritorum est in Ecclesia.

Charitate efficimur participes omnium bonorum quæ in Ecclesia fiunt.

Sed alia etiam communio in Ecclesia cogitanda est. Quæcunque enim pie, sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, & ut illis prosint, (a) charitate, quæ non quærit, quæ sua sunt, efficitur. Id vero cum sancti Ambrosii testimonio comprobatur, qui locum illum Psalmi explanans, (b) *Particeps ego sum omnium timentium te*, ita inquit: *Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic conjunctum omnibus timentibus Deum.* Quare Christus eam nobis orandi formam præscripsit, ut diceremus: (c) *Panem nostrum, non meum: ac reliqua ejus generis, non nobis tantum, sed omnium saluti, & commodis prospicientes.* At vero hæc bonorum communicatio, (d) membrorum humani corporis aptissimma similitudine in sacris literis sæpe demonstratur: nam in corpore multa sunt membra; sed etsi multa sunt, unum tamen corpus constituunt, in quo singula proprio, non autem omnia eodem munere funguntur. Nec vero omnia eandem dignitatem habent, (e) aut æque utiles, & decoras functiones exequuntur, nullique suum, sed totius corporis commodum, atque utilitas proposita est. Omnia deinde tam apta inter se, & connexa sunt, ut, si unum aliquod dolore afficitur, cætera item naturæ cognatione, & consensu doleant; si contra bene affectum est, communis sit omnibus ille jucunditatis sensus. Atquæ hæc eadem in Ecclesia licet contemplari: in qua etsi diversa sunt membra: nempe variæ nationes, Judæorum, Gentium, liberi, & servi, pauperes. & divites, cum tamen baptismo

a) 1. Cor. 13. 5. S. Ambr. in Ps. 118. Serm. 8. 75. 69.

b) Ps. 118.

c) Matt. 6. 11.

d) Rom. 12. 4. 5. 1. Cor. 12. 13. Eph. 4. 16.

e) 1. Cor. 12. 15.

ptiſmo initiantur, unum corpus cum Chriſto fiunt, (a) cujus ille caput eſt. Unicuique præterea in hac Eccleſia ſuum munus aſſignatum eſt: Ut enim alii in ea (b) Apoſtoli, alii Doctores, omnes vero publicæ utilitatis cauſa ſunt conſtituti: ita aliorum eſt præeſſe, ac docere; aliorum item parere, & ſubjectos eſſe.

a) *Eph.* 1. 23. *Coloſſ.* 1. 18. *Functionum in Eccleſia varietas.*

b) 1. *Cor.* 12. 28. *Epheſ.* 4. 11.

26. Scelerati in Eccleſia participatione bonorum ſpiritualium non gaudent.

At vero tot, tantiſque muneribus, ac bonis divinitus collatis illi fruuntur, qui in charitate vitam Chriſtianam degunt, juſtique, & chari Deo ſunt. Membra vero mortua, nimirum homines ſceleribus obſtricti, & a Dei gratia alienati, hoc quidem bono non privantur, ut hujus corporis membra eſſe deſinant, ſed cum ſint mortua, fructum ſpiritualem, qui ad juſtos, & pios homines pervenit, non percipiunt: tametſi, cum in Eccleſia ſint, ad amiſſam gratiam, vitamque recuperandam ab iis adjuvantur, qui ſpiritu vivunt, & eos fructus capiunt, quorum expertes eſſe dubitari non poteſt, qui omnino ab Eccleſia ſunt præciſi.

Scelerib. capital. obſtricti fructum ſpiritualem non percipiunt; hoc poteſt colligi ex 1. Jo. 2. & Aug. ſuper Pſ. 70. conc. 2.

27. Gratia gratis data, & cætera Dei dona toti Eccleſiæ ſunt communia.

Nec vero tantum communia ſunt ea dona, quæ homines charos Deo, ac juſtos reddunt, ſed gratiæ etiam gratis datæ, in quibus numerantur, (c) ſcientia, prophetia, donum linguarum, ac miraculorum, & cætera hujus generis: quæ dona malis etiam hominibus, non privatæ, ſed publice utilitatis cauſa, ad ædificandam Eccleſiam conceduntur: nam ſanitatis gratia, non illius, qui ea præditus eſt, ſed

Gratia gratis data in Eccleſia etiam communes.

c) 1. *Cor.* 12. 8. 9.

ægroti curandi cauſa tributa eſt. Ac nihil tandem a vere Chriſtiano homine poſſidetur, quod ſibi cum cæteris omnibus commune eſſe non exiſtimare debeat: quare ad ſublevandam indigentium miſeriam prompti, ac parati eſſe debent: nam (a) qui hujuſmodi bonis ornatus eſt, ſi viderit fratrem ſuum egere, nec illi ſubvenerit, is Dei charitatem non habere plane convincitur. Quæ cum ita ſe habeant, ſatis conſtat, eos, qui in hac ſancta communione ſunt, quadam felicitate perfrui, & vere illud dicere poſſe: (b) *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini:* & (c) *Beati qui habitant in domo tua Domine.*

Eccl. 38. 9.

a) 1. *Joan. 3. 17. 1. Joan. 2. 15.*

b) 1. *Pſ. 83. 2.*

c) *Ibidem 5.*

DE

DE DECIMO ARTICULO,

CAPUT XI.

REMISSIONEM PECCATORUM.

1. Quomodo necessarium sit credere remissionem peccatorum esse in Ecclesia.

Nemo est, qui cum videat hunc articulum de remissione peccatorum in cæteris fidei articulis numeratum esse, dubitare possit, eo non solum divinum aliquod mysterium, sed etiam ad salutem comparandam maxime necessarium contineri: nam antea declaratum est, sine certa eorum fide, quæ in Symbolo credenda proponuntur, nemini ad Christianam pietatem aditum patere. Verum, si id quod per se omnibus notum esse debet, aliquo etiam testimonio confirmandum videatur, satis illud erit, quod Salvator noster paulo ante ascensum in cœlum de ea re testatus est, cum discipulis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas: (a) *Oportebat*, inquit, *Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Quæ verba si Parochi animadverterint, facile intelligent, cum cætera, quæ ad Religionem pertinent, fidelibus tradenda sint, tum vero præcipue hujus articuli diligenter explicandi magnam eis a Domino necessitatem impositam esse.

Sine certa articulorum Symboli fide nemo salvatur.

In præfatione.

a) *Luca 24. 46. Isa. 53. 5. 6. Dan. 9. 24. Matth. 1. 21. Joan. 1. 29. Act. 15.*

2. In Ecclesia veram esse remittendorum peccatorum potestatem.

a) Isa. 38. 24. Joan. 20. 23. Cypr. lib. 1. epist. 2. ad Cornelium Chrys. l. 3. de Sacram. Aug. lib. 50. Hom. Iren. 49. lib. 3. cap. 13. Culpa omnis & pœna in baptismo remittitur.

Munus igitur Parochi erit, quod ad hunc locum attinet, docere, non solum peccatorum remissionem in Catholica Ecclesia reperiri, de qua Isaias prædixerat: (a) *Populus, qui habitat in ea, auferetur ab ea iniquitas:* sed etiam potestatem peccata remittendi in ea esse: qua si rite, & secundum leges a Christo Domino præscriptas Sacerdotes utantur, vere peccata remitti, & condonari credendum est.

3. Qua ratione peccata in Ecclesia remittantur.

Hæc latius ubi de baptismo agetur. Baptismo non tollitur concupiscentia. Concil. Trid. sess. 5. can. 5. Aug. lib. de pecca. mer. cap. 28. & 1. de Civit. cap. 25.

Hæc autem venia, cum primum fidem profitentes sacro baptismo abluimur, adeo cumulate nobis datur, ut nihil aut culpæ delendum, sive ea origine contracta, sive quid propria voluntate omissum, vel commissum sit, aut pœnæ persolvendum relinquatur. Verum per baptismi gratiam nemo tamen ab omni naturæ infirmitate liberatur: quin potius (cum unicuique nostrum adversus concupiscentiæ motus, quæ nos ad peccata incitare non desinit, pugnandum sit) vix ullum reperias, qui vel tam acriter resistat, vel tam vigilanter salutem suam tueatur, ut omnes plagas vitare possit.

4. Præter baptismum remitti peccata in Ecclesia virtute clavium ostenditur.

Cum igitur necesse fuerit, in Ecclesia potestatem esse peccata remittendi, alia etiam ratione, quam baptismi Sacramento, claves regni cœlorum illi concreditæ sunt, quibus possint unicuique pœnitenti, etiamsi usque ad extremum vitæ diem peccasset, delicta condonari. Clarissima hujus rei testimonia in sa-

cris

cris literis habemus: nam apud sanctum Matthæum Dominus ita ad Petrum loquitur; (a) *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Item: (b) *Quæcunque alligaveritis super teram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Deinde Sanctus Joannes testatur, Dominum, cum insufflasset Apostolis, dixisse: (c) *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

a) *Matt.16.19.*

b) *Matt. 18.18.*

c) *Joan. 20.23. Psal. 147.*

5. Nullis certis peccatis, & temporibus potestas remittendi peccata circumscribitur.

Neque vero existimandum est, hanc potestatem certis quibusdam peccatorum generibus definitam esse: nullum enim tam nefarium facinus vel admitti, vel cogitari potest, cujus remittendi potestatem sancta Ecclesia non habeat: quemadmodum etiam nemo adeo improbus, & sceleſtus fuerit, quem (d) si erratorum suorum vere pœniteat, certa ei veniæ spes proposita esse non debeat. Sed neque hæc eadem potestas ita circumscribitur, ut præfinito solum aliquo tempore ea uti liceat: nam quacunque hora peccator ad sanitatem redire voluerit, rejiciendum non esse docuit (e) Salvator noster, cum Principi Apostolorum interroganti, quoties peccatoribus ignoscendum esset, an septies? respondit: *Non septies, sed usque septuagies septies.*

Potestatis remittendi peccata amplitudo. Vide Amb. lib. 1. de pœnit. c. 1. & 2. Aug. in Enchirid. c. 83.

d) *Ezech.18.21.*

e) *Math. 18.21. Species tribuitur Spiritui Sancto 77. Christo, qui in 77. generatione incarnatus est, & ideo Christus in quantum Deus authoritative, & in quantum homo meritorie remittit peccata Ambr. lib. 8. in Lucam c. 71.*

6. Non omnibus Christianis potestas remittendi peccata est concessa.

Verum, si ministros divinæ hujus potestatis spectemus, ea minus late patere videbitur. Dominus enim non omnibus sed Episcopis tantum, & Sacerdotibus tam Sancti muneris potestatem dedit. Idem etiam censendum erit, quod ad rationem ejus potestatis exercendæ pertinet: nam per Sacramenta solum, si eorum forma servetur, peccata remitti possunt, aliter vero nullum jus a peccatis solvendi Ecclesiæ datum est: ex quo sequitur, tum Sacerdotes, tum Sacrmenta ad peccata condonanda, veluti instrumenta valere, quibus Christus Dominus auctor ipse, & largitor salutis, remissionem peccatorum, & justitiam in nobis efficit.

7. Quantum sit munus remittendorum peccatorum Ecclesiæ concessum.

Ut autem fideles cœleste hoc munus, quod singulari in nos Dei misericordia Ecclesiæ donatum est, magis * suspiciant, atque ad ejus usum, & tractationem ardentiori pietatis studio accedant, conabitur Parochus hujus gratiæ dignitatem, & amplitudinem demonstrare. Ea autem ex hoc potissimum perspicitur, si cujus virtutis sit peccata remittere, & homines ex injustis justos reddere, diligenter expositum fuerit. Constat enim, infinita, & immensa Dei vi hoc effici: quam eandem in excitandis mortuis, & in mundi creatione necessariam esse credimus. Quod si etiam, ut Augustini sententia confirmatur, majus opus existimandum est, aliquem ex impio pium facere, quam cœlum, & terram ex nihilo creare, cum ipsa creatio

* *ab leg. fusciant.*

Justificatio peccatorum est infinitæ Dei potentiæ opus. Rom. 8. 23. 1. Cor. 6. 11. D. Aug. tr. 72. in Joan. & colligitur etiam ex Ps. 144. 5.

tio non nisi ex infinita virtute possit existere: consequens est, ut multo magis peccatorum remissio infinitæ potestati tribuenda sit.

5. Nullus præter solum Deum propria auctoritate peccata remittit.

Quare verissimas esse priscorum Patrum voces agnoscimus, quibus confitentur ab uno Deo peccata hominibus condonari; neque ad alium auctorem, quam ad summam ejus bonitatem, & potentiam, tam mirificum opus referendum esse. (a) *Ego sum*, inquit ipse Dominus per Prophetam, *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas.* Nam scelerum remittendorum eadem ratio videtur esse, quam in pecunia debita servare oportet. Quemadmodum igitur a nemine, nisi a creditore pecunia, quæ debetur, remitti potest, ita cum uni Deo peccatis obstricti simus (siquidem quotidie oramus,(b) *Dimmite nobis debita nostra*) perspicuum est, a nemine præter illum debita nobis condonari posse.

Solus Deus peccata remittit, quod similitudine declaratur. Aug. lib. 1. de peccat. meritis cap. 23. & Hom. 23. in lib. 50. Hom. Amb. lib. 2. de Cain & Abel cap. 4.

a) *Isa. 43. 25. Matth. 9. 3. Marc. 2. 17.*

b) *Matt. 6. 12. Luca 16.*

9. Potestas remittendi peccata ante Christum natum nulli mortalium concessa fuit.

Hoc vero admirabile, & divinum munus, antequam Deus homo fieret, nulli creatæ naturæ impertitum est. Primus omnium Christus, Salvator noster, ut homo, cum idem Deus verus esset, hoc munus a cœlesti Patre traditum accepit: (c) *Ut sciatis*, inquit, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Cum igitur homo factus esset, ut hominibus hanc peccatorum veniam largiretur, priusquam in cœlum ascenderet, ut ibi ad dextram Dei in perpetuum sederet, (d)

Christus ut homo potestatem habuit remittendi peccata excellenter. Vide D. Thom. 3. par. quæst. 54. ar. 3.

c) *Matth. 9. 6. Marc. 2. 9.*

d) *Joan. 20. 23.*

eam potestatem Episcopis, & Presbyteris in Ecclesia concessit: quamquam, ut antea docuimus, Christus sua auctoritate, cæteri, ut ejus ministri, peccata dimittunt. Quamobrem, si quæ infinita virtute effecta sunt, maxime admirari, & suspicere debemus: satis intelligimus, pretiosissimum hoc munus esse, quod Christi Domini benignitate Ecclesiæ donatum est.

10. Qua virtute homines peccatorum suorum veniam consequantur.

Christi sanguine peccata remitti. Matth. 26.

Sed ipsa etiam ratio, qua Deus clementissimus Pater mundi peccata delere constituit, animos fidelium ad hujus beneficii magnitudinem contemplandam vehementer excitabit: (a) sanguine enim unigeniti Filii sui scelera nostra expiari voluit, ut pœnam, quam nos pro peccatis commeruimus, ultro ille persolveret, (b) justusque pro injustis damnaretur, innocens pro reis morte acerbissima afficeretur. Quare cum animo cogitabimus, (c) nos non corruptibilibus auro, & argento redemptos esse, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati; facile statuemus, nihil nobis salubrius contingere potuisse hac remittendi peccata potestate, quæ inexplicabilem Dei providentiam, summamque erga nos charitatem ostendit. Ex hac autem cogitatione maximus fructus ad omnes perveniat, necesse est.

a) *Rom 3. 24. Eph. 1. 7. Apoc. 1. & 5. 7. 21.*

b) *1. Pet. 3. 18.*

c) *1. Pet. 1. 18.*

11. Quo maxime pacto cernatur amplitudo beneficii, quod in potestate clavium offertur.

Mortalis peccati effectus.

Nam qui Deum mortali aliquo peccato offendit, quidquid meritorum (d) ex Christi morte, & cruce consecutus est, statim amittit; & (e) omnino paradisi aditu, quem prius inter-

d) *Heb. 10. 26.*

e) *1. Cor. 6. 9. Gal. 3. & 5. Apoc. 22. 15. Gen. 3.*

clu-

cluſum Salvator noſter paſſione ſua omnibus patefecit, prohibetur. Quod quidem cum in mentem venit, facere non poſſumus, quin humanæ miſeriæ conſideratio vehementer ſolicitos nos habeat. Verum ſi animum ad hanc admirabilem poteſtatem referamus, quæ Eccleſiæ divinitus tributa eſt; & hujus articuli fide confirmati, oblatam unicuique facultatem credamus, ut poſſit divina ope adjutus in priſtinum dignitatis ſtatum reſtitui; tunc vero cogimur ſummo gaudio, & lætitia exultare, & immortales Deo gratias agere. Ac profecto, ſi grata, & jucunda medicamenta videri ſolent, quæ nobis medicorum arte, & induſtria, cum gravi aliquo morbo laboramus, parantur: quanto jucundiora eſſe debent ea remedia, quæ Dei ſapientia ad animorum curationem, atque adeo ad vitam reparandam inſtituit? cum præſertim non quidem dubiam ſalutis ſpem, ut medicinæ illæ, quæ corporibus adhibentur, ſed certiſſimam iis, qui ſanari cupiunt, ſalutem afferant.

Quantum ſit Dei beneficium in poteſtate clavium Eccleſiæ conceſſ.

Simile.

12. *Cur, ac quomodo remedia in poteſtate clavium Eccleſiæ tributa Chriſtiani frequentare debeant.*

Erunt igitur fideles hortandi, poſtquam tam ampli, & præclari muneris dignitatem cognoverint, ut illud etiam ſtudeant ad ſuum commodum religioſe convertere. Vix enim fieri poteſt, ut qui re utili, & neceſſaria non utatur, eam contemnere non exiſtimetur, præſertim vero cum Dominus hanc poteſtatem remittendi peccata ea re tradiderit Eccleſiæ, ut omnes hoc ſalutari remedio uterentur, nam quemadmodum nemo ſine baptiſmo

Frequentandum pœnitentia Sacramentum.

expiari poteſt: ita quicunque baptiſmi gratiam mortiferis ſceleribus amiſſam recuperare voluerit, ad aliud expiationis genus, nimirum pœnitentiæ ſacramentum confugiat, neceſſe eſt. Verum hoc loco admonendi ſunt fideles, ne tam ampla veniæ facultate propoſita (quam etiam nullius temporis termino definiri declaravimus) vel ad peccandum faciliores, vel ad reſipiſcendum tardiores reddantur: in altero enim cum injurioſi, & contumelioſi in hanc divinam poteſtatem manifeſte deprehendantur, indigni ſunt quibus Deus miſericordiam ſuam impertiatur: in altero vero, magnopere verendum eſt, ne morte præoccupati, fruſtra peccatorum remiſſionem confeſſi fuerint, quam tarditate, procraſtinatione merito amiſerunt.

Propter veniæ facultatem non peccandum. Eccleſ. 5. 6. & 21. verſ. 1.

Non differendam eſſe pœnitentiam uſque ad mortem docet Chriſtus. Luc. 12. 39. Joan. 6. & 12. Vide Auguſt. Tract. 33. in Joan. & lib. 50. Homil. Hom. 41. Ambr. lib. 2. de pœnit. c. 1. & 2. cap. 11.

DE

DE UNDECIMO ARTICULO,

CAPUT XII.

CARNIS RESURRECTIONEM.

1. Quantum referat de hoc articulo exploratam habere cognitionem.

Magnam hujus articuli vim esse ad fidei nostræ veritatem stabiliendam, id maxime ostendit, quod (a) divinis literis non solum credendus fidelibus proponitur, sed multis etiam rationibus confirmatur: quod quidem cum in aliis Symboli articulis vix fieri videamus, intelligi potest, hoc, veluti firmissimo fundamento, salutis nostræ spem nixam esse: nam ut Apostolus ratiocinatur: (b) *Si mortuorum resurrectio non est, neque Christus resurrexit: quod si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* In eo igitur explicando Parochus non minus operæ, & studii ponet, quam in eo evertendo multorum impietas laborarit; magnas enim, & præclaras utilitates ex ea cognitione ad fidelium fructum reduudare, paulo post demonstrabitur.

Resurrectionis articulus Scripturis præcipue est confirmatus.

a) *Joan. 20 26. Isa. 26. 19. Ezech. 37. Joan. 11. 34.*

b) *1. Cor. 15. 14. 15.*

2. Cur Apostoli resurrectionem hominum, hic Carnis resurrectionem appellarint.

Sed hoc in primis attendere oportebit, resurrectionem hominum in hoc articulo Carnis resurrectionem appellari. Quod quidem sine causa factum non est. Nam docere voluerunt Apostoli id, quod necessario ponendum est, animam esse immortalem: quare ne quis

Animam immortalem esse probat. Iren. lib. 2. cap. 44. ex Genes. 2. & Psalm. 20. & 48. Vide item Aug. lib. 2. Solilo. quor. c. 13. & consentiens est.

ne quis forte eam simul cum corpore interiisse, utrumque vero in vitam revocari existimaret, cum animam plurimis sacrarum literarum locis immortalem esse plane constet, ob eam rem carnis tantum suscitandæ mentio in articulo facta est; & quanquam sæpe etiam in Sacris Scripturis caro integrum hominem, ut est apud Isaiam; (a) *Omnis caro fœnum:* & apud sanctum Joannem (b) *Et Verbum caro factum est*, significet: hoc tamen loco carnis vox corpus declarat: ut duarum partium animæ, & corporis quibus homo constat, alteram tantum, nempe corpus corrumpi, (c) & in pulverem terræ, ex qua compactum est, redire animam vero incorruptam manere, intelligamus. At vero cum nemo, nisi mortuus fuerit, ad vitam revocetur, anima proprie non dicitur resurgere. Carnis quoque mentio facta est illius hæresis confutandæ causa, quæ vivo (d) Apostolo, Hymenæi, & Phileti fuit, qui asserebant, cum de resurrectione in Scripturis Sacris ageretur, non de corporea, sed de spirituali, qua a morte peccati ad vitam innocentem resurgitur, accipiendum esse. Itaque his verbis planum fit eum errorem tolli, & veram corporis resurrectionem confirmari.

Dam, in fua logica cap. 64. Ariſt. lib. 12. Metaph. tex. 17.

a) *Iſa. 40. 6.*

b) *Joan. 1. 14. Ad cujus adventum omnes homines, &c. Athanaſ. in Symbol.*

c) *Geneſ. 3. 19. Corpus ſolum corrumpitur. Dam. lib. 4. cap. 27. Anima cum non intereat. Non reſurgit.*

d) *2. Tim. 2. 17. 18. Errorem hunc Baſilides ſecutus eſt teſte Iren. lib. 2. c. p. 13.*

3. Quibus potiſſimum Scripturis doctrina de vera corporum reſurrectione ſtabilienda ſit.

Verum Parochi partes erunt hanc veritatem illustrare exemplis ex veteri, novoque Testamento, & ex omni Ecclesiastica historia depromptis: alii enim ab (e) Helia, & (f) Heliseo in veteri Testamento, alii, præter eos, quos (g) Christus Dominus a morte excitavit,

e) *3. Reg. 17. 19.*
f) *4. Reg. 4. 34.*
g) *Matt. 9. 24. Luca 7. 4. Joan. 11. 43.*

tavit, a sanctis (a) Apostolis, (b) aliisque permultis ad vitam revoccati sunt: quæ resurrectio multorum hujus articuli doctrinam confirmat. Ut enim plures a morte excitatos credimus: ita universos ad vitam revocatum iri, credendum est, quin etiam præcipuus fructus, quem nos ex hujusmodi miraculis capere debemus, ille est, ut summam fidem huic articulo tribuamus: Sunt multa testimonia, quæ Parochis, qui in sacris literis mediocriter versati sunt, facile occurrent. Illustriora vero loca sunt in veteri quidem Testamento, quæ leguntur apud Job, (c) cum ait se in carne sua conspecturum Deum suum: & apud Danielem de iis, (d) qui in pulvere terræ dormiunt, alios in vitam æternam, alios in opprobrium sempiternum evigilaturos. In novo autem Testamento, quæ sanctus Matthæus (e) refert de disputatione, quam Dominus cum Sadducæis habuit: præterea, (f) quæ Evangelistæ narrant de extremo judicio. Atque huc etiam referenda sunt, quæ Apostolus (g) ad Corinthios, & ad (h) Thessalonicenses scribens accurata oratione differuit.

a) *Act. 9. & 20. vers. 9.*
b) *Iren. lib. 2. cap. 56. & Euseb. lib. 5. cap. 7.*
Ambr. Serm. 90. de sancta Agnete.
c) *Job. 19. 26.*
d) *Dan. 12. 2.*
e) *Matt. 22. 31. Marc. 12. 25. Lucæ 20. 30.*
f) *Matt. 25. & 19. 28. Marc. 13. 26. Joan. 5. 28.*
g) *1. Cor. 15. 22.*
h) *1. Thess. 4. 13.*

4. Quibus similitudinibus eadem veritas stabiliri possit.

Sed quamvis hoc fide certissimum sit, multum tamen proderit vel exemplis, vel rationibus ostendere, id quod fides credendum proponit, a natura, aut ab humanæ mentis intelligentia non abhorrere. Itaque Apostolus quærenti quomodo resurgerent mortui, sic respondit: (i) *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum,*

Ambr. lib. de fide Resur. cap. 10. usque ad 20.
i) *1 Cor. 15. 36.*

num, ut puta, tritici, aut alicujus cæterorum: Deus autem dat illi corpus sicut vult: & paulo post inquit: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Ad eam similitudinem multas præterea adjungi posse, S. Gregorius ostendit: *Lux enim*, inquit, *quotidie quasi moriendo oculis subtrahitur, & rursus quasi resurgendo revocatur: & arbusta viriditatem amittunt, & rursus quasi resurgendo reparantur, & semina putrescendo moriuntur, & rursum germinando resurgunt.*

Dam. lib. 4. de fid. orth. cap. 28.

Sanct. Greg. lib. 14. Moral. c. 28. 29. & 30.

5. Rationes, quibus hæc ipsa veritas comprobatur.

Rationes illæ præterea, quæ ab Ecclesiasticis scriptoribus afferuntur, satis ad eam rem probandam accommodatæ videri possunt. Ac primum quidem, cum animæ immortales sint, & tanquam pars hominis ad humana corpora naturalem propensionem habeant, eas a corporibus sejunctas perpetuo manere, præter naturam existimandum est. Quoniam vero quod naturæ adversatur, ac violentum est, diuturnum esse non potest, consentaneum fore videtur, ut denuo cum corporibus jungantur: ex quo etiam sequitur, ut corporum resurrectio futura sit: quo quidem argumentandi genere (a) Salvator ipse noster usus videtur, cum adversus Sadducæos disputans, ex animarum immortalitate corporum resurrectionem concluserit.

Hæc ratio sumitur ex Aristot. in 3. de Anima tex. 4. & 12. Met. text. 17. Aug. lib. 2. Soliloq. c. 13. usque ad 19. Arist. lib. 2. de cælo textu 18. Scot. 4. Dist. 43. qu. 2. lit. T.

a) *Matt. 22. 32.*

Deinde cum malis supplicia, bonis præmia a justissimo Deo sint proposita: ex illis vero quam plurimi antequam debitas pœnas persolvant, ex his magna ex parte nullis affecti virtutis præmiis e vita decedant: necesse est iterum animas cum corporibus conjungi, ut

Vide hanc rationem apud Dam. lib. 4. de fid. orth. c. 28. & Ambr. in lib. de fide resur. cap. 19.

pro

pro ſceleribus, aut recte factis corpora, quibus veluti peccati ſociis homines utuntur, una cum anima, pœna, aut præmio afficiantur, qui locus diligentiſſime tractatus eſt a S. Chryſoſtomo in homilia ad populum Antiochenum. Quare Apoſtolus: cum de reſurrectione diſſereret: (a) *Si in hac vita:* inquit, *tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Quæ quidem verba nemo ad animæ miſeriam referri exiſtimabit, quæ cum immortalis ſit, quamvis corpora non reſurgerent, in futura tamen vita, beatitudine frui poſſet: verum de toto homine intelligenda ſunt, niſi enim corpori debita pro laboribus præmia reddantur, neceſſe eſt, ut qui, quemadmodum Apoſtoli, tot ærumnas, & calamitates in vita perpeſſi ſunt, omnium ſint miſerrimi. Idem vero multo apertius docet ad Theſſalonicenſes his verbis: (b) *Gloriamur in Eccleſiis Dei pro patientia veſtra, & fide in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum juſti judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini: ſi tamen juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in revelatione Domini Jeſu de cœlo, cum angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Addi etiam non poſſe homines, quamdiu anima a corpore ſejuncta eſt, plenam felicitatem, & bonis omnibus cumulatam adipiſci. Ut enim quælibet pars, a toto ſeparata, imperfecta eſt; ita etiam, anima, quæ corpori

Sanctus Chryſoſt. hom. 49. & 50. ad pop. Antioch. vide item. Hom. 44. in Joan.

a) 1. Cor. 15. 19.

b) 2. Theſſ. 1. 4. Actuum 5.

Plena beatitudo hominis non eſt, niſi anima corpori jungatur.

ſum-

non est adjuncta: ex quo sequitur, ut illi ad summam felicitatem nihil desit, corporum resurrectionem necessariam esse. His igitur, atque aliis hujusmodi rationibus Parochus fideles in hoc articulo erudire poterit.

6. Nullus homo tunc invenietur, qui mortis & resurrectionis sit expers.

De varia resurgentium conditione.

Explicare præterea diligenter oportebit, ex Apostoli doctrina, quinam ad vitam suscitandi sint: nam ad Corinthios scribens, (a) *Sicut in Adam*, inquit, *omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Omni itaque malorum bonorumque discrimine remoto, omnes a mortuis, quamqam non omnium par conditio futura est, resurgent; (b) *qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Cum autem omnes dicimus, tam eos intelligimus, qui adventante judicio mortui jam erunt, quam eos, qui morientur. Huic enim sententiæ, quæ asserit omnes morituros esse, nemine excepto, Ecclesiam acquiescere, ipsamque sententiam magis veritati convenire, scriptum reliquit sanctus Hieronymus: idem sentit, & sanctus Augustinus. Neque vero huic sententiæ repugnant Apostoli verba ad Thessalonicenses scripta: (c) *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera.* Nam sanctus Ambrosius, cum ea explanaret, ita inquit: *In ipso raptu mors præveniet, & quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur: cum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum præsentia Domini recipiant animos,*

a) 1. *Cor.* 15. 22. *Omnes resurgemus, ergo omnes moriemur.*

b) *Joan.* 5. 29. *Omnes homines morientur antequam judex finis imponatur. Gen.* 3. *Rom.* 5. 12. *Hebr.* 9 *Psalm.* 88. *Hieron. Ep.* 152. *ad Minervium & Alexandrum Aug. lib.* 20. *de Civ. cap.* 20.

c) 1. *Thess.* 4. 16. *S. Ambr. in* 1. *Epist. ad Thess. cap.* 4.

Aug. lib. 20. *de civit. Dei c.* 20.

animos, quia cum Domino mortui esse non possunt. Eademque sententia comprobatur sancti Augustini auctoritate in libro de civitate Dei.

7. Idem prorsus corpus anima humana in extremo judicio recipiet.

Cum vero multum referat, nobis certo persuaderi, hoc ipsum atque adeo idem corpus quod uniuscujusque proprium fuit, quamvis corruptum sit, & in pulverem redierit, tamen ad vitam suscitandum esse, illud etiam Parochus accurate explicandum suscipiet. Hæc Apostoli est sententia, cum inquit, (a) *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem:* ea voce, *Hoc*, proprium corpus aperte demonstrans. Job etiam de eo clarissime vaticinatus est: (b) *Et in carne mea*, inquit, *videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Hoc idem colligitur ex ipsius resurrectionis definitione. Est enim Resurrectio, auctore Damasceno, *ad eum statum, unde ceciderit, revocatio.* Denique si consideremus, cujus rei causa resurrectionem futuram paulo ante demonstratum est, nihil erit, quod cujusquam animum hac in re dubium facere possit.

Idem omnino corpus resurget Hieron. in Paulæ epitaph. Gregor. lib. 14. mor. cap. 29. Ezech. 37.

a) *1. Cor. 15. 53.*

b) *Job. 19. 26.*

Damasc. lib. 4. de orthod. fide c. 27.

8. Cujus rei causa resurrectio corporum divinitus sit instituta.

Idcirco autem corpora excitanda esse docuimus, (c) *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Hominem igitur ex ipso corpore, cujus opera vel Deo, vel dæmoni servivit, resurgere oportet, ut cum eodem corpore triumphi coronas, & præmia consequatur, aut pœnas, & supplicia miserrima perferat.

Resurrectionis causas vid. sect. 1.

c) *2. Cor. 5. 10. Matth. 25.*

9. Corpora contractam in hac mortali vita deformitatem non resument.

Corporis resurgentis pulchritudo & integritas. S. Aug. lib. 22. de civit. Dei cap. 19. & 20. & 21. & Enchir. c. 86. 87. 88. 89. & 90. Vide item Hieron. in epist. ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosol. Capilli, quos homo recipiet. Aug. lib. 22. civ. cap. 19. & Enchir. cap. 89.

Neque vero corpus tantum resurget, sed quidquid ad illius naturæ veritatem, atque ad hominis decus, & ornamentum pertinet, restituendum est. Præclarum ea de re sancti Augustini testimonium legimus. *Nihil tunc vitii*, inquit, *in corporibus existet: si aliqui plus pinguedine obesi, & crassi extiterint, non totam corporis molem assument, sed quod illam habitudinem superabit, reputabitur superfluum: & e diverso, quæcunque vel morbus, vel senium confecit in corpore, reparabitur per Christum virtute divina: ut si aliqui propter macrorem fuerint graciles: quia Christus non solum nobis corpus reparabit, sed quidquid per miseriam hujus vitæ fuerit nobis ademptum.* Item alio loco: *Non resumet homo capillos, quos habuerit, sed quos decuerit*, juxta illud (a) *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt, qui secundum divinam sapientiam sunt reparandi.* In primis vero, quoniam membra ad veritatem humanæ naturæ pertinent, simul restituentur omnia. Qui enim vel ab ipso ortu oculis capti sunt, vel ob aliquem morbum lumina amiserunt, claudi, atque omnino manci, & quibusvis membris debiles, integro, ac perfecto corpore resurgent: aliter enim animæ desiderio, quæ ad corporis conjunctionem propensa est, minime satisfactum esset: cujus tamem cupiditatem in resurrectionem explendam esse, sine dubitatione credimus. Præterea satis constat, resurrectionem æque, ac creationem inter præcipua Dei opera numerari. Quemadmodum igitur omnia a Deo initio creationis perfecta fuerunt, ita etiam in resurrectione futurum omnino affirmare oportet.

a) *Matt. 10. 30. Eph. 4. Luc. 21.*

Gen. 1.

10. Martyres corporibus integris resurgentes, in eis vulnerum cicatrices gestabunt.

Neque id de Martyribus solum fatendum est; de quibus sanctus Augustinus ita testatur: *Non erunt absque illis membris: non enim posset illa mutilatio non esse corporis vitium; alioquin, qui capite truncati sunt, deberent sine capite resurgere: verumtamen extabunt in eorundem membrorum articulis gladii cicatrices, refulgentes super omne aurum, & lapidem pretiosum, veluti & cicatrices vulnerum Christi.*

Vide lib. 22. de civit. Dei cap. 20. ubi horum verborum sensus planior est. Cicatrices Martyrum relinquentur post resurrectionem ad cumulum felicitatis, in improbis autem contra ad miseriam.

11. Etiam improborum corpora mutilata hic resurgent integra.

Quod de improbis quoque verissime dicitur, etsi illorum culpa membra amputata fuerint: nam quo plura membra habebunt, tanto acerbiori dolorum cruciatu conficientur: quare illa membrorum restitutio non ad eorum felicitatem, sed calamitatem, ac miseriam est redundatura; cum merita non ipsis membris, sed personæ, cujus corpori conjuncta sunt, adscribantur: nam iis, qui pœnitentiam egerint, ad præmium, illis vero, qui eandem contempserint, ad supplicium restituentur. Hæc vero si a Parochis attente considerentur, nunquam eis rerum & sententiarum copia deerit ad excitandos, inflammandosque pietatis studio fidelium animos; ut vitæ hujus molestias, & ærumnas cogitantes, beatam illam resurrectionis gloriam, quæ justis, & piis proposita est, avide expectent.

12. Corpora hominum postquam resurrexerint, qualia sint futura.

Sequitur nunc, ut fideles intelligant, si ea spectemus, quæ corporis substantiam constituunt, quamvis illud ipsum, atque idem corpus a mortuis revocari oporteat, quod antea

Corpus juxta substantiam idem prorsus resurget, sed tamen diversa qualitate. Corpora damna-

torum in media igne fore perpetua probat Aug. lib. 21. de civit. cap. 2. 3. 4.

extinctum fuerat, longe aliam tamen & diversam ejus conditionem fore. Ut enim cætera omittamus, in eo maxime resurgentium corpora omnia a se ipsis different, quod cum antea mortis legibus subjecta essent, postea quam ad vitam suscitata fuerint, sublato bonorum malorumque discrimine, immortalitatem assequentur. Quam quidem admirabilem naturæ restitutionem insignis Christi victoria meruit, quam de morte reportavit, quemadmodum sacrarum literarum testimonia nos admonent: scriptum est enim: (a) *Præcipitabit mortem in*

a) *Isa. 25. 8.*

sempiternum, & alibi, (b) *Ero mors tua, o mors.*

b) *Osc. 13. 14.*

Quod explicans Apostolus, inquit: (c) *Novissime autem inimica destruetur mors.* Et apud sanctum Joannem legimus: (d) *Mors ultra non erit.* Decebat autem maxime Christi Domini merito, quo mortis imperium eversum est, peccatum Adæ longo intervallo superari. Idem etiam divinæ justitiæ consentaneum fuit, ut boni beata vita perpetuo fruerentur, mali vero sempiternas pœnas luentes, (e) quærerent mortem, & non invenirent; optarent mori, & mors fugeret ab eis. Atque hæc quidem immortalitas bonis & malis communis erit.

c) *1. Cor. 15. 16.*

d) *Apoc. 21.*

Immortalitas bonis & malis communis justitia Dei consentanea.

e) *Apoc. 9. 6.*

13. Cujusmodi dotibus beatorum corpora post resurrectionem erunt ornata.

Quatuor dotes resurgentium corporum in beatis, de quibus post Apostolum Aug. ser. 99. de temp. Ambr. in Epist. 1. ad Cor. 15.

Habebunt præterea Sanctorum rediviva corpora insignia quædam, & præclara ornamenta, quibus multo nobiliora futura sint, quam unquam antea fuerint. Præcipua vero sunt quatuor illa, quæ Dotes appellantur, ex Apostoli doctrina, a Patribus observatæ. Earum prima est Impassibilitas, munus scilicet,

&

& dos, quæ efficiet, ne moleſti aliquid pati, ullove dolore, aut incommodo affici queant: nihil enim aut frigorum vis, aut flammæ ardor, aut aquarum impetus obeſſe eis poterit. (a) *Seminatur*, inquit Apoſtolus, *in corruptione, ſurget in incorruptione.* Quod autem Impaſſibilitatem potius quam incorruptionem ſcholaſtici appellarint, ea cauſa fuit, ut, quod eſt proprium corporis glorioſi, ſignificarent, non enim impaſſibilitas illis communis eſt cum damnatis, quorum corpora, licet incorruptibilia ſint, æſtuare tamen poſſunt, atque algere, variisque cruciatibus affici.

Primum ornamentum reſurgentium corporum in beatis eſt Impaſſibilitas.

a) *Cor. 15. 42. vide item Iſa. 25. & 49. 10. Apoc. 7. 16. 21. 4.*

Damnatorum corpora licet ſint incorruptibilia, pati tamen poſſunt. Job. 24. Iſa. 66. 24. Matth. 13. 50. & 25. 46.

Hanc conſequitur Claritas, qua Sanctorum corpora, tanquam ſol fulgebunt, ita enim apud ſanctum Matthæum teſtatur Salvator noſter: (b) *Juſti*, inquit, *fulgebunt ſicut ſol, in regno Patris eorum.* Ac ne quis de eo dubitaret, (c) ſuæ transfigurationis exemplo declaravit. Hanc interdum Apoſtolus Gloriam, modo Claritatem appellat. (d) *Reformabit*, inquit, *corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, & rurſum: (e) *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Hujus etiam gloriæ (f) imaginem quamdam vidit populus Iſrael in deſerto, cum facies Moyſis ex colloquio, & præſentia Dei ita colluceret, (g) ut in eam filii Iſrael oculos intendere non poſſent. Eſt vero claritas hæc fulgor quidam ex ſumma animæ felicitate ad corpus redundans; ita ut ſit quædam communicatio illius beatitudinis, qua anima fruitur: quomodo etiam anima ipſa beata efficitur, quod in eam pars divinæ felicitatis derivetur. Hoc vero

Secundum ornamentum eorum Claritas.

b) *Matt. 13. 43. Sap. 3. 7. Dan. 12. 3.*

c) *Matt. 17. 2.*

d) *Phil. 3. 21.*

e) *1. Cor. 15. 43.*

f) *Exod. 34. 29.*

g) *2. Cor. 3. 13. Claritas hæc quid ſit.*

Joan. 14. In domo Patris mei manſiones &c.

munere non æque omnes, perinde ac primo, ornari credendum eſt: erunt quidem Sanctorum corpora omnia æque impaſſibilia, ſed eundem ſplendorem non habebunt: nam, ut teſtatur Apoſtolus, (a) *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum: ſtella enim a ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.*

a) *1. Cor. 15. 41.*

Tertium ornamentum Agilitas. Sap. 3. Apoc. 14. Aug. lib. 13. de civit. c. 1. & 20. & lib. 12. cap. 11. Hier. in c. 40. Iſa. ſuper illa verba: Mutabunt fortitudinem 43.

Cum hac dote conjuncta eſt illa, quam Agilitatem vocant, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberabitur; facillimeque in quamcunque partem anima voluerit, ita moveri poterit, ut ea motione nihil celerius eſſe queat; quemadmodum aperte ſanctus Auguſtinus in libro de civitate Dei, & Hieronymus in Iſaiam docuerunt. Quare ab Apoſtolo dictum eſt: (b) *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.*

b) *1. Cor. 15.*

Quartum ornamentum Subtilitas.

His vero addita eſt, quæ vocatur Subtilitas: cujus virtute corpus animæ imperio omnino ſubjicietur, eique ſerviet, & ad nutum præſto erit: quod ex illis Apoſtoli verbis oſtenditur: (c) *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Hæc fere præcipua ſunt capita, quæ in hujus articuli explicatione tradenda erunt.

c) *1. Cor. 15. 44.*

14. Quem fructum ex tantis reſurrectionis myſteriis fideles capient.

Quam ſalutares ex articulo reſurrectionis capiantur fructus.

Ut autem fideles ſciant, quem fructum ex tot, tantorumque myſteriorum cognitione capere poſſint, primum declarare oportebit, maximas a nobis Deo gratias agendas eſſe, (d) qui hæc ſapientibus abſconderit, & revelaverit parvulis. Quot enim viri vel prudentiæ laude præſtantes, vel ſingulari doctrina præditi, in hac tam certa veritate cæci plane fuerunt? Quod igitur nobis illa patefecerit, qui-

Primus

d) *Matt. 11. 25.*

bus

bus ad eam intelligentiam adſpirare non licebat, eſt quod ſummam ejus benignitatem, & clementiam perpetuis laudibus celebremus.

Deinde magnus etiam ille fructus ex hujus articuli meditatione conſequetur, quod ſcilicet in eorum morte, qui nobis neceſſitudine, vel benevolentia conjuncti ſunt, facile tum alios, tum nos ipſos conſolabimur: quo quidem genere conſolationis (a) Apoſtolum uſum eſſe conſtat, cum ad Theſſalonicenſes de dormientibus ſcriberet. *Secundus.* a) 1. Theſſ. 4. 13.

Sed in omnibus etiam aliis ærumnis, & in calamitatibus, futuræ reſurrectionis cogitatio ſummam nobis doloris levationem afferet: quemadmodum ſancti Job exemplo didicimus (b) qui una hac ſpe afflictum, & mœrentem animum ſuſtentabat, fore aliquando, ut in reſurrectione Dominum Deum ſuum conſpiceret. *Tertius.* b) Job. 1. 25. Pſalm. 91. 9.

Præterea hoc plurimum valebit ad perſuadendum fidelibus populis, ut rectam vitam, integram, ab omnique prorſus peccati labe puram agere quam diligentiſſime curent: ſi enim cogitaverint, ingentes illas divitias, quæ reſurrectionem conſequuntur, ipſis propoſitas eſſe, facile ad virtutis, & pietatis ſtudia allicientur. Contra vero nulla res majorem vim habitura eſt ad comprimendas animi cupiditates, homineſque a ſceleribus avocandos, quam ſi ſæpius admoneantur, quibuſnam malis, & cruciatibus improbi afficiendi ſunt, (c) qui extremo illo die procedent in reſurrectionem judicii. *Quartus.* c) Joan. 5. 29.

DE DUODECIMO ARTICULO,

CAPUT XIII.

VITAM ÆTERNAM.

1, Cur postremo loco hic fidei articulus sit positus, & quantum referat illum frequenter populo explicari.

Agens agit propter finem Arist. lib. 2. Phys. text. 49. & 81.

Sancti Apostoli, duces nostri, Symbolum, quo fidei nostræ summa continetur, æternæ vitæ articulo claudi, & terminari voluerunt: tum quia post carnis resurrectionem nihil aliud fidelibus expectandum est, nisi æternæ vitæ præmium: tum vero, ut perfecta illa felicitas, & bonis omnibus cumulata, nobis semper ante oculos versaretur, doceremurque in ea mentem, & cogitationes nostras omnes defigendas esse. Quare Parochi in erudiendis fidelibus nunquam intermittent, præmiis æternæ vitæ propositis, eorum animos accendere: ut, quæcunque vel difficillima Christiani nominis causa subeunda esse docuerint, facilia, atque adeo jucunda existiment, promtioresque ad parendum Deo, & alacriores reddantur.

Fidelibus difficillima quaque æterna vitæ intuitu facilia. Matth. 5. 16. & 19. 2. Cor. 4. 17. Hebr. 1. 9.

2. Quid hic per vitam æternam significetur.

Vita æterna æternam beatitudinem significat. Vide Aug. lib. 1. Civit. cap. 12. 20. & 11. & in Psal. 118. Conc. 19. Apoc. 9. Psalm. 48. & 54. Job 20.

Sed quoniam sub his verbis, quæ ad beatitudinem nostram declarandam hoc loco usurpantur, plurima mysteria in occulto latent, ea sic aperienda sunt, ut, quantum cujusque ingenium ferat, omnibus patere possint. Admonendi igitur sunt fideles, his vocibus, *Vitam æternam*, non magis perpetuitatem vitæ, cui etiam dæmones, sceleratique homines addicti

dicti sunt, quam in perpetuitate beatitudinem, quæ beatorum desiderium expleat, significari. Atque ita intelligebat legis peritus ille, (a) qui a Domino Salvatore nostro, quid sibi faciendum esset, ut vitam æternam possideret, in Evangelio quæsivit: perinde ac si diceret: Quænam mihi præstanda sunt, ut ad eum locum, ubi perfecta felicitate frui liceat, perveniam? In hunc vero sensum sacræ literæ hæc verba accipiunt, ut (b) multis in locis licet animadvertere.

a) *Luc. 10. 25.*

b) *Matth. 19. 20. & 25. 46. Joan. 17. Rom. 2. 7.*

3. *Cur vitæ æternæ nomine summa illa beatitudo designetur.*

Hoc vero potissimum nomine summa illa beatitudo appellata est, ne quis existimaret eam in rebus corporeis, & caducis, quæ æternæ esse non possunt, consistere. Neque enim hæc ipsa beatitudinis vox satis explicare poterat, quod quærebatur; præsertim cum non defuerint homines inanis cujusdam sapientiæ opinione inflati, qui summum bonum in iis ponerent, quæ percipiuntur sensibus. Hæc enim pereunt, & veterascunt: beatitudo vero nullo temporis termino definienda est: quin potius terrena hæc longissime a vera felicitate absunt: a qua is quam maxime recedit, qui mundi amore, & desiderio tenetur: scriptum est enim: (c) *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*, & paulo post: *Mundus transit, & concupiscentia ejus.* Hæc igitur Parochi fidelium mentibus imprimenda diligenter curabunt, ut mortalia contemnere, nullamque in hac vita, in qua (d) non cives,

Beatitudo non in rebus corporeis consistit. Vide Aug. lib. 19. de Civ. cap. 4. 5. 6. & 7. & Arist. lib. 1. Eth. c. 7. 8. & 9. D. Thom. 1. 2. q. 2. Art. 3.

c) *1. Joan 2. 15.*

d) *1. Petr. 1. 11.*

Spe in hac vita inchoari potest nostra beatitudo.

a) *Tit. 2. 12.*

sed advenæ sumus, felicitatem obtineri posse in animum inducant. Quamquam hic etiam spe beati merito dicemur, (a) *si abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & juste, & pie, vixerimus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Hæc autem cum permulti, (b) qui sibi ipsis sapientes videbantur, minus intelligerent, & in hac vita felicitatem quærendam putarent, stulti facti sunt, & in maximas calamitates inciderunt: Sed illud præterea ex vi hujus nominis, *Vitam æternam*, percipimus, semel adeptam felicitatem amitti nunquam posse, ut falso nonnulli suspicati sunt: nam felicitas ex omnibus bonis sine ulla mali admistione cumulatur: quæ cum hominis desiderium expleat, in æterna vita necessario consistit: nec enim potest beatus non magnopere velle, ut illis bonis, quæ adeptus est, sibi perpetuo frui liceat. Quare, nisi ea possessio stabilis, & certa sit, maximo cruciatu timoris angatur, necesse est.

b) *Rom. 1. 22. Beatitudinem æternam esse oportere. Aug. de Civit. Dei lib. 12. cap. 20. Felicitas est omnium bonorum sine ulla mali admixtione jugis possessio. Scot. 4. Sent. Dist. 49. qu. 6. lit. Q.*

4. Æterna beatitudo verbis, aut mente humana comprehendi non potest.

De inenarrabili Sanctorum gloria & de præmiis essentialibus, & accidentalibus. Vide Aug. lib. 22. de Civ. cap. 20. & 30. lib. 3. de lib. arbit. cap. 25. & Serm. 64. de verb. Domini & Serm. 37. de Sanctis.

Verum quanta sit beatorum, quin in cœlesti patria vivunt, felicitas, eaque ab ipsis tantum, præterea a nemine comprehendi possit, hæ ipsæ voces, cum vitam beatam dicimus, satis demonstrant: nam cum ad rem aliquam significandam eo nomine utimur, quod cum multis aliis commune est, facile intelligimus, deesse propriam vocem, qua res illa plane exprimatur. Cum igitur felicitas iis vocibus declaretur, quæ non magis in beatos, quam

in

in omnes, qui perpetuo vivant, recte conveniunt, hoc nobis argumento esse potest, altiorem & præstantiorem quandam rem esse, quam ut proprio vocabulo perfecte significare ejus rationem possimus: nam etsi plurima alia nomina cœlesti huic beatitudini in sacris literis tribuuntur, cujusmodi sunt, (a) *regnum Dei*, (b) *Christi*, (c) *cœlorum*, (d) *paradisus*, (e) *sancta civitas*, (f) *nova Hierusalem*, (g) *domus Patris*: tamen perspicuum est nullum ex iis ad ejus magnitudinem explicandam satis esse. Quare Parochi hoc loco oblatam sibi occasionem non prætermittent, fideles tam amplis præmiis, quæ vitæ æternæ nomine declarantur, ad pietatem, justitiam, & omnia Christianæ religionis officia invitandi.

Beatitudo proprio verbo nequit exprimi.

a) *Matth. 6. 33. & 21. 31. Marci 1. 14. Luc. 6. 20.*
b) *Joan. 17. 36. Ephes. 5. 5. Col. 1. 13.*
c) *Mat. 5. 3. 10.*
d) *Ezech. 28. 13. Luc. 23. 43. 2. Cor. 12. 4.*
e) *Isa. 52. 1. Apoc. 21. 2.*
f) *Apoc. 3. 12. 21. 2.*
g) *Joan. 14. 2.*

Constat enim, vitam in maximis bonis, quæ natura expetuntur, numerari solere: atqui hoc potissimum bono, cum vitam æternam dicimus, beatitudo definitur. Quod si exigua hac, & calamitosa vita, quæ tot, & tam variis miseriis subjecta est, ut mors verius dicenda sit, nihil magis amatur, nihil aut charius, aut jucundius esse potest; quo tandem animi studio, qua contentione æternam illam vitam quærere debemus, quæ defunctis omnibus malis, perfectam, & absolutam bonorum omnium rationem conjunctam habet?

Vita magnum bonum & quantum ab omnibus expetatur. Vide Aug. lib. 11. C. v. c. 27. 28. Vita hac potius mors dicenda. Aug lib. 12. Civit. cap. 20.

5. Beatitudo omnium malorum privatione, & omnium bonorum adeptione continetur.

Nam, ut sancti Patres tradiderunt, æternæ vitæ felicitas omnium malorum liberatione, & bonorum adeptione definienda est. De malis clarissima sunt sanctarum literarum testimonia;

Felicitas malum nullum admittit, & nullum bonum excludit. Aug. lib. 22. de Civ. cap. 30.

Chryſoſt. etiam in Ep. ad Theod. lapſum. Anſel. Epiſt. 2. ad Hugonem, & in lib. de ſimil. cap. 47.

nia; ſcriptum eſt enim in Apocalypſi: (a) *Non eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus*, & rurſus: (b) *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Jam vero beatorum immenſa gloria, innumeraque ſolidæ lætitiæ, & voluptatis genera futura ſunt; cujus gloriæ magnitudinem cum animus noſter capere, aut illa in animos noſtros penetrare nullo modo poſſit, neceſſe eſt, nos in illam, nempe (c) in gaudium Domini introire, ut eo circumfuſi, mentis deſiderium cumulate expleamus.

a) *Apoc. 7. 16.*
b) *Apoc. 21. 4. Iſa. 25. 8.*

Omne bonum concludit. Aug. lib. 22. c. in fin. Alex. de Ales ſuper Pſal. 74.

c) *Matt. 25. 21.*

6. Quibus præcipue bonorum generibus Beati perfruentur.

S. Aug. Ser. 64. de verb. Domini. Et de Symb. ad Cat. lib. 3. c. 11. Dan. 13.

Quamvis autem, ut ſanctus Auguſtinus ſcribit, facilius mala, quibus carituri ſumus, quam bona ac voluptates, quas hauſuri ſumus, numerari poſſe videantur: danda tamen erit opera, ut quæ fideles ſummæ illius felicitatis adipiſcendæ cupiditate inflammare poterunt, breviter, & dilucide explicentur. Sed illa in primis diſtinctione uti oportebit, quam a graviſſimis divinarum rerum ſcriptoribus accepimus: ii enim duo bonorum genera eſſe ſtatuunt: quorum alterum ad beatitudinis naturam pertinet, alterum ipſam beatitudinem conſequitur: quare illa eſſentialia, hæc vero acceſſoria bona docendi cauſa, appellarunt.

Beatitudo duplex una eſſentialis, altera acceſſoria, de hac diſtinctione vide Doctores in 4. Sent. Diſt. 49.

7. In quo conſiſtat eſſentialis, & primaria æternæ beatitudinis cauſa.

Præmium eſſentiale eſt Dei viſio.

Ac ſolida quidem beatitudo, quam eſſentialem communi nomine licet vocare, in eo

ſita

sita est, ut Deum videamus, ejusque pulchritudine fruamur, qui est omnis bonitatis, ac perfectionis fons, & principium. (a) *Hæc est vita æterna*, inquit Christus Dominus, *ut agnoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum*, quam sententiam sanctus Joannes videtur interpretari, cum ait: (b) *Charissimi, nunc Filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*: significat enim beatitudinem ex iis duobus constare, tum quod Deum intuebimur qualis in natura sua, ac substantia est, tum quod veluti Dii efficiemur. Nam qui illo fruuntur, quamvis propriam substantiam retineant, admirabilem tamen quandam, & prope divinam formam induunt, ut Dii potius, quam homines videantur.

Aug. lib. 22. Civ. cap. 29.

a) *Joan. 17. 3. Ubi nota quid loquitur de filii non beatitudine.*

b) *1. Joan. 3. 2. Beatitudo hominis duobus constat.*

8. Beati quomodo Dei formam, & naturam quodammodo induant.

Hoc autem cur ita fiat, ex eo perspicuum est, quod unaquæque res vel ex ejus essentia, vel ex ejus similitudine, & specie cognoscitur. At quoniam nihil est Deo simile, cujus similitudinis adjumento ad perfectam ejus notitiam pervenire possimus; consequens est, ut ejus naturam, & essentiam videre nemini liceat, nisi hæc eadem divina essentia se nobis conjunxerit. Atque id Apostoli verba illa significant, (c) *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, nam, quod inquit, *in ænigmate*, interpretatur sanctus Augustinus, in similitudine ad Deum intelligendum accommodata. Quod etiam sanctus Dionysius aperte ostendit, cum affirmat nulla inferiorum simili-

Beati ad divinam naturam proxime accedunt. 2. Cor. 5.

c) *1. Cor. 13. 12.*

S. Aug. lib. 15. de Trin. cap. 9.

S. Dionysius cap. 1. de divin. nomin.

Vide D. Thom. in p. 1. q. 12. Art. 2. Contra gentes lib. 3. cap. 51.

militudine ſuperiora percipi poſſe: neque enim ex alicujus rei corporeæ ſimilitudine, ejus, quæ corpore careat, eſſentia, & ſubſtantia cognoſci poteſt: cum præſertim neceſſe ſit, rerum ſimilitudines minus concretionis habere, & magis ſpirituales eſſe, quam res ipſas, quarum imaginem referunt: quemadmodum in omnium rerum cognitione facile experimur. Quoniam vero fieri non poteſt, ut alicujus rei creatæ ſimilitudo æque pura, & ſpiritualis, ac Deus ipſe eſt, reperiatur; ita fit, ut ex nulla ſimilitudine divinam eſſentiam perfecte intelligere poſſimus. Accedit etiam, quod omnes creatæ res certis perfectionis terminis circumſcribuntur: At Deus infinitus eſt, neque ullius rei creatæ ſimilitudo ejus immenſitatem capere poteſt. Quocirca una illa ratio divinæ ſubſtantiæ cognoſcendæ relinquitur, ut ea ſe nobis conjungat, & incredibili quodam modo intelligentiam noſtram altius extollat, atque ita idonei ad ejus naturæ ſpeciem contemplandam reddamur.

9. Lumine gloriæ beati illuſtrantur, & ad Deum videndum tota ſpe omnes commoveri debent.

Id vero lumine gloriæ aſſequemur, cum eo ſplendore illuſtrati, (a) Deum lumen verum in ejus lumine videbimus: nam beati Deum præſentem ſemper intuentur: quo quidem dono, omnium maximo, & præſtantiſſimo, (b) divinæ eſſentiæ participes effecti, vera & ſolida beatitudine potiuntur: quam nos ita credere debemus, ut eam etiam Dei benignitate, cum certa ſpe, nobis expectandam eſſe, in Symbolo Patrum definitum ſit: inquit enim:

a) *Pſal. 35. 10. De lumine gloriæ vide S. Thom. 1. p. q. 12. Art. 5. S. or. 4. Sent. Diſt. 49. qu. 11.*

b) *2. Petr. 1. 4. Symbolum Conſtantinopolitanum.*

Ex-

Expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi.

10. Quomodo in beatitudine homo Deo conjungatur, similitudine explicatur.

Divina hæc plane sunt, neque ullis verbis explicari, aut cogitatione comprehendi a nobis possunt. Verum licet aliquam hujus beatitudinis imaginem in iis etiam rebus, quæ sensu percipiuntur, cernere. Nam, quemadmodum ferrum, admoto igni, ignem concipit, & quamvis ejus substantia non mutetur, fit tamen, ut diversum quippiam, nimirum ignis, esse videatur: eodem modo, qui in cœlestem illam gloriam admissi sunt, Dei amore inflammati, ita afficiuntur, cum tamen id, quod sunt, esse non desinant, ut multo magis distare ab iis, qui in hac vita sunt, merito dici possint, quam ferrum candens ab eo, quod nullam caloris vim in se contineat. Ut igitur rem paucis complectamur, summa illa, & absoluta beatitudo, quam essentialem vocamus, in Dei possessione constituenda est. Quid enim ei ad perfectam felicitatem deesse potest, qui Deum optimum & perfectissimum possidet?

A simili.

Anselmus etiam hanc tangit similitudinem in lib. de Similit. c. 16.

11. Quæ sint accidentalia bona, quibus Beati circumfluent.

Verum ad illam tamen quædam accedunt ornamenta omnibus beatis communia: quæ quoniam ab humana ratione minus remota sunt, vehementius quoque animos nostros commovere, & excitare solent. Hujus generis ea sunt, de quibus Apostolus ad Romanos videtur intelligere. (a) *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum:* nam gloria quidem

Præmium, seu bonum beatitudinis accidentale. Aug. lib. 22. Civ. cap. 30.

a) *Rom. 2. 10.*

Qualis gloria beatorum, ob quam ipsa beatitudo gloria dicitur.
Psal. 83. 12.
Rom. 8. 18.
Honor beatorum quantus ob quem ipsi reges Apoc. 5. 10.
Graeco textu nominantur.
a) *Luc. 12. 4. Joan. 15. 15.*
b) *Psal. 21. 23. Joan. 20. 17. Heb. 2. 11.*
c) *1. Joan. 3. 1. Rom. 8. 14.*
d) *Matth. 25. 34.*
e) *Psal. 138. 17.*
f) *Matt. 10, 32. Luc. 12. 8.*

dem Beati perfruentur, non illa ſolum, quam tandem eſſentialem beatitudinem, vel cum ejus natura maxime conjunctam eſſe oſtendimus: ſed ea etiam, quæ conſtat ex clara, & aperta notitia, quam ſinguli de alterius eximia, & præſtanti dignitate habituri ſunt. At vero quantus ille honor exiſtimandus eſt, qui eis a Domino tribuitur, cum (a) non amplius ſervi, ſed amici, (b) fratres, ac (c) filii Dei vocentur! quare ita electos ſuos amantiſſimis, & honorificentiſſimis verbis Salvator noſter compellabit: (d) *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum:* ut merito liceat exclamare: (e) *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus:* (f) ſed laudibus etiam a Chriſto Domino coram Patre cœleſti, & Angelis ejus celebrabuntur. Præterea ſi hoc commune omnibus hominibus deſiderium natura ingenuit honoris, qui a viris ſapientia præſtantibus habeatur, quod eos locupletiſſimos virtutis ſuæ teſtes fore exiſtiment: quantum beatorum gloriæ acceſſurum putamus, quod alius alium ſummo honore proſequetur?

12. Quibus bonorum copiis beati in æternis illis ſedibus cumulabuntur.

Beatitudo omnibus bonis animi, & corporis conſtat.
Pſal. 35. 9.

Infinita eſſet omnium oblectationum enumeratio, quibus beatorum gloria cumulata erit, ac ne cogitatione quidem fingere eas poſſumus. Sed tamen hoc fidelibus perſuaſum eſſe debet, quæcunque nobis jucunda in hac vita contingere, vel etiam optari queant, ſive ea ad mentis cognitionem, ſive ad corporis perfectum habitum pertineant, earum rerum omnium copiis beatam cœleſtium vitam circumflue-

fluere : quamvis hoc altiore quodam modo, quam oculus vidit, aut auris audivit, aut in cor hominis ascendit, fieri (a) Apostolus affirmet : nam corpus quidem, quod antea crassum & concretum erat, cum in cœlo detracta mortalitate, (b) tenue, & spirituale effectum fuerit, nullis amplius alimentis indigebit : anima (c) autem æterno gloriæ pabulo, quod magni illius convivii auctor, transiens omnibus ministrabit, cum summa voluptate exsaturabitur. Quis vero pretiosas vestes, aut regales corporis ornatus desiderare poterit, ubi nullus harum rerum usus futurus sit ; (d) omnesque immortalitate, & splendore amicti, & (e) sempiternæ gloriæ corona ornati erunt ? Sed si amplæ etiam, & magnificæ domus possessio ad humanam felicitatem pertinet, quid cœlo ipso, quod Dei claritate undique colluſtratur, vel amplius, vel magnificentius cogitari potest. Quare Propheta, cum ejus domicilii pulchritudinem sibi ante oculos poneret, & ad beatas illas sedes perveniendi cupiditate arderet, (f) *Quam dilecta*, inquit, *tabernacula tua, Domine virtutum : concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini : cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Atque ut hic sit omnium fidelium animus, hæc communis omnium vox, quemadmodum Parochi vehementer optare, ita etiam omni studio curare debent.

a) 1. Cor. 2. 9. Isa. 64. 4.

b) 1. Cor. 15. 42. 43.

c) Luc. 12. 37.

Terrena vilia erunt beatis.

d) 1. Cor. 15. 54. Apoc. 7. 9.

e) 1. Cor. 9. 25. 2. Tim. 4. 8.

f) Psal. 83. 2. 3.

13. Præmiis iisdem citra ullum discrimen beati non afficientur.

Nam (g) *in domo Patris mei*, inquit Dominus, *mansiones multæ sunt ;* in quibus majora, & minora præmia, ut quisque promeritus erit,

g) Joan. 14. 2. Psal. 61.

reddentur. (a) *Qui enim parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Quare non solum ad eam beatitudinem fideles excitabunt, verum etiam ejus consequendæ certam rationem hanc esse frequenter monebunt, ut fide & charitate instructi, & in oratione, & Sacramentorum salutari usu perseverantes, ad omnia benignitatis officia in proximos se exerceant: ita enim Dei misericordia fiet, qui beatam illam gloriam diligentibus se præparavit, ut aliquando impleatur, (b) quod dictum est per Prophetam: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

a) 2. Cor. 9. 6. Diversa erunt in cœlo meritorum præmia. Isa. 56. 4. 5. Matth. 19. 28. 1. Cor. 15. 42 Aug. lib. 22. C. 30. c. 30. Cyprianus de opere. Continuatio prima partis ad secundam de Sacramentis.

b) Isa. 32. 18.

CATECHISMI ROMANI

PARS SECUNDA.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

1. Doctrinam Sacramentorum tradere Parocho in primis est curandum.

Cum omnis Christianæ doctrinæ pars Pastoris scientiam, diligentiamque desiderat: tum Sacramentorum disciplina, quæ & Dei jussu necessaria, & utilitate uberrima est, Parochi facultatem, & industriam postulat singularem; ut ejus accurata, ac frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus præstantissimæ, ac sanctissimæ res digne & salutariter impertiri possint, & Sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant: (a) *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.*

Canes sunt infideles Ecclesiam Dei lacerantes. Porci autem porcinam vitam agentes, omnia genera virtutum conculcantes, de quibus etiam inquit Christus.

a) *Matth. 7. 6.*

2. Quidnam sibi velit Sacramenti vocabulum.

Principio igitur, quoniam universe de toto genere Sacramentorum agendum est, ab ipsius nominis vi, atque notione oportet incipere, ejusque ambiguam significationem explanare, ut quæ hujus verbi sententia hoc loco pro-

A sfondisti hæc a sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis. Matth. 11. 25.

Sacramenti vox eſt multiplex.

pria ſit, facilius intelligatur. Quare docendi ſunt fideles, Sacramenti nomen (quod ad propoſitam rem attinet) aliter a prophanis, quam a ſacris ſcriptoribus acceptum eſſe: nam alii auctores ſacramenti nomine obligationem illam ſignificari voluerunt, cum jurati aliquo ſervitutis vinculo obſtringimur: ex quo jusjurandum, quo ſe milites fidelem operam reipublicæ præſtaturos pollicentur, ſacramentum militare dictum eſt: atque hæc frequentiſſima hujus vocabuli ſignificatio apud illos videtur fuiſſe. Verum apud Latinos Patres, qui res divinas ſcriptis tradiderunt, ſacramenti nomen aliquam rem ſacram, quæ in occulto latet, declarat: quemadmodum Græci ad eandem rem ſignificandam myſterii vocabulo uſi ſunt. In eam vero ſententiam ſacramenti vocem accipiendam eſſe intelligimus, cum ad Epheſios ſcribitur: (a) *Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ.* Deinde ad Timotheum: (b) *Magnum eſt pietatis Sacramentum.* Præterea in libro Sapientiæ: (c) *Neſcierunt ſacramenta Dei.* Quibus in locis, & aliis multis licet animadvertere, Sacramentum nihil aliud, niſi rem ſacram abditam, atque occultam ſignificare.

Latini pro Jurejurando ſacramentum ſumpſerunt. Tullius Cic. 1. offic.

Patres pro re divina latente myſterii & ſacramenti nomine uſi ſunt.

a) *Eph. 1. 9.*

b) *1. Tim. 3. 16.*

c) *Sap. 2. 22. Eph. 5. 32. Apoc. 1. 19.*

3. Sacramenti nomen ad ſigna ſacra ſignificanda a Patribus accommodatum eſt antiquiſſimum.

Quare Latini Doctores ſigna quædam ſenſibus ſubjecta, quæ gratiam, quam efficiunt, ſimul etiam declarant, ac veluti ante oculos ponunt, ſacramenta commode appellari poſſe exiſtimarunt. Quamquam, ut D. Gregorio placet, ob id ſacramenta dici poſſunt, quod divina virtus ſub rerum corporearum tegumen-

D. Greg. in c. 16. lib. 1. Regum ſuper illud Directus eſt Spiritus Domini in David.

Sacramenti nomine a primis Eccleſiæ Patribus ſæpe fuit uſurpatum. Vide Tertul. de præſcr. & lib. 1.

tis

tis occulte ſalutem efficiat. Nec vero quiſquam putet, hoc vocabulum nuper in Eccleſiam inductum eſſe: nam qui ſanctos Hieronymum & Auguſtinum legerit, facile perſpiciet, antiquos religionis noſtræ ſcriptores ad eam, de qua loquimur, rem demonſtrandam ſæpiſſime Sacramenti nomine, interdum vero etiam Symboli, vel Myſtici ſigni, vel Sacri ſigni voce uſos eſſe. Atque hæc de Sacramenti nomine dicta ſint: quod quidem veteris etiam legis ſacramentis convenit, de quibus nihil opus eſt Paſtoribus præcepta tradere, cum ea Evangelii lege, & gratia ſublata ſint.

adver. Marc. Cypr. epiſt. 55. & in lib. de baptiſ. Chriſti. Hieron. in commentar. in Thren. Aug. lib. 19. contra Fauſtum c. 11. in Jo. tract. 80.

4. Quam rem Catholicis ſcriptoribus proprie denotet Sacramentum.

Verum præter nominis notionem, quæ hactenus declarata eſt, rei etiam vis, & natura diligenter inveſtiganda, & quid Sacramentum ſit, fidelibus aperiendum eſt. Sacramenta enim ex genere earum rerum eſſe, quibus ſalus, & juſtitia comparatur dubitare nemo poteſt. Sed cum multæ rationes ſint, quæ ad hanc rem explicandam aptæ, & accommodatæ videantur: nulla tamen planius, & dilucidius eam demonſtrat, quam definitio a D. Auguſtino tradita, quam deinde omnes Doctores ſcholaſtici ſecuti ſunt. (a) *Sacramentum*, inquit ille, *eſt ſacræ rei ſignum:* vel ut aliis verbis, in eandem tamen ſententiam, dictum eſt: (b) *Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram juſtificationem inſtitutum.*

De propria vi, atque natura ſacramenti. Sacramentum eſt res, qua ſalus, & juſtitia comparatur.

a) *D. Aug. lib. 10. de civit. Dei cap. 5. Alex. de Ales 4. par. qu. 1. mem. 1. D. Thom. in 3. part. quæſt. 60. per totam.*

b) *Hæc definitio colligitur ex Aug. lib. de catech. rud. c. 26.*

5. Rerum ſenſibilium diviſio, quidque ſigni nomine intelligendum ſit.

Quæ quidem definitio ut magis pateat, ſingulæ ejus partes Paſtoribus exponendæ erunt,

Rerum ſenſibilium duo eſſe ge-

nera Aug. lib. 2. de doctrina Christi c. 1. Signa alia naturaliter, alia ad placitum. Aristot. lib. 1. Perischer. cap. 1.

atque in primis docere oportebit, rerum omnium, quæ sensibus percipiuntur, duo esse genera: aliæ enim ob id inventæ sunt, ut aliquid significent: aliæ non alterius rei significandæ, sed sua tantum causa effectæ sunt: quo in numero omnes pene res, quæ natura constant, haberi possunt. At vero in priori genere vocabula rerum, scriptura, vexilla, imagines, tubæ, & alia hujuscemodi permulta ponenda sunt: nam si ex vocabulis vim significandi detraxeris, sublata videtur esse causa, quamobrem vocabula instituerentur. Hæc igitur signa proprie dicuntur. Illud enim signum esse sanctus Augustinus testatur, quod præter rem, quam sensibus objicit, efficit etiam, ut ex se alterius rei cognitionem capiamus: sicut ex vestigio, quod terræ impressum intuemur, transiisse aliquem, cujus vestigium apparet, facile cognoscimus.

August. lib. 2. de doctr. Christi c. 1. quem sequitur Mag. lib. 4. dist. 1. & Gratian. de consec. dist. 2. c. signum.

6. Quomodo Sacramenta in genere signi reponenda sint ostenditur.

Sacramentum cur inter res quæ significant reponi debeat. Aug. lib. 3. de doctrina Christi c. 9. & epist. 23. ad Bonif. in lib. de catech. rud. c. 26. Tertul. in lib. de resurrect. carnis. Greg. l. 6. c. 3. in l. Reg.

Quæ cum ita se habeant, sacramentum ad hoc rerum genus, quæ significandi causa institutæ sunt, referri perspicuum est: siquidem specie quadam & similitudine id nobis declarat, quod Deus in animis nostris sua virtute, quæ sensu percipi non potest, efficit. Baptismus enim (ut, quod docetur, exemplo notius fiat) cum adhibitis certis, & solemnibus verbis, aqua extrinsecus abluimur, hoc significat, Spiritus Sancti virtute omnem peccati maculam, & turpitudinem interius elui, & animas nostras præclaro illo cœlestis justitiæ dono augeri, atque ornari: simulque ea corporis ablutio, ut post-

ea

ea ſuo loco explicabitur, illud in animo efficit, quod ſignificat.

7. Idem etiam ex Scripturis demonſtratur.

Sacramenta inter res, quæ ſignificant, eſſe numeranda ex Scripturis colligitur.

Sed ex Scripturis etiam aperte colligitur, Sacramentum inter ſigna numerandum eſſe. Apoſtolus enim de circumciſione, veteris legis Sacramento, quæ (a) Abraham patri omnium credentium data erat, ita ad Romanos ſcribit: (b) *Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei.* Et alio loco, (c) cum affirmat nos omnes, *qui baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizatos eſſe*, licet cognoſcere, baptiſmum hujus rei ſignificationem habere, nimirum, ut ait idem Apoſtolus, *Nos conſepultos eſſe cum illo per baptiſmum in mortem.* Neque vero parum proderit, ſi fidelis populus ſacramenta ad ſigna pertinere intellexerit. Ita enim fiet, ut quæ illis ſignificantur, continentur, atque efficiuntur, ſancta & auguſta eſſe facilius ſibi perſuadeat, cognitaque eorum ſanctitate, ad divinam erga nos beneficentiam colendam, ac venerandam magis excitetur.

a) *Gen. 17. 10. 11. 12.*

b) *Rom. 4. 11.*

c) *Rom. 6. 3. Eodem 4. Utilitas ex doctrina ſuperiori emanans.*

8. Quot ſint ſignorum genera.

Sacramentum eſſe rei ſacræ ſignum quomodo intelligendum, & quod quadruplex ſit ſignorum genus.

Sequitur nunc, ut verba illa, *rei ſacræ*, quæ eſt altera definitionis pars, explicentur. Quod quidem ut commode fieri poſſit, paulo altius repetenda ſunt, quæ de ſignorum varietate ſanctus Auguſtinus acute, & ſubtiliter diſputavit. *Quædam enim ſigna naturalia dicuntur, quæ præter ſeipſa alterius rei notitiam* (quod omnibus ſignis commune eſſe, antea demonſtratum eſt) *in animis noſtris gignunt:* veluti fumus, ex quo ſtatim ignem adeſſe intelligitur: atque hoc ſignum ob eam cauſam naturale appellandum eſt, quod

Signa naturalia, voluntaria, prognostica, & practica.

fumus non voluntate ignem significat, sed rerum usus efficit, ut si quis fumum tantum videat, naturam simul, & vim ignis, qui adhuc latet, subesse, mente, & cogitatione percipiat. *Quædam vero signa natura non constant, sed constituta, atque ab hominibus inventa sunt*, ut colloqui inter se, & aliis animi sui sensa explicare, vicissimque aliorum sententiam, & consilia possent cognoscere. Hæc autem quam varia, & multiplicia sint, ex eo licet animadvertere, quod nonnulla ad oculorum, pleraque ad aurium sensum, reliqua ad cæteros sensus pertinent: nam cum aliquid alicui innuimus, & exempli causa sublato vexillo quidpiam declaramus, satis constat, eam significationem ad oculos tantum referri: quemadmodum tubarum, tibiarum, aut citharæ sonus, qui non solum delectandi, sed plerumque significandi causa funditur, ad aurium judicium spectat: quo quidem præcipue sensu verba etiam accipiuntur, quæ ad exprimendas intimas animi cogitationes maximam vim habent.

9. *De signis a Deo institutis tam in veteri, quam in novo testamento.*

Signa quædam sunt divinitus data. Aug. lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 9. & in 3. de Trin. c. 10. Vide de his Leviticum fere per totum: Significationes autem pere ex Cyrillo in lib. de adorat. in Spiritu & veritate.

Verum præter illa signa, quæ hominum consensu, & voluntate constituta esse, hactenus diximus, alia quædam sunt divinitus data, quorum tamen non unum genus esse omnes consentiunt. Alia enim signa ob eam tantum rem a Deo hominibus commendata sunt: ut aliquid significarent, vel admonerent: cujusmodi fuerunt (a) legis purificationes, panis azymus, & alia permulta, quæ ad Mosaici cultus cæremonias pertinebant: alia vero Deus instituit,

quæ

a) *Exod. 12. 15. 18. & 23. 15. & 24. 18.*

quæ non ſignificandi modo, ſed efficiendi etiam vim haberent: atque in hoc poſteriori ſignorum genere Sacramenta novæ legis numeranda eſſe liquido apparet. Signa enim ſunt divinitus tradita, non ab hominibus inventa, quæ rei cujuſpiam ſacræ, quam declarant, efficientiam in ſe continere certo credimus.

10. Res ſacra quomodo in definitione Sacramenti ſit intelligenda.

Sed quemadmodum ſigna in multiplici varietate eſſe oſtendimus: ita etiam res ſacra non unius modi exiſtimanda eſt. Quod vero ad propoſitam Sacramenti definitionem attinet, divinarum rerum ſcriptores ſacræ rei nomine Dei gratiam, quæ nos ſanctos efficit, ac omnium divinarum virtutum habitu exornat, demonſtrant: huic enim gratiæ propriam ſacræ rei appellationem tribuendam merito putarunt; quippe cum ejus beneficio animus noſter Deo conſecretur, & conjungatur.

Concil. Trident. Seſſ. 7. cap. 6. de Sacramentis. Gratia Dei ſacra res proprie nuncupatur. Mag. in 4. d. 1. D. Thom. in 3. par. quæſt. 60. Art. 2. & Hugo de Sacramentis.

11. Sacramenti uberior definitio, & qua ratione a reliquis ſignis ſacris illud differat.

Quare, ut explicatius, quid Sacramentum ſit, declaretur, docendum erit, rem eſſe ſenſibus ſubjectam, quæ ex Dei inſtitutione, ſanctitatis, & juſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet, ex quo ſequitur, ut facile quivis poſſit intelligere, Imagines Sanctorum, Cruces, & alia id genus, quamvis ſacrarum rerum ſigna ſint, non ideo tamen ſacramenta dicenda eſſe. Hujus autem veritatis doctrinam facile erit omnium ſacramentorum exemplo comprobare, ſi, quod antea de Baptiſmo admonuimus, cum dicebamus, ſolemnem illam

Scot. 4. Diſt. 1. q. 2. lit. M.

corporis ablutionem ſignum eſſe, & efficientiam habere rei ſacræ, quæ interius Spiritus Sancti vi fieret, idem etiam in aliis Sacramentis exercere aliquis velit.

12. *Sacramenta non unam tantum rem, ſed plures ſignificant.*

D. Thom. in 3. p. q. 60. a. 3. quod probat ex Aug. verbis, quæ citantur de Conſec. Diſt. 2. cap. Hoc eſt quod.

Jam vero hiſce myſticis ſignis, quæ a Deo inſtituta ſunt, illud etiam præcipue convenit, ut ex Domini inſtitutione non unam aliquam rem, ſed plures ſimul ſignificent. Quod in ſingulis Sacramentis licet cognoſcere, quæ non ſolum ſanctitatem, & juſtitiam noſtram, ſed præterea duo alia cum ipſa ſanctitate maxime conjuncta declarant, Chriſti ſcilicet redemptoris paſſionem, quæ ſanctitatis cauſa eſt: & vitam æternam, cœleſtemque beatitudinem, ad quam ſanctitas noſtra, tanquam ad finem, referri debet. Quod quidem cum in omnibus Sacramentis perſpici poſſit, merito ſacri Doctores unicuique Sacramentorum triplicem ſignificandi vim ineſſe tradiderunt: tum quia alicujus rei præteritæ memoriam afferat: tum quia aliam præſentem indicet, ac demonſtret: tum quia aliam futuram prænunciet. Neque vero exiſtimandum eſt, hoc ita ab illis doceri, ut etiam ſanctarum ſcripturarum teſtimonio non probetur. Nam cum Apoſtolus ait, (a) *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus*, plane oſtendit, idcirco Baptiſmum ſignum dicendum eſſe, quod Dominicæ paſſionis, & mortis nos admoneat. Deinde cum inquit, *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate*

Unumquodque Sacramentum tria ſimul ſignificat. Paſſionem, Gratiam, & Gloriam. Signum remorativum.

a) *Rom. 6. 3. Demonſtrativum, & prognoſticum; quæ tria habentur in Feſto Corporis Chriſti, tibi o Sacrum convivium, &c. Et 1. Cor. 2. Non enim me judicavi ſcire aliquid, niſi Jeſum*

tate vitæ ambulemus : ex iis verbis perſpicuum eſt, Baptiſmum ſignum eſſe, quo cœleſtis gratia in nos infuſa declaratur, cujus munere nobis datum eſt, ut novam vitam inſtituentes, omnia veræ pietatis officia facile, & libenti animo exequamur. Poſtremo cum addit, (a) *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*, apparet Baptiſmum vitæ etiam æternæ, quam per illum conſecuturi ſumus, non obſcuram ſignificationem dare.

Chriſtum, & hunc crucifixum. Et in canone Miſſæ. Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia. Ad Rom. 6. 4.

a) *Rom. 6. 5. Significatio Sacramenti Allegorica paſſionis, Hiſtorica gratiæ, Anagogica gloriæ.*

13. Sacramentum non unam tantum præſentem rem, ſed plures deſignat.

Sed præter hæc, quæ commemoravimus, varia ſignificandi genera, & rationes, ſæpe etiam evenit, ut Sacramentum non unam tantum rem præſentem, ſed plures demonſtret, ac notet. Id vero ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum intuentibus facile eſt intelligere, quo veri corporis, & ſanguinis Domini præſentia, nec non gratia, quam non impure ſacra myſteria ſumentes percipiunt, deſignatur. Ex iis igitur, quæ dicta ſunt, Paſtoribus argumenta deeſſe non poterunt, quibus oſtendant, quanta divinitatis potentia, quot arcana miracula Sacramentis novæ legis inſint: ut ea ſumma cum religione colenda, & ſuſcipienda eſſe, omnibus perſuadeant.

Sacramentum aliquando plures res præſentes deſignat. Sacramentum Euchariſtiæ quot habeat ſignificationes, vide Dam. lib. 4. de orth. fid. cap. 14. & D. Th. in 3. p. q. 73. Art. 4.

14. Cur Sacramenta inſtitui apud Chriſtianos oportuerit.

Verum ad rectum Sacramentorum uſum docendum nihil accommodatius videri poteſt, quam diligenter cauſas exponere, cur Sacramenta inſtitui oportuerit. Plures autem numerari ſolent. Quarum prima eſt, humani ingenii

Cauſæ, ob quas inſtituta ſunt Sacramenta. Hugo de Sacram. par. 9. cap. 9. Magiſt. in 4. Sent. Diſt. 1.

D. Thom. in 3. p. q. 61. Art. 1. Prima, ut humani ingenii imbecillitatem adjuvent. Aug. lib. 11. de Trin. cap. 2.

genii imbecillitas: siquidem natura ita comparatum videmus, ut ad earum rerum notitiam, quæ mente, atque intelligentia comprehensæ sunt, nisi per ea, quæ aliquo sensu percipiuntur, nemini adspirare liceat. Ut igitur quæ occulta Dei virtute efficiuntur, facilius intelligere possemus, idem summus rerum omnium artifex sapientissime fecit, ut eam ipsam virtutem aliquibus signis, quæ sub sensum cadunt, pro sua in nos benignitate declararet. Nam, ut præclare a sancto Chrysostomo dictum est, *Si homo corporis concretione caruisset, nuda ipsa bona, neque ullis integumentis involuta ei oblata essent: quoniam vero anima corpori conjuncta est, omnino opus fuit, ut rerum, quæ sentiuntur, adminiculo ad ea intelligenda uteretur.*

S. Chrysost. hom. 23. in Matth. & hom. 60. ad pop. Antiochenum.

Secunda, ut credendi tarditatem erigant. August. lib. 4. contra Donat. c. 24.

Altera vero causa est, quod animus noster haud facile commovetur ad ea, quæ nobis promittuntur, credenda. Quare Deus a mundi exordio, quæ facere instituerat, verbis quidem frequentissime indicare consuevit: interdum vero, cum opus aliquod institueret, cujus magnitudo promissi fidem abrogare posset, alia etiam signa, quæ nonnunquam miraculi speciem haberent, verbis adjunxit. Nam cum Deus (a) Moysen ad Israelitici populi liberationem mitteret, ille vero ne Dei quidem præcipientis auxilio fretus, timeret, ne onus sibi gravius imponeretur, quam ut sustinere posset, aut ne populus divinis oraculis, & dictis fidem non adjungeret, (b) Dominus promissionem suam multa signorum varietate firmavit. Quemadmodum igitur in veteri testamento Deus fecerat, ut magni alicujus promissi con-

a) *Exod. 3. 10. 11.*

b) *Exod. 4. 23. 4. Instituta sunt Sacramenta, ut ostendatur plenitudo divinæ mi-*

stan-

ſtantiam ſignis teſtificaretur : ita etiam in nova lege Chriſtus, Salvator noſter, cum nobis peccatorum veniam, cœleſtem gratiam, Spiritus ſancti communicationem pollicitus eſt, quædam ſigna oculis, & ſenſibus ſubjecta inſtituit, quibus eum quaſi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promiſſis futurum dubitare nunquam poſſemus.

ſericordiæ, & diſpenſatio divinæ juſtitiæ. Alex. de Ales 4. p. q. 1. membro 2. Art. 2.

Tertia cauſa fuit, ut illa tanquam remedia, ut ſcribit ſanctus Ambroſius, atque (*) Evangelici Samaritani medicamenta ad animarum ſanitatem vel recuperandam, vel tuendam præſto eſſent. Virtutem enim, quæ ex Paſſione Chriſti manat, hoc eſt gratiam, quam ille nobis in ara Crucis meruit, per Sacramenta, quaſi per alveum quendam, in nos ipſos derivare oportet, aliter vero nemini ulla ſalutis ſpes reliqua eſſe poterit. Quare clementiſſimus Dominus Sacramenta verbo ſuo, & promiſſione ſancita relinquere in Eccleſia voluit, per quæ paſſionis ſuæ fructum nobis reipſa communicari ſine dubitatione crederemus; ſi modo unuſquiſque noſtrum ad ſe eam curationem pie, & religioſe admoveret.

Tertia, ut parata, & certa ſit medicina ad depellendos animæ morbos, & ſalutem tuendam.

S. Ambr. lib. 5. de Sacram. cap. 4.
*) Luc. 10. 33. 34.

Sed quarta etiam cauſa accedit, cur Sacramentorum inſtitutio neceſſaria videri poſſit: ut ſcilicet notæ quædam, & ſymbola eſſent, quibus fideles internoſcerentur : cum præſertim *in nullum nomen religionis, ſive verum, ſive falſum*, ut a divo Auguſtino traditum eſt, *colligari homines poſſint niſi aliquo ſignorum, vel Sacramentorum viſibilium fœdere conjungantur.* Utrumque igitur præſtant novæ legis Sacramenta, quæ & Chriſtianæ fidei cultores ab infidelibus diſtin-

Quarta, ut ſint Chriſtianiſmi, veræque religionis ſymbola, & ſanctæ ſocietatis vincula.

D. Aug. lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. & de vera relig. cap. 17. & Baſil. in exhortat. ad Baptiſmum.

distinguunt, & ipsos fideles sancto quodam vinculo inter se connectunt.

Quinta, sunt testimonia nostræ fidei, eiusque certa declaratio.

Præterea aliam etiam justissimam fuisse causam Sacramenta instituendi, ex illis Apostoli verbis, (a) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ostendi potest. Sacramentis enim fidem nostram in hominum conspectu profiteri, & notam facere videmur. Quare ad Baptismum accedentes, palam testamur, nos credere ejus aquæ virtute, qua in Sacramento abluimur, spiritualem animæ purgationem fieri.

a) *Rom. 10. 10.*

Sexta, ut sint incitamenta fidei, & charitatis.

Magnam deinde vim habent Sacramenta, non solum ad fidem in animis nostris excitandam, & exercendam; sed etiam ad eam charitatem inflammandam, qua amare inter nos debemus; cum, arctissimo nos vinculo colligatos, & unius corporis membra effectos esse, ex sacrorum mysteriorum communione recordamur.

Septima sunt humilitatis excitandæ instrumenta.

Postremo, quod in Christianæ pietatis studio plurimi faciendum est, humanæ mentis superbiam edomant, ac comprimunt, nosque ad humilitatem exercent, dum sensibilibus elementis subjicere nos cogimur, ut Deo obtemperemus, a quo antea impie defeceramus, ut mundi elementis serviremus. Hæc sunt, quæ potissimum de Sacramenti nomine, natura, institutione fideli populo tradenda esse visa sunt: quæ posteaquam a Pastoribus accurate expo-

Gal. 4.

Epilogus superiorum.

sita fuerint, docere deinceps oportebit, quibus ex rebus singula Sacramenta constent, quæve sint illorum partes, ac præterea qui ritus, & cæremoniæ additæ illis fuerint.

15. Partes ad conſtituendum unumquodque Sacramentum neceſſariæ.

Primum igitur explicandum eſt, rem ſenſibilem, quæ ſupra in Sacramenti definitione poſita eſt, non unam tantum eſſe, quamvis unum ſignum conſtitui credendum ſit. Duo enim ſunt, ex quibus quodlibet Sacramentum conficitur: quorum alterum materiæ rationem habet, atque Elementum dicitur: alterum formæ vim, & Verbum communi vocabulo appellatur. Sic enim a Patribus accepimus: qua in re notum eſt, atque apud omnes pervulgatum illud ſancti Auguſtini teſtimonium, *Accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Rei igitur ſenſibilis nomine, tum materiam, ſive elementum intelligunt; ut in Sacramento Baptiſmi aquam, Confirmationis chriſma, & extremæ unctionis oleum, quæ omnia ſub aſpectum cadunt: tum præterea verba, quæ formæ rationem habent, atque ad aurium ſenſum pertinent. Apoſtolus vero utrumque aperte indicavit, cum inquit, (a) *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Quo in loco materia, & forma Sacramenti exprimitur.

Duobus quodlibet Sacramentum conſtat. Mag. in 4. Sent. Diſt. 1. Lit. D. D. Thom. in 3. p. q. 60. Art. 4. 5. & 6. S. Aug. Tract. 80. in Joan. in utero Mariæ acceſſit Verbum Divinitatis ad Elementum humanitatis, & factum eſt Sacramentum Incarnationis.

a) *Epheſ. 5. 25. 26.*

16. Cur elemento verba addita fuerint.

Addenda autem erant verba ad materiam, ut apertior, clariorque rei, quæ gerebatur, ſignificatio fieret. Verba enim inter omnia ſigna maximam vim habere perſpicuum eſt: ac ſi ipſa deſint, plane obſcurum erit, quidnam materia Sacramentorum deſignet, ac demonſtret. Nam, ut in Baptiſmo licet videre,

Materia, & forma Sacramentorum ex ſcripturis trahuntur. Verborum in Sacramentis virtus. Aug. lib. 8. de Doctr. Chriſti. cap. 3.

cum

cum aqua non minus refrigerandi, quam abluendi vim habeat, & utriuſque rei ſymbolum eſſe poſſit, niſi verba addantur, utrum horum in Baptiſmo ſignificet, aliquis fortaſſe conjectura aliqua dijudicabit, nemo autem ea de re quidpiam certe affirmare audebit: at cum verba adhibentur, ſtatim intelligimus, abluendi vim, & ſignificationem habere.

17. Excellentia Sacramentorum Novæ Legis.

Sacramenta legis veteris formam deſiderata non habebant; hoc colligitur e Scripturis, in quibus veterum Sacramentorum fit mentio.

In hoc autem noſtra Sacramenta antiquæ Legis Sacramentis plurimum præſtant, quod in illis adminiſtrandis nulla, quod quidem acceperimus, definita forma ſervaretur; quo etiam fiebat, ut incerta admodum, & obſcura eſſent: noſtra vero formam verborum ita præſcriptam habent, ut, ſi forte ab ea diſcedebatur, Sacramenti ratio conſtare non poſſit: ob eamque rem clariſſima ſunt, ac nullum relinquunt dubitandi locum. Hæ igitur ſunt partes, quæ ad naturam, & ſubſtantiam Sacramentorum pertinent, & ex quibus unumquodque Sacramentum neceſſario conſtituitur.

Forma ſublata ratio ſacramenti tollitur.

18. Quæ ſit cæremoniarum in Sacramentis virtus & natura.

Videatur cap. 13. de ſacramentis in genere. Seſſ. 7. Conc. Trid.

His accedunt cæremoniæ, quæ tametſi prætermitti ſine peccato non poſſunt, niſi aliud facere ipſa neceſſitas cogat, tamen, ſi quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vera Sacramenti ratione immi-

Cæremoniarum antiquitas. Dionyſ. Areop. in lib. de Eccl. Hierar. cap. 2. Clem. epiſt. 3. Baſil. de Spiritu Sancto. c. 27.

nui credendum eſt. Ac merito quidem a primis uſque Eccleſiæ temporibus illud ſemper ſervatum eſt, ut Sacramenta ſolemnibus quibuſdam cæremoniis miniſtrarentur. Primum enim maxime decuit ſacris myſteriis eum reli-

gio-

gionis cultum tribuere, ut ſancta ſancti tractari videremur: præterea, quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipſæ magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum ſanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, & diligenter obſervant, ad ſublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis, & charitatem excitant: quo major cura, & diligentia adhibenda erit, ut fideles vim cæremoniarum, quibus ſingula Sacramenta conficiuntur, cognitam, & perſpectam habeant.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 4. & 5. in fidei doctrina. Cæremoniarum effectus. Iſid. l. de offic. Eccl. c. 20.

19. Quot ſint Catholicæ Eccleſiæ Sacramenta.

Sequitur, ut Sacramentorum etiam numerus explicetur; quæ quidem cognitio hanc utilitatem affert, quod populus eo majori pietate omnes animi ſui vires ad laudandam, & prædicandam Dei erga nos ſingularem beneficentiam convertet, quo plura ſalutis, ac beatæ vitæ adjumenta nobis divinitus parata eſſe intellexerit. Catholicæ igitur Eccleſiæ Sacramenta, quemadmodum ex (a) Scripturis probatur, & Patrum traditione ad nos pervenit, & (b) Conciliorum teſtatur auctoritas, ſeptenario numero definita ſunt.

De neceſſitate, numero, & utilitate Sacramentorum.

a) *Prov. 9. 1. Zach. 3. & 4. v. 9. & 2.*

b) *Seſſ. 7. Conc. Trid. can. 1. de Sacramentis in genere. Conc. Conſt. ſeſſ. 15. Flor. in Decreto dato Armenis.*

20. Cur nec majori, nec minori numero Sacramenta concludantur.

Cur autem neque plura, neque pauciora numerentur, ex iis etiam rebus, quæ per ſimilitudinem a naturali vita ad ſpiritualem transferuntur, probabili quadam ratione oſtendi poterit. Homini enim ad vivendum, vitamque conſervandam, & ex ſua, reique publicæ utilitate traducendam, hæc ſeptem neceſſaria vi-

Humano generi ſeptem ſunt neceſſaria ad vitam commode traducendam.

dentur, ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur, si in morbum incidat, sanetur, imbecillitas virium reficiatur: deinde, quod ad rempublicam attinet, ut magistratus nunquam desint, quorum auctoritate, & imperio regatur, ac postremo, legitima sobolis propagatione seipsum, & humanum genus conservet. Quæ omnia quoniam vitæ illi, qua anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex iis facile Sacramentorum numerus colligitur.

Conc. Constant. sess. 19. Florent. in Decr. dato Armenis. Trident. sess. 7. D. Thom. in 3. p. q. 65. art. 1.

21. Septem Sacramenta esse, ex Scripturis demonstratur.

Primus enim est Baptismus, veluti cæterorum janua, quo (a) Christo renascimur. Deinde Confirmatio, cujus virtute fit, ut divina gratia augeamur, & roboremur: baptizatis enim jam Apostolis, ut D. Augustinus testatur, inquit Dominus (b) *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Tum Eucharistia, qua, tanquam cibo mere cœlesti spiritus noster alitur, & sustinetur: de ea enim dictum est a Salvatore, (c) *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Sequitur quarto loco Pœnitentia, (d) cujus ope sanitas amissa restituitur, postquam peccati vulnera accepimus. Postea vero Extrema Unctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur, & animi virtutes recreantur, siquidem D. Jacobus, cum de hoc Sacramento loqueretur, ita testatus est. (e) *Et, si in peccatis sit, remittentur ei.* Sequitur (f) Ordo, quo publica Sacramentorum ministeria perpetuo in Ecclesia exercendi, sacrasque functiones exequendi potestas traditur. Postremo additur (g) Matrimonium, ut ex maris, & fœminæ legi-

a) Joan. 3. 5. Tit. 3. 5. Scot. 4. sent. dist. 2. q. 1. D. August. epist. 108.

b) Luc. 24. 49. Act. 1. 8.

c) Joan. 6. 55.

d) Joan. 20. 22. 23.

e) Jac. 5. 14. 15.

f) Act. 13. 2. 3. 1. Tim. 4. 14. 2. Tim. 1. 6.

g) Eph. 5. 31. 32.

legitima, & ſancta conjunctione, filii ad Dei cultum, & humani generis conſervationem procreantur, & religioſe educentur.

22. Æqualis non eſt omnium Sacramentorum vel neceſſitas, vel dignitas.

Illud vero maxime animadvertendum eſt, quamvis omnia Sacramenta divinam, & admirabilem virtutem in ſe contineant, tamen non parem omnia, & æqualem neceſſitatem, aut dignitatem, aut unam, eandemque ſignificandi vim habere. Atque ex iis triā ſunt, quæ tametſi non eadem ratione, tamen præ cæteris neceſſaria dicuntur. Baptiſmum enim unicuique ſine ulla adjunctione neceſſarium eſſe, Salvator his verbis declaravit, (a) *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Pœnitentia (b) vero illis tantummodo neceſſaria eſt, qui ſe poſt Baptiſmum aliquo mortali peccato obſtrinxerunt: neque enim æternum exitium effugere poterunt, niſi eos admiſſi peccati rite pœnituerit. Ordo præterea, etſi non ſingulis fidelibus, toti tamen Eccleſiæ omnino neceſſarius eſt. Verum ſi dignitas in ſacramentis ſpectetur, Euchariſtia ſanctitate, & myſteriorum numero, ac magnitudine longe cæteris antecellit. Quæ omnia facilius intelligentur, cum ſuo loco ea, quæ ad ſingula Sacramenta pertinent, explicabuntur.

De præſtantia, & differentia Sacramentorum.
Tria ſunt Sacramenta præ cæteris neceſſaria.
D. Thom. in 3. p. q. 65. art. 4.
Conc. Trid. de Sacramentis in genere, ſeſſ. 7. can. 3. & 4.
Baptiſmi neceſſitas.
a) *Joan. 3. 5.*
Pœnitentiæ neceſſitas.
b) *Apoc. 2. 5. Luc. 13. 3.*
Ordinis neceſſitas.
Prov. 11. 14.
Euchariſtiæ dignitas.
Dion. in liv. de Eccl. Hier. c. 3.
D. Thom. in 3. p. q. 65. art. 3.

23. A quo hæc ſacra, & divina myſteria ſint accepta, principaliterque diſpenſentur.

Deinceps videndum eſt, a quo hæc ſacra, & divina myſteria acceperimus: neque enim dubitandum eſt, quin præclari alicujus muneris dignitas, ejus, a quo donum ipſum profectum

Cauſa efficiens ſeu auctor Sacramentorum, Deus eſt, per Chriſtum.

Amb. lib. 4. de Sac. c. 4. Th. in 3. p. q. 64. Trid. ſeſſ. 6. de Sacramentis in genere, can. 1.

eſt, dignitate, & præſtantia quam maxime augeatur. Sed ea quæſtio difficilem explicationem habere non poteſt. Nam cum Deus ſit, qui homines juſtos efficiat; ipſa vero Sacramenta juſtitiæ adipiſcendæ mirifica quædam inſtrumenta ſint: patet, unum, eundemque Deum in Chriſto Juſtificationis, & Sacramentorum auctorem agnoſcendum eſſe. Præterea Sacramenta eam vim, & efficientiam continent, quæ ad intimam animam penetrat. Cum vero unius Dei potentiæ proprium ſit in corda, & mentes hominum illabi, ex hoc etiam perſpicitur, Sacramenta a Deo ipſo per Chriſtum inſtituta eſſe: quemadmodum ab eo quoque intus diſpenſari, certa, & conſtanti fide tenendum eſt; hoc enim teſtimonium de illo ſe accepiſſe ſanctus Joannes affirmat, cum ait: (a) *Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.*

Proprium eſt Dei illabi in animam hominis, in lib. de Eccl. dogm. & Caſſian. collat. 7. c. 13.

a) *Joan. 1. 33.*

24. Quibus miniſtris utatur Deus in Sacramentis diſpenſandis.

Diſpenſat Deus Sacramenta per homines.

b) *1. Cor. 4. 1. Hebr. 5. 1. D. Th. in 3. p. q. 64. art. 4. Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 10.*

Sed quamvis Deus Sacramentorum auctor, & diſpenſator ſit, (b) ea tamen non per Angelos, verum per homines miniſtrari in Eccleſia voluit. Non minus enim miniſtrorum officio, quam materia, & forma ad Sacramenta conficienda opus eſſe, perpetua ſanctorum Patrum traditione confirmatum eſt.

25. Miniſter ſua pravitate gratiæ ſacramentalis virtutem impedire non poteſt.

Miniſtrorum quæ ſit ratio. ſeſſ. 7. Conc. Trid. de Sacramentis in

Atque hi quidem miniſtri, quoniam in ſacra illa functione non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerunt, ea re fit, ut ſive boni, ſive mali ſint, mo-

modo ea forma, & materia utantur, quam ex Christi instituto semper Ecclesia Catholica servavit, idque facere proponant, quod Ecclesia in ea administratione facit, vere Sacramenta conficiant & conferant: ita ut gratiæ fructum nulla res impedire possit, nisi qui ea suscipiunt, seipsos tanto bono fraudare, & Spiritui Sancto velint obsistere. Hanc vero in Ecclesia certam, & exploratam sententiam semper fuisse, S. Augustinus in iis disputationibus, quas adversus Donatistas conscripsit, clarissime demonstravit. Quod si etiam Scripturæ testimonia quærimus, ipsum Apostolum his verbis loquentem audiamus: (a) *Ego*, inquit, *plantavi; Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit, itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Ex quo loco satis intelligitur, quemadmodum arboribus nihil obest eorum improbitas, quorum manu satæ sunt, ita nihil vitii aliena culpa contrahi illis posse, qui malorum hominum ministerio Christo insiti sunt. Quare, ut ex D. (b) Joannis Evangelio sancti Patres nostri docuerunt, Judas Iscariotes plures baptizavit, ex quibus tamen neminem iterum baptizatum fuisse legimus: ita ut præclare D. Augustinus scriptum reliquerit: *Dedit Baptismum Judas, & non baptizatum est post Judam: dedit* (c) *Joannes, & baptizatum est post Joannem; quia quod datum est a Juda, Baptisma Christi erat; quod autem a Joanne datum est, Joannis erat: non Judam Joanni, sed Baptismum Christi, etiam per Judæ manus datum, Baptismo Joannis etiam per manus Joannis dato recte præponimus.*

genere can. 11. & 12. vide Greg. Naz. orat. in S. Bap. Ambr. de his qui myst. init. c. 5. Chrys. Ho. 8. in 1. Cor. August. cont. Cresten. lib. 4. cap. 20. & 4. contra Don. c. 4. lib. 2. cont. lit. Petil. cap. 47.

a) 1. Cor. 3. 6. 7.

b) *Joan.* 4. 2.

D. Aug. tract. 5. in Joan.

c) *Act.* 19. 4.

26. Quid de illis sentiendum sit, qui impura conscientia Sacramenta administrant.

Sacramenta novæ legis impura conscientia ministrare quam perniciosum ipsis sit ministris, D. Thom. in 3. p. q. 64. art. 4. ex Dionys. lib. de Eccl. Hier. c. 1. & ex epist. ad Demoph. Consent. Aug. lib. 2. cont. Epist. Parm. c. 10. & tract. 5. in Joan. & lib. 3. cont. Cresc. c. 6.

a) *Reg. 6. 7. & 1. Paral. 13. v. 9. 10*

b) *Isa. 22. 11.*

c) *Ps. 49. 16. 17. Sess. 7. Conc. Trid. de Sacram. in genere can. 6. S. Dionys. de Eccles. Hier. c. 1.*

Neque vero pastores, aliive Sacramentorum ministri, cum hæc audiunt, satis sibi esse arbitrentur, si posthabita morum integritate, ac conscientiæ munditia, illud tantum cogitent, quomodo Sacramenta ab illis rite ministrentur: id enim etsi diligenter curandum est, in hoc tamen omnia, quæ ad eam functionem pertinent, posita non sunt. Meminisse autem semper debent, sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis inest, nunquam amittere; (a) at vero impure ea ministrantibus æternam perniciem, & mortem afferre: (b) *Sancta enim*, quod semel, atque iterum ac sæpius admonere oportet, *sancte, & religiose tractanda sunt.* (c) *Peccatori*, ut est apud Prophetam dixit Deus; *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam.* Quod si homini peccatis contaminato minus licet de rebus divinis agere; quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria polluto ore conficere, vel in fœdas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere, & ministrare vereatur? cum præsertim apud S. Dionysium scriptum sit, *malis symbola* (ita enim Sacramenta appellat) *ne contingere quidem permissum esse.* Sanctitatem igitur sacrarum rerum ministri in primis sectentur, pure ad Sacramenta ministranda accedant, atque ita se ad pietatem exerceant, ut ex eorum frequenti tractatione, & usu uberiorem in dies gratiam, adjuvante Deo, consequantur.

27. De

27. De duobus præcipuis Sacramentorum effectibus.

Sed jam, his rebus explicatis, docendum erit, quinam Sacramentorum effectus sit: id enim Sacramenti definitioni, quæ supra tradita est, non parum lucis allaturum videtur. Hi autem duæ præcipue numerantur. Ac principem quidem locum merito gratia illa obtinet, quam usitato a sacris doctoribus nomine, justificantem vocamus: ita enim Apostolus apertissime nos docuit, cum inquit, *Christum* (a) *dilexisse Ecclesiam, & seipsum tradidisse pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Quo autem pacto tanta res, & tam admirabilis per Sacramentum efficiatur, ut quemadmodum S. Augustini sententia celebratum est, *Aqua corpus abluat, & cor tangat*, id quidem humana ratione, atque intelligentia comprehendi non potest. Constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem, suapte natura, ea vi præditam esse, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem in Sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua vi res ipsæ naturales præstare non possunt.

De Sacramentorum primo effectu, qui est gratia justificans. Sess. 7. Conc. Trid. de Sacramentis in genere. can. 6. 7. & 8. D. Thom. in 3. p. q. 62. art. 1. 2. 5.

(a) *Eph. 5. 25. 26.*

Aug. tract. 80. in Joan.

Scot. 4. d. 1. q. 5.

28. Quomodo effectus Sacramenti initio nascentis Ecclesiæ sint mirabiliter designati.

Quocirca, ne ulla unquam hujus effectus dubitatio in animas fidelium resideret, cum ministrari Sacramenta cœptum est, voluit clementissimus Deus, quid illa interius efficerent, miraculorum significationibus declarare: ut eadem perpetuo interius fieri constantissime crederemus, quamvis longe a nostris sensibus remota essent. Itaque ut omittamus, Salva-

Sacramentorum vis miraculis declarata initio nascentis Ecclesiæ. August. lib. q. veter. & novi testam. q. 93.

a) *Matt.* 3. 16. *Marc.* 1. 10. *Luc.* 3. 21. 22.

tore noſtro in Jordane baptizato (a) cœlos apertos eſſe, & Spiritum Sanctum columbæ ſpecie apparuiſſe, ut admoneremur, ejus gratiam, cum ſalutari fonte abluimur, in animam noſtram infundi; ut hoc, inquam, omittamus (magis enim ad Baptiſmi * ſignificationem, quam Sacramenti adminiſtrationem pertinet) nonne legimus, cum Pentecoſtes die Apoſtoli Spiritum Sanctum acceperunt, quo deinde ad prædicandam fidei veritatem adeundaque pro Chriſti gloria pericula alacriores, & fortiores fuerunt, tunc facto repente de cœlo ſonitu, tanquam advenientis Spiritus vehementis, apparuiſſe illis diſpertitas linguas, quaſi ignis? ex quo intellectum eſt, Sacramento Confirmationis eundem nobis Spiritum tribui, easque vires addi, quibus poſſimus Carni, Mundo, & Satanæ, perpetuis ſcilicet hoſtibus noſtris, fortiter repugnare, & reſiſtere. Atque (b) hæc miracula, quoties, Apoſtolis Sacramenta iſta miniſtrarent, initio naſcentis Eccleſiæ aliquamdiu viſa ſunt, donec firmata jam fide, & corroborata, fieri deſierunt.

* *alii legunt, ſanctificationem.*

Act. 2. 3. 4.

b) *Act.* 8. 17. & 19. 6.

29. Quanta ſit Sacramentorum novæ legis ſupra veteris legis Sacramenta excellentia.

Præſtantiora eſſe legis novæ Sacramenta veteribus docet Aug. l. 19. cont Fauſt. c. 13. & in Pſal. 83. Ambr. l. de Sacr. cap. 4.

Ex iis igitur, quæ de priori Sacramentorum effectu, gratia ſcilicet juſtificante, demonſtrata ſunt, illud etiam plane conſtat, excellentiorem, & præſtantiorem vim Sacramentis novæ legis ineſſe, quam olim veteris legis Sacramenta habuerunt: quæ cum (c) infirma eſſent, egenaque elementa, (d) inquinatos ſanctificabant ad emundationem carnis,

c) *Gal.* 4. 9.

d) *Hebr.* 9. 13 *Sacramenta novæ legis ex Chri-*

non

non animæ: quare, ut signa tantum earum rerum, quæ mysteriis nostris efficienda essent, instituta sunt. At vero Sacramenta novæ legis ex Christi latere manantia, (a) qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundant conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi; atque ita eam gratiam, quam significant, Christi sanguinis virtute operantur. Quocirca si ea cum antiquis Sacramentis conferamus, præterquam quod plus efficaciæ habent, & utilitate uberiora, & sanctitate augustiora esse invenientur.

sti latere manant. Aug. lib. 2. de Symb. cap. 6. in Joan. tract. 15. & lib. 15. Civit. cap. 26.

a) *Hebr. 9. 24.*

30. Quæ Sacramenta Characterem imprimant, & quid sit Character.

Alter vero Sacramentorum effectus non quidem omnibus communis, sed trium tantummodo proprius, Baptismi, Confirmationis, & Ordinis sacri, est Character, quem animæ imprimunt. Nam cum Apostolus ait, (b) *Unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, voce illa, *Signavit*, non obscure Characterem descripsit, cujus proprium est aliquid signare, & notare. *Est autem Character veluti insigne quoddam animæ impressum, quod deleri nunquam potest, eique perpetuo inhæret*: de quo ita apud sanctum Augustinum scriptum est: *An minus forte Sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota, qua scilicet miles insignitur, poterunt? Illa namque militi ad militiam: quam deseruisset, revertenti, non nova imprimitur, sed antiqua cognoscitur, & approbatur.*

Secundus Sacramentorum effectus est characteris sacri in animam impressio. Sess. 7. Concil. Trid. de Sacram. in gen. can. 9.

b) *2. Cor. 1. 22. Scot. 4. Rep. ort. Dist. 6. q. 7. D. Aug. lib. 2. contra Epist. Parm. cap. 13. Et Epist. 50. circa medium. Et Tract. 6. in Joan. & lib. 1. contra Cresc. c. 30. vide item D. Thom. in 3. p. q. 63.*

31. Quis sit Characteris effectus, & quomodo Sacramenta Characterem imprimentia iterari non debeant.

Characteris usus duplex. D. Thom. in 3. p. q. 63. Art. 2. Character baptismi quid efficiat. Character Confirmationis quid præstet. Character Sacramenti Ordinis quid signet.

Jam vero Character hoc præstat, tum ut apti ad aliquid sacri suscipiendum, vel peragendum efficiamur, tum ut aliqua nota alter ab altero internoscatur. Ac Baptismi quidem charactere utrumque consequimur, ut ad alia Sacramenta percipienda reddamur idonei, & eo præterea fidelis populus a gentibus, quæ fidem non colunt, distinguatur. Idem autem in charactere Confirmationis, & sacri Ordinis licet agnoscere: quorum altero veluti Christi milites ad ejus nominis publicam confessionem, & propugnationem, ac contra insitum nobis hostem, (a) & spiritualia nequitiæ in cœlestibus armamur, atque instruimur, simulque ab iis, qui nuper baptizati, (b) tanquam modo geniti infantes sunt, discernimur: alter vero tum potestatem Sacramenta conficiendi, & ministrandi conjunctam habet; tum eorum, qui hujusmodi potestate præditi sunt, a reliquo fidelium cœtu distinctionem ostendit. Tenenda igitur est Catholicæ Ecclesiæ regula, qua docemur, tria hæc Sacramenta Characterem imprimere, neque ullo unquam tempore iteranda esse, Hæc sunt, quæ generatim de Sacramentis tradenda erunt.

a) *Ephes. 6. 6. 12.*

b) *1. Pet. 2. 2.*

Tria tantum Sacramenta Characterem imprimunt, quæ nec unquam iterantur. Conc. Florent. in Decret. Eucharist. & Trid. can. 9. Sess. 7.

32. Quibus rationibus assequentur Pastores, ut populus Sacramenta veneretur, & his religiose utatur.

In Sacramentorum doctrina duo præcipue observanda.

In cujus argumenti explicatione Pastores duo potissimum efficere omni studio conentur. Primum est, ut fideles intelligant, quanto honore, & cultu, & veneratione hæc divina, & cœlestia munera digna sint: Alterum vero,

ro, ut quoniam a clementiſſimo Deo ad communem omnium ſalutem propoſita ſunt, iis pie, & religioſe utantur; atque ita Chriſtianæ perfectionis deſiderio exardeſcant, ut ſi Pœnitentiæ præſertim, & Euchariſtiæ ſaluberrimo uſu aliquandiu careant, plurimum damni ſe feciſſe exiſtiment. Hæc autem facile Paſtores aſſequi poterunt, ſi quæ de Sacramentorum divinitate, & fructu ſupra dicta ſunt, auribus fidelium ſæpius inculcabunt: primum a Domino Salvatore noſtro, a quo nihil niſi perfectiſſimum proficiſci poteſt, inſtituta eſſe: præterea cum miniſtrantur, Spiritus Sancti intima cordis noſtri permeantis efficaciſſimum numen præſto eſſe: deinde admirabili, & certa curandarum animarum virtute prædita eſſe: tum per ea immenſas illas Dominicæ paſſionis divitias ad nos derivari. Poſtremo vero oſtendant, totum Chriſtianum ædificium (a) firmiſſimo quidem lapidis angularis fundamento inniti; verum niſi verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum uſu undique fulciatur, magnopere verendum eſſe, ne magna ex parte labefactatum concidat. Ut enim per Sacramenta in vitam ſuſcipimur, ita hoc veluti pabulo alimur, conſervamur, & augemur.

Euchariſtia, & Pœnitentiæ uſus frequenter populo inculcandus.

a) *Iſa.* 28. 16. *Rom.* 9. 33. 1. *Petr.* 2. 7. *Sacramentis, & verbi Dei doctrina Eccleſiam maxime fulciri.*

DE

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

CAPUT II.

1. Cur expediat, doctrinam Baptiſmi frequenter populis fidelibus inculcari.

Doctrina Sacramentorum quam ſit utilis & neceſſaria.

Ex iis quidem, quæ hactenus de Sacramentis nniverſe tradita ſunt, cognoſci poteſt, quam neceſſarium ſit ad Chriſtianæ Religionis vel doctrinam percipiendam, vel pietatem exercendam ea intelligere, quæ de illorum ſingulis credenda Eccleſia Catholica proponit : ſed ſi quis diligentius (a) Apoſtolum legerit, ſine dubitatione ita ſtatuet, perfectam Baptiſmi cognitionem a fidelibus magnopere requiri : adeo non ſolum frequenter, ſed gravibus verbis, & Spiritu Dei plenis ejus myſterii memoriam renovat, divinitatem commendat, atque in eo Redemptoris noſtri mortem, ſepulturam, & reſurrectionem nobis ante oculos, tum ad contemplandum, tum ad imitandum conſtituit. Quare Paſtores nunquam ſe ſatis multam operam, & ſtudium in hujus Sacramenti tractatione collocaſſe arbitrentur.

a) *Rom. 6. 3. 4. 5. 1. Cor. 6. 11. & 12. 13. Gal. 3. 27. Epheſ. 5. 26.*

Baptiſmi vis quam ſerio animis fit expendenda.

2. Quando potiſſimum Parocho ſermo de Baptiſmo ſit inſtituendus.

Solemnis Baptiſmus Sabbato Paſchæ, & Pentecoſtes agi ſolitus.

Verum præter eos dies, in quibus more majorum, divina Baptiſmi myſteria potiſſimum explananda eſſent, in Sabbato magno Paſchæ, & Pentecoſtes, quo tempore Eccleſia ſumma cum religione, maximiſque cæremoniis hoc Sacra-

cramentum celebrare consueverat, aliis etiam diebus occasionem captent de hoc argumento differendi. Atque illud in primis tempus maxime opportunum ad eam rem videri poterit, si interdum, cum Baptismus alicui ministrandus sit, fidelis populi multitudinem convenisse animadverterint. Tunc enim facilius multo erit, si minus liceat omnia capita, quæ ad hoc Sacramentum attinent, persequi, unum saltem, aut alterum docere, cum fideles earum rerum doctrinam, quam auribus percipiunt, simul etiam sacris Baptismi cæremoniis expressam vident, pioque, & attento animo contemplantur. Ex quo deinde fiet, ut unusquisque iis rebus admonitus, quas in alio geri videat, secum recordetur, qua se sponsione Deo obligarit, cum Baptismo initiatus est; simulque illud cogitet, an vita, & moribus talem se præbeat, qualem ipsa Christiani nominis professio pollicetur. Ut igitur quæ docenda erunt, dilucide exponantur, quænam sit Baptismi natura, & substantia, aperiendum est: si prius tamen ipsius vocis significatio explicetur.

Tertul. lib. de Bapt. cap. 19. Basil. de exhort. ad Bapt. Ambr. in lib. de Myster. Pas. & Ser. 62.

3. Quid Baptismi nomen proprie denotet.

Ac Baptismum quidem Græcum esse nomen nemo ignorat: quod etsi in sacris literis non solum eam ablutionem, quæ cum Sacramento conjuncta est, (a) sed etiam omne ablutionis genus, (b) quod aliquando ad passionem translatum est, significat: tamen apud Ecclesiæ scriptores non quamvis corporis ablutionem declarat, sed eam, quæ cum Sacramento conjungitur, nec sine præscripta verborum forma ministratur; qua quidem significatione (c) Apostoli

Otto Baptismi genera vide apud Dam. lib. 4. de fid. orth. cap. 10. Greg. Naz. Orat. 49.

a) *Isa. 24. 23. Marc. 7. 4.*

b) *Marc. 10. 38. Luc. 12. 50.*

c) *Rom. 6. 3. 4.*

1. Cor. 1. Ephes. 4. 15. Gal. 2. 12. 1. Petr. 3. 21.

ſtoli ex Chriſti Domini inſtituto frequentiſſime uſi ſunt.

4. Quibus præterea nominibus ablutionem Sacramentalem Patres expreſſerint.

De variis baptiſmi nominibus Vide Greg. Naz. in Orat. 39. in ſancta lumina. Clem. Alex. lib. 1. Pædag. cap. 6. Dionyſius Areop. cap. 3. de Eccl. Hierarc. illuminationem vocavit.

Alia quoque nomina ad eandem rem ſignificandam ſancti Patres uſurparunt. Sacramentum enim fidei appellari, quod illud ſuſcipientes univerſam Chriſtianæ religionis fidem profiteantur, D. Auguſtinus teſtatur. Alii vero, quia fide corda noſtra illuminantur, quam in Baptiſmo profitemur, hoc Sacramentum illuminationem vocarunt: nam & Apoſtolus ita

a) Heb. 10. 32. & cap. 6. 4. Expurgatio, Sepultura. Crux Chriſti, Plantatio.

inquit: (a) *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum*, tempus nimirum, quo baptizati erant, ſignificans. Chryſoſtomus præterea in oratione, quam ad Baptizandos habuit, tum expurgationem,

b) 1. Cor. 5. 7.

quia per baptiſmum (b) expurgamus vetus fermentum, ut ſimus nova conſperſio, tum ſepulturam, (c) tum plantationem, tum crucem Chriſti nominat: quarum omnium appellationum cauſam ex Epiſtola ad Romanos ſcripta licet colligere. Cur autem D. Dionyſius principium ſanctiſſimorum mandatorum vocaverit, perſpicuum eſt: cum hoc Sacramentum veluti janua ſit, qua in Chriſtianæ vitæ ſocietatem ingredimur, atque ab eo divinis præceptis obtemperandi initium facimus. Atque hæc de nomine breviter exponenda erunt.

c) Rom. 6. 4. S. Dionyſ. de Eccl. Hierar. cap. 12.

5. Quæ ſit Baptiſmi definitio.

Definitionem Baptiſmi vide apud Alex. de Ales in 4. p. q. 11. per totam, & D. Th. in 3. p. qu. 66. art. 1.

Quod autem ad rei definitionem attinet, etſi multæ ex ſacris ſcriptoribus afferri poſſunt, illa tamen aptior, & commodior eſſe videtur, quam ex verbis Domini apud Joannem, & Apoſto-

ſtoli ad Epheſios licet intelligere. Nam cum Salvator dicat, (a) *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*; & Apoſtolus cum de Eccleſia loqueretur, (b) *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*: ita fit, ut recte, & appoſite definiatur, Baptiſmum eſſe Sacramentum regenerationis per aquam in verbo. (c) Natura enim ex Adam filii iræ naſcimur: per Baptiſmum vero in Chriſto filii miſericordiæ renaſcimur: ſiquidem (d) *dedit hominibus poteſtatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*

a) *Joan.* 3. 5.

b) *Eph.* 5. 26.

c) *Eph.* 2. 3.

d) *Joan.* 1. 12, 13.

6. Qua ratione Baptiſmi Sacramentum perficiatur.

Sed quibuſcunque tandem verbis Baptiſmi naturam explicari contigerit, docendus erit populi, hoc Sacramentum confici ablutione; cui ex Domini Salvatoris inſtituto certa, & ſolemnia verba neceſſario adhibentur, quemadmodum ſemper ſancti Patres docuerunt: quod apertiſſimo illo D. Auguſtini teſtimonio demonſtratur: *Accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Id vero eo diligentius monere oportebit, ne forte fideles in eum errorem inducantur, ut exiſtiment, quod vulgo dici ſolitum eſt, aquam ipſam, quæ ad conficiendum Baptiſmum in ſacro fonte aſſervatur, Sacramentum eſſe. Tunc enim Sacramentum Baptiſmi dicendum eſt, cum aqua ad abluendum aliquem, additis verbis, quæ a Domino inſtituta ſunt, reipſa utimur. Jam vero quoniam ſingula Sacramenta ex materia & forma conſtitui initio diximus, cum generatim de omni-

Baptiſmus ablutione, & forma verborum perficitur.

Chryſoſt. Hom. 24. in Joan. Aug. lib. 6. cont. Dmat. cap. 25. Conc. Florent. & Trid. D. Aug. tract. 180. in Joan.

Aqua non poteſt dici Sacramentum, ſed ablutio.

omnibus Sacramentis ageretur, idcirco quæ utraque sit in Baptismo, a Pastoribus declarandum erit.

7. Quæ sit propria Baptismi materia.

De materia Baptismi Sess. 7. Conc. Trid. de Baptismo can. 2. Conc. Florent.

Materia igitur, sive elementum hujus Sacramenti, est omne naturalis aquæ genus, sive ex maris sit, sive fluvii, sive paludis, sive putei, aut fontis, quæ sine ulla adjunctione aqua dici solet. Nam & Salvator docuit: (a) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei:* & Apostolus inquit, (b) *Ecclesiam lavacro aquæ mundatam esse:* & in B. Joannis Epistola scriptum legimus: (c) *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* Quod etiam (d) aliis sacrarum literarum testimoniis comprobatur.

a) *Joan. 3. 5.*

b) *Eph. 5. 26.*

c) *1. Joan. 5. 8*

d) *Act. 8. 10. 47. Hebr. 18. 2. & 1. Petr. 3. 20.*

8. Locus D. Matthæi de Baptismo ignis exponitur.

Quod vero a Joanne Baptista dictum est, venturum esse Dominum, (e) qui baptizaret in Spiritu Sancto, & igne, id quidem nullo modo de Baptismi materia intelligendum est, sed vel ad intimum Spiritus Sancti effectum, vel certe ad miraculum referri debet, (f) quod die Pentecostes apparuit, cum Spiritus Sanctus e Cœlo in Apostolos ignis specie delapsus est: de quo alio loco Christus Dominus noster prædixit: (g) *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.*

e) *Matth. 3. 11. Sic exponit Hier. in Matth.*

f) *Act. 2. 5. Sess. 7. Conc. Trid. de Baptismo can. 1.*

g) *Act. 1. 5.*

9. Quibus figuris, & Prophetiis vis aquarum Baptismi demonstrata.

Ambr. lib. 1. de Sacram. cap. 5. & 6. & lib. 2. per totum.

Verum idem quoque a Domino tum figuris, tum Prophetarum oraculis significatum esse, ex divinis Scripturis animadvertimus. Diluvium

vium enim, (a) quo mundus purgatus est, quod (b) multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, hujus aquæ figuram, & similitudinem gessisse, Apostolorum Princeps (c) in priori Epistola ostendit. (d) Et maris rubri transitum ejusdem aquæ significationem habuisse, (e) D. Paulus ad Corinthios scribens exposuit. Ut interim omittamus (f) tum Naaman Syri ablutionem, (g) tum probaticæ piscinæ admirabilem vim, & alia id genus multa, in quibus hujus mysterii symbolum inesse facile apparet.

a) *Gen.* 6. 5. *Diluvium olim Baptismum repræsentavit.*
b) *Gen.* 6. 5.
c) 1. *Pet.* 3. 21. *Mare rubrum.*
d) *Exod.* 14. 21.
e) 1. *Cor.* 10. *Naaman ablutio.*
f) 4. *Reg.* 5. 14.
g) *Joan.* 5. 1. *Probatica piscina.*

De prædictionibus autem dubitare nemo potest, quin aquæ illæ, ad quas tam liberaliter (h) Isaias Propheta omnes sitientes invitat, (i) vel quas e templo egredientes Ezechiel in spiritu vidit, (k) præterea fons ille, quem domui David, habitantibus Hierusalem paratum in ablutionem peccatoris, & menstruatæ Zacharias prænunciavit, ad salutarem Baptismi aquam indicandam, atque exprimendam pertineant.

Vim aquarum Baptismi prævidit Isaias.
h) *Isa.* 55. 21.
i) *Ezech.* 47. 1.
k) *Zach.* 13. 1.

10. Cur aqua ad Baptismum conficiendum nos potius uti voluerit Deus, quam alia materia.

Quantum vero Baptismi naturæ, & virtuti consentaneum fuerit, ut ejus propria materia aqua institueretur, pluribus quidem rationibus D. Hieronymus ad Oceanum scribens demonstravit. Sed quod ad hunc locum attinet, Pastores docere in primis poterunt, quoniam hoc Sacramentum omnibus sine ulla exceptione ad consequendam vitam necessarium erat, idcirco aquæ materiam, quæ nusquam non præsto est,

Aquæ usus in Baptismo quam sit naturæ consentaneus, & conveniens.
S. Hieron. epist. 83. tom. 2. vide D. Th. in 3. p. q. 66. art. 3. Prima ratio.

atque ab omnibus facile parari poteſt, maxime idoneam fuiſſe. Deinde aqua effectum Baptiſmi maxime ſignificat: ut enim aqua ſordes abluit, ita etiam Baptiſmi vim, atque efficientiam, quo peccatorum maculæ eluuntur, optime demonſtrat. Accedit illud, quod quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptiſſima eſt, ſic Baptiſmo cupiditatum ardor magna ex parte reſtinguitur.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

11. Aquæ ſimplici, & naturali quare Chriſma adjiciatur.

Illud vero animadvertendum eſt, quamvis aqua ſimplex, quæ nihil aliud admixtum habet, materia apta ſit ad hoc Sacramentum conficiendum, quoties ſcilicet Baptiſmi miniſtrandi neceſſitas incidat, tamen ex Apoſtolorum traditione, ſemper in Catholica Eccleſia obſervatum eſſe, ut cum ſolemnibus cæremoniis Baptiſmus conficitur, ſacrum etiam Chriſma addatur, quo Baptiſmi effectum magis declarari perſpicuum eſt. Docendus quoque erit populus, etſi aliquando incertum eſſe poteſt, utrum hæc, an illa vera aqua ſit, qualem Sacramenti perfectio requirat, hoc tamen pro certo habendum eſſe, nunquam ex alia materia, quam ex aquæ naturalis liquore, Baptiſmi Sacramentum ulla ratione confici poſſe.

Aquæ ſimplici. & naturali cur Chriſma adjiciatur, vide Ambr. l. 1. de Sacr. cap. 2. & lib. 3. cap. 1. & Innoc. lib. 1. decr. tit. 15. cap. cum veniſſet.

Dam. lib. 3. cap. 10. in fin.

12. Quare promiſcue omnibus fidelibus perfecta Baptiſmi forma clarè exponenda ſit.

Sed duarum partium, ex quibus Baptiſmus conſtare debet, poſtquam altera, hoc eſt materia, diligenter explicata fuerit, ſtudebunt Paſtores eadem diligentia formam etiam tradere, quæ eſt altera ejus pars maxime neceſſaria. In

Quam ſæpe & quanta cura Baptiſmi natura ſit inculcanda.

Hujus autem Sacramenti explicatione eo majori cura, & ſtudio elaborandum putabunt, quod tam ſancti myſterii notitia non ſolum ſua ſponte fideles vehementer delectare poteſt, quod quidem in omni divinarum rerum ſcientia communiter evenit, verum etiam ad uſus fere quotidianos ſummopere expetenda eſt. Cum enim ſæpe incidant tempora, quemadmodum ſuo loco planius dicetur, in quibus tum ab aliis de populo, tum ſæpiſſime a mulierculis Baptiſmum miniſtrari oporteat, ita fit, ut promiſcue omnibus fidelibus ea, quæ ad hujus Sacramenti ſubſtantiam pertinent, cognita, & perſpecta eſſe debeant.

13. Quæ ſit perfecta, & abſoluta hujus Sacramenti forma.

Quare dilucidis, & apertis verbis, quæ facile percipi ab omnibus poſſint, Paſtores docebunt, hanc eſſe perfectam, & abſolutam Baptiſmi formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Ita enim a Domino, & Salvatore noſtro traditum eſt, cum Apoſtolis apud Matthæum præcepit, (a) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ex illo autem verbo, *Baptizantes*, Catholica Eccleſia divinitus edocta optime intellexit, in hujus Sacramenti forma actionem miniſtri exprimendam eſſe: quod quidem fit, cum dicitur, *Ego te baptizo.* Ac quoniam, præter miniſtros, tum illius perſonam, qui baptizatur, tum principalem cauſam, quæ Baptiſmum efficit, ſignificare oportebat, idcirco illud pronomen, *Te*, & diſtincta divinarum perſonarum nomina ad-

Aug. l. 6. cont. Donat. c. 25. Gregor. Naz. or. 40.

Baptiſmi forma.

a) *Matth. 28. 19 20. Iſa. 18. Actio miniſtri in Baptiſmo ex Chriſti verbo eſſe neceſſaria colligitur.*

Perſona qua baptizatur.

Principalis cauſa ſanctificationis eſt S. Trinitas.

duntur, ut absoluta Sacramenti forma iis verbis concludatur, quæ modo expositæ sunt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Neque enim sola Filii persona, de quo a) Joan. 1. 33. a Joanne scribitur, (a) *Hic est qui baptizat*, sed simul omnes Sanctæ Trinitatis personæ ad Baptismi Sacramentum operantur. Quod autem *in Nomine* non *in Nominibus*, dictum est, hoc plane declarat unam Trinitatis naturam, & divinitatem. Etenim hoc loco *Nomen* ad personas non refertur, sed divinam substantiam, virtutem, & potestatem, quæ una, & eadem est in tribus personis, significat.

Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 24. & lib. 2. de Sacramentis cap. 7.

In forma baptismi quid Nomen significet.

14. An in forma Baptismi verba omnia perinde sint necessaria.

Ignorantia linguæ latinæ, mutans baptismi verba, verum confert baptismum.

Summa Conciliorum fol. 220. Bernardus epist. 340.

Sed in hac forma, quam integram, & perfectam esse ostendimus, observandum est, quædam prorsus necessaria esse, quæ si omittantur, Sacramentum confici non potest: quædam vero non ita necessaria, ut si desint, Sacramenti ratio non constet: cujusmodi est vox illa, *Ego:* cujus vis in verbo *Baptizo* continetur. Imo vero in Ecclesiis Græcorum variata dicendi ratione prætermitti consuevit: propterea quod nullam fieri oportere ministri mentionem judicarunt. Ex quo factum est, ut in Baptismo hac forma passim utantur, *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* a quibus tamen perfecte Sacramentum ministrari, ex Concilii Florentini sententia, & definitione apparet: cum iis verbis satis explicetur id, quod ad Baptismi veritatem attinet, nimirum ablutio, quæ tunc reipsa peragitur.

Græcorum baptizandi ratio. Alexand. de Ales 4. p. q. 12. memb. 3. art. 2. Conc. Flor. in doctrina de Sacrament.

15. Quo-

15. Quomodo Apostoli in nomine Christi baptizaverint.

Quod si etiam aliquando tempus fuisse dicendum est, cum Apostoli (a) *in nomine* tantum Domini *Jesu Christi* baptizarent, id quidem Spiritus Sancti afflatu eos feciſſe exploratum nobis esse debet, ut initio nascentis Ecclesiæ, *Jesu Christi* nomine prædicatio illustrior fieret, divinaque, & immensa ejus potestas magis celebraretur. Deinde vero rem penitus introspicientes, facile intelligemus, nullam earum partium in ea forma desiderari, quæ ab ipso Salvatore præscriptæ sunt. Qui enim Jesum Christum dicit, simul etiam Patris personam, a quo unctus est, & Spiritum Sanctum, quo unctus est, significat.

D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 6.

a) *Act. 2. 38. & 8. 16. & 10. 48. & 19. 5. Baptizabant Apostoli in nomine Christi, hoc est, in forma tradita a Christo. Matth. 28. Damas. lib. 4. cap. 10.*

16. Apostolos in nomine Christi, tacitis aliis duabus personis Trinitatis, nunquam baptizasse credendum est.

Quanquam dubium fortasse alicui videri potest, an hujusmodi forma Apostoli aliquem baptizaverint, si Ambrosii, & Basilii sanctissimorum, & gravissimorum Patrum auctoritatem sequi volumus, qui ita Baptismum in nomine Jesu Christi interpretati sunt, ut dixerint iis verbis significari Baptismum, non qui a Joanne, sed qui a Christo Domino traditus esset: tametsi a communi, & usitata forma, quæ distincta trium personarum nomine continet, Apostoli non discederent. Atque hoc loquendi genere Paulus etiam in Epistola ad Galatas usus videtur, cum inquit, (b) *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*, ut significaret, in fide Christi, nec alia tamen forma, quam idem Salvator, & Dominus noster

S. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. Cum nomen Jesu adoramus, totam Dei majestatem veneramur. Petrus Chrysologus serm. 144.

b) *Gal. 3. 27. 1. Cor. 12.*

ſter ſervandam præceperat, baptizatos eſſe. Hactenus igitur de materia, & forma, quæ ad Baptiſmi ſubſtantiam maxime pertinent, fideles docere ſatis fuerit.

17. Quo pacto in hoc regenerationis myſterio fieri debeat ablutio.

Ablutio baptiſmi tribus modis fieri poteſt. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 7.

Quoniam vero in hoc Sacramento conficiendo legitimæ etiam ablutionis rationem ſervare oportet, idcirco ejus quoque partis doctrina a Paſtoribus tradenda eſt, atque ab eis breviter explicandum, communi Eccleſiæ more, & conſuetudine receptum eſſe, ut Baptiſmus uno aliquo ex tribus modis confici poſſet. Nam qui hoc Sacramento initiari debent, vel in aquam merguntur, vel aqua in eos infunditur, vel aquæ aſperſione tinguntur. Ex his autem ritibus, quicunque ſervetur, Baptiſmum vere perfici credendum eſt, aqua enim in Baptiſmo adhibetur ad ſignificandam animæ ablutionem, quam efficit; quare Baptiſmus ab (a) Apoſtolum lavacrum appellatus eſt. Ablutio autem non magis fit, cum aliquis aqua mergitur, quod diu a primis temporibus in Eccleſia obſervatum animadvertimus, quam vel aquæ effuſione, quod nunc in frequenti uſu poſitum videmus, vel aſperſione, quemadmodum (b) a Petro factum eſſe colligitur, cum uno die tria millia hominum ad fidei veritatem traduxit, & baptizavit.

a) *Eph.* 5. 26. *Lavacrum regenerationis.* *Trina merſio fuit in uſu Auguſtini tempore.*

b) *Act.* 2. 41.

18. Unicane ablutio requiratur, an trina.

Unane, an trina ablutio fieri debeat, cap. 49. Apoſtolorum.

Utrum vero unica, an trina ablutio fiat, nihil referre exiſtimandum eſt. Utrovis enim modo & antea in Eccleſia Baptiſmum vere confectum eſſe, & nunc confici poſſe, ex Di-

vi

vi Gregorii Magni Epistola ad Leandrum scripta satis apparet. Retinendus est tamen a fidelibus is ritus, quem unusquisque in sua Ecclesia servari animadverterit.

19. Quare caput hic potissimum abluatur.

Atque illud præcipue monere oportet, non quamlibet corporis partem, sed potissimum caput, in quo omnes tum interiores, tum externi sensus vigent, abluendum; simulque ab eo, qui baptizat, non ante, aut post ablutionem, verba Sacramenti, quæ formam continent, sed eodem tempore, quo ablutio ipsa peragitur, pronuncianda esse.

Conc. Tolet. IV. can. 5. Dion. lib. de Eccl. Hier. cap. 4. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 7. ad 3. Verba Sacramenti eodem tempore, quo abluitur caput, pronuncianda sunt. Psal. 28. Dominus super aquas.

20. Christusne Baptismum ante, an post passionem instituerit.

His expositis, conveniet præterea docere atque in memoriam fidelium reducere, Baptismum, quemadmodum & reliqua Sacramenta, a Christo Domino institutum esse. Hoc igitur Pastores frequenter docebunt, explicabuntque duo diversa tempora Baptismi notanda esse: alterum cum Salvator eum instituit: alterum, cum lex de eo suscipiendo sancita est. Ac quod ad primum attinet, cum a Domino hoc Sacramentum institutum esse perspicitur, cum ipse (a) a Joanne baptizatus sanctificandi virtutem aquæ tribuit. Testantur enim sancti Gregorius Nazianzenus, & Augustinus, eo tempore aquæ vim generandi, in spiritualem scilicet vitam, datam esse. Et alio loco ita scriptum reliquit: *Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnia peccata abluit aqua.* Et alibi: *Baptizatur Dominus, non mundari indigens, sed tactu mundæ carnis aquas mundans, ut vim abluendi habeant.* Atque ad eam

Duo tempora institutionis baptismi. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 2. Quando Christus baptismum instituerit.

a) *Matth. 3, 16. D. Greg. Naz. Orat. in natal. Salvatoris circa fin. Ambr. Serm. 18. & 21. super Beati immaculati. Aug. Serm. 29. 36. & 37. de tempore. Aqua vis per Christum est aucta. Tota Trinitas in baptismo Christi præsens suum numen declaravit.*

rem illud maximo argumento esse potuit, quod tunc sanctissima Trinitas, in cujus nomine Baptismus conficitur, numen suum præsens declaravit. (a) Vox enim Patris audita est, Filii persona aderat, & Spiritus Sanctus in columbæ specie descendit; præterea cœli aperti sunt, quo nobis jam per Baptismum licet ascendere. Quod si quis scire cupiat, quanam ratione tanta, & tam divina virtus a Domino aquis tributa sit, id quidem humanam intelligentiam superat: hoc vero satis percipi a nobis potest, Baptismo a Domino suscepto, sanctissimi, & purissimi ejus corporis tactu, aquam ad Baptismi salutarem usum consecratam esse; ita tamen, ut hoc Sacramentum, etsi ante Passionem institutum fuerit, a Passione tamen, quæ omnium Christi actionum tanquam finis erat, vim, & efficientiam duxisse, credendum sit.

a) *Matth.* 3. 16. 17. *Marc.* 1. 10. 11. *Luc.* 3. 21. *Aug. serm.* 36. *de tempore. Baptismus ante Christi passionem fuit quidem usitatus, postea tamen vim suam accepit.*

21. Quando lex Baptismi homines obligare cœperit.

Lex de Baptismo suscipiendo quando lata fuerit.

Sed de altero etiam, quo scilicet tempore lex de Baptismo lata fuerit, nullis dubitandi locus relinquitur. Nam inter sacros scriptores convenit, post Domini resurrectionem, cum Apostolis præcepit, (b) *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ex eo tempore omnes homines, qui salutem æternam consecuturi erant, lege de Baptismo teneri cœpisse. Quod quidem ex Apostolorum Principis auctoritate colligitur, cum inquit: (c) *Regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Idemque ex illo Pauli loco, (d) *Seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret*, (cum de Ecclesia loqueretur) *mundans eam lavacro aquæ in verbo vi-*

b) *Matth.* 28. 19. *Marc.* 16. 15. 16. *Quando baptismus homines obligare cœpit.*

c) 1. *Petr.* 1. 3.

d) *Eph.* 5. 26.

ta,

ta, licet cognoscere. Uterque enim Baptismi obligationem ad tempus, quod mortem Domini consecutum est, videtur retulisse: ut dubitandum nullo modo sit, verba etiam illa Salvatoris, (a) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, id ipsum tempus spectasse, quod post passionem futurum erat.

a) *Joan.* 3. 5.

22. *Sacramentum Baptismi in quanta veneratione habendum.*

Ex iis igitur, si accurate a Pastoribus tractentur, haud dubium esse potest, quin fideles maximam in hoc Sacramento dignitatem agnoscant, ac summa animi pietate venerentur: præsertim vero cum cogitarint præclara illa, & amplissima munera, quæ, cum Christus Dominus baptizaretur, miraculorum significationibus declarata sunt, singulis, cum baptizantur, intima Spiritus Sancti virtute donari, atque impertiri. Ut enim, si quemadmodum (b) Elisæi puero contigit, nobis oculi ita aperirentur, ut cœlestes res intueri possemus, nemo adeo communi sensu carere putandus esset, quem divina Baptismi mysteria in maximam admirationem non traducerent; cur idem etiam eventurum non existimemus, cum a Pastoribus hujus Sacramenti divitiæ ita expositæ fuerint, ut eas fideles, si non corporis oculis, at mentis acie fidei splendore illuminatæ, contemplari queant?

Quanta munera in Baptis. conferantur ex his, quæ in Christi Baptismo evenerunt; docet D. Thom. in 3. p. q. 39. art. 5. & 6.

b) 4. *Reg.* 6. 17.

23. *Quot hominum genera Baptismum administrare possint.*

Jam vero, a quibus ministris hoc Sacramentum conficiatur, non utiliter modo, sed necessario tradendum videtur; tum ut ii, quibus

Non homo, sed Christus est, qui baptizat, Sacerdos vero legatione

tantum pro Christo fungitur. Joan. 1.

Super quem &c. Cypr. de Baptis. Christi circa prine. Et dicitur Ego te baptizo in nomine &c.

a) *1. Cor. 14. Triplex ordo ministrorum Baptismi. Primus ordo est Episcoporum, & Sacerdotum. Isid. lib. 2. de off. Eccles. c. 24.*

b) *Matth. 28. 29.*

c) *1. Cor. 1. 17.*

Sacerdotum proprium est baptismum conferre. D. Thom. in 3. p. q. 67. art. 2.

*) *Isid. lib. 2. de offic. Eccles. cap. 4.*

d) *1. Cor. 10. 27. Vide Leonem Magnum epist. 88.*

Secundus ordo est Diaconorum. Diaconi sine necessitate baptizare non possunt. Dist. 93. cap. Diaconus.

præcipue hoc munus commissum est, illud sancte, & religiose curare studeant; tum ut ne quis tanquam fines suos egressus in alienam possessionem intempestive ingrediatur, vel superbe irrumpat; cum in omnibus ordinem servandum esse (a) Apostolus admoneat. Doceantur igitur fideles, triplicem esse eorum ordinem: ac in primo quidem Episcopos, & Sacerdotes collocandos esse, quibus datum est, ut jure suo, non extraordinaria aliqua potestate, hoc munus exerceant. Iis enim in Apostolis præceptum est a Domino, (b) *Euntes baptizate.* Quamvis Episcopi, ne graviorem illam docendi populi curam deserere cogerentur, (c) Baptismi ministerium Sacerdotibus relinquere soliti essent. Quod vero Sacerdotes jure suo hanc functionem exerceant, ita ut præsente etiam Episcopo ministrare Baptismum possint, ex doctrina (*) Patrum, & usu Ecclesiæ constat. Nam cum ad Eucharistiam consecrandam instituti sint, (d) quæ est pacis, & unitatis Sacramentum, consentaneum fuit, potestatem iis dari omnia illa administrandi, per quæ necessario hujus pacis, & unitatis quilibet particeps fieri posset. Quod si aliquando Patres sacerdotibus sine Episcopi venia, baptizandis jus permissum non esse dixerunt, id de eo Baptismo, qui certis anni diebus solemni cæremonia administrari consueverat, intelligendum videtur.

Secundum ministrorum locum obtinent Diaconi, quibus sine Episcopi, aut Sacerdotis concessu non licere hoc Sacramentum administrare, plurima sanctorum Patrum decreta testantur.

24. *Qui*

24. Qui Sacramentum Baptiſmi in caſu neceſſitatis conferre poſſint.

Extremus ordo illorum eſt, qui cogente neceſſitate, ſine ſolemnibus cæremoniis baptizare poſſunt; quo in numero ſunt omnes etiam de populo, ſive mares, ſive fœminæ, quamcunque illi ſectam profiteantur. Nam Judæis quoque, Infidelibus, & Hæreticis, cum neceſſitas cogit, hoc munus permiſſum eſt, ſi tamen id efficere propoſitum eis fuerit, quod Eccleſia Catholica in eo adminiſtrationis genere efficit. Hæc autem cum multa veterum Patrum, & Conciliorum decreta confirmarunt, tum vero a Sacra Tridentina Synodo anathema in eos ſancitum eſt, qui dicere audeant, Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum. In quo profecto ſummam Domini noſtri bonitatem, & ſapientiam licet admirari. Nam cum hoc Sacramentum neceſſario ab omnibus percipiendum ſit, quemadmodum aquam ejus materiam inſtituit, qua nihil magis commune eſſe poteſt, ſic etiam neminem ab ejus adminiſtratione excludi voluit. Quamvis, ut dictum eſt, non omnibus liceat ſolemnes cæremonias adhibere, non quidem quod ritus, aut cæremoniæ plus dignitatis, ſed quod minus neceſſitatis, quam Sacramentum, habeant.

D. Thom. in 3. p. q. 67. art. 1. & de Conſecr. Diſt. 4. cap. Cunctas. Quilibet in neceſſitate baptizare poteſt. Seſſ. 7. Conc. Trid. de baptiſm. can. 4. Conc. item Later. c. 1. & habetur de ſumma Trin. c. Firmiter & Conc. Flor. in decr. Eugenii.

Populares non debent ſolemnes cæremonias in Baptiſ. adhibere. D. Thom. in 3. p. q. 67. art. 3.

25. Quis ordo in baptizando a fidelibus ſervandus ſit.

Neque vero hoc munus ita omnibus promiſcue permiſſum eſſe fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem miniſtrorum inſtituere maxime deceat. Mulier enim, ſi mares adſint, Laicus

cus item præsente Clerico, tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi sumere non debent. Quamquam obstetrices, quæ baptizare consueverunt, improbandæ non sunt, si interdum præsente aliquo viro, qui hujus Sacramenti conficiendi minime peritus sit, quod alias viri magis proprium officium videretur, ipsæ exequantur.

26. Cur præter eos, qui baptizant, in regenerationis mysteriis Patrini adhibeantur.

De patrinis baptizandorum agit Dionys. lib. de Eccles. Hieron. cap. 4. Alex. de Ales 4. p. qu. 10. memb. 3. art. 1.

Accedit autem ad eos ministros, qui, ut hactenus declaratum est, Baptismum conficiunt, aliud etiam ministrorum genus, qui ad sacram, & salutarem ablutionem celebrandam ex vetustissima Catholicæ Ecclesiæ consuetudine adhiberi solent, ii nunc Patrini, olim Susceptores, Sponsores, seu Fidejussores, communi vocabulo, & rerum divinarum scriptoribus vocabantur. De quorum munere, quoniam ad omnes fere laicos pertinet, accurate a Pastoribus agendum erit, ut fideles intelligant, quæ potissimum ad illud recte perficiendum necessaria sint. In primis vero explicare oportet, quæ causa fuerit, cur ad Baptismum, præter Sacramenti Ministros, Patrini etiam, & Susceptores adjungerentur. Quod quidem optimo jure factum esse, omnibus videbitur, si meminerint, Baptismum esse spiritualem regenerationem, per quam filii Dei nascimur. De ea enim ita loquitur D. Petrus, (a) *Sicut modo geniti infantes rationabile, sine dolo, lac concupiscite.* Ut igitur postquam aliquis in hanc lucem editus est, nutrice, & pædagogo indiget, quorum ope, atque opera educetur, ac doctrina, & bonis

D. Thom. in 3. p. q. 67. art. 7.

a) 1. *Petr.* 2. 2.

arti-

artibus erudiatur: ita etiam neceſſe eſt, ut qui ex Baptiſmi fonte vitam ſpiritualem vivere incipiunt, alicujus fidei, & prudentiæ committantur, a quo Chriſtianæ Religionis præcepta haurire, ad omnemque pietatis rationem inſtitui poſſint, atque ita paulatim in Chriſto adoleſcere, donec tandem viri perfecti, juvante Domino, evadant: cum præſertim Paſtoribus, qui publicæ Parochiarum curationi præpoſiti ſunt, tantum temporis non ſuperſit, ut privatam illam curam pueros in fide erudiendi ſuſcipere poſſint. Hujus autem vetuſtiſſimæ conſuetudinis præclarum teſtimonium a D. Dionyſio habemus, cum inquit: *Divinis noſtris Ducibus* (ſic enim Apoſtolos vocat) *in mentem venit, & viſum eſt ſuſcipere infantes, ſecundum iſtum ſanctum modum, quod naturales parentes pueri eum cuidam doctο in divinis, veluti pædagogo traderent; ſub quo ſicut ſub divino patre, & ſalvationis ſanctæ ſuſceptore, reliquum vitæ puer degeret.* Eandem vero ſententiam confirmat Hyginii auctoritas.

Patrinorum adhibendorum quam vetuſta ſit conſuetudo. S. Dionyſ. de Eccl. Hier. c. 7. p. 3. & 12. in fin. Hygin. Papa de c nſ. diſ. 4. c. in Catechiſmo, & ibid. c. Non plures, &c. in Bapt. & 30. qu. 1. cap. pervenit. & ſeq. De affinitate in Baptiſmo contracta. Seſſ. 24. Conc. Trid. de Reform. Matr. c. 2.

27. *Cognatio ſpiritualis in Baptiſmo contracta matrimonium impedit, & dirimit.*

Quamobrem ſapientiſſime a ſancta Eccleſia conſtitutum eſt, ut non ſolum is, qui baptizat cum baptizato, ſed etiam ſuſceptor cum eo, quem ſuſcipit, & cum ejus veris parentibus affinitate devinciatur: ita ut legitima nuptiarum fœdera inter hos omnes iniri non poſſunt, atque inita dirimantur.

28. *Quæ ſint Patrinorum partes, quidque ab illis exigatur.*

Patrinorum officium. D. Thom. in 3. p. q. 67. art. 8.

Præterea docere oportet fideles, quæ ſint Suſceptoris partes. Etenim hoc munus adeo negli-

negligenter in Ecclesia tractatur, ut nudum tantum hujus functionis nomen relictum sit: quid autem sancti in eo contineatur, ne suspicari quidem homines videantur. Hoc igitur universe Susceptores semper cogitent, se hac potissimum lege obstrictos esse, ut spirituales filios perpetuo commendatos habeant, atque in iis, quæ ad Christianæ vitæ institutionem spectant, curent diligenter, ut illi tales se in omni vita præbeant, quales eos futuros esse solemni cæremonia spoponderunt. Audiamus quid ea de re sanctus Dionysius scribat, verba sponsoris exprimens: *Spondeo puerum inducturum, cum ad sacram intelligentiam venerit, sedulis adhortationibus meis, ut abrenunciet contrariis; omnino profiteatur, peragatque divina, quæ pollicetur.* Idem Divus Augustinus, *Vos*, inquit, *ante omnia tum viros, quam mulieres, qui filios in baptismate susceptistis, moneo, ut cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte susci pere.* Ac profecto decet maxime, eum, qui aliquod officium suscepit, in eo diligenter exequendo nunquam defatigari: & qui se alterius pædagogum, & custodem professus est, minime pati, illum esse desertum, quem semel in fidem, & clientellam suam recepit, donec illum opera, & præsidio suo egere intellexerit. Quæ autem filiis spiritualibus tradenda sint, paucis Divus Augustinus comprehendit, cum de hoc ipso Susceptorum officio loqueretur: inquit enim: *Debent eos admonere, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant, & ante omnia Symbolum, & orationem Dominicam eos doceant:*

Dionys. de Eccl. Hierarch. cap. 7. part. 3.

D. Aug. ser. 163. de temp. Ambr. lib. 1, de Sacram. c. 2. in fin.

Quid Susceptores filios suos spirituales docere debeant, fusius Aug. ser. 165.

Deca-

Decalogum etiam, & quæ ſint prima Chriſtianæ Religionis rudimenta.

de tempore: ſed hæc habentur de conſ. diſt. 4. cap. 120. Vos autem.

29. Quivis promiſcue ad Suſceptoris munus non eſt admittendus.

Quæ cum ita ſe habeant, facile intelligimus, cuinam hominum generi ſanctæ hujus tutelæ adminiſtratio committenda non ſit, nimirum iis, qui eam gerere aut fideliter nolint, aut ſedulo, & accuràte non queant. Quocirca præter naturales parentes, quibus non licet eam curationem ſuſcipere, ut ex eo magis appareat, quantum hæc ſpiritualis educatio a carnali diſtet, Hæretici in primis, Judæi, infideles, ab hoc munere omnino prohibendi ſunt, ut qui in ea cogitatione, & cura ſemper verſentur, ut fidei veritatem mendaciis ſemper obſcurent, atque omnem Chriſtianam pietatem evertant.

Quales Patrini ſint aſſumendi.

Parentes naturales filios ſuos ſuſcipere non poſſunt.

30. q. 1. c. Pervenit. D Thom. in 3. p. q. 67. art. 8. ad ſecundum. Neque infideles, & hæretici ex Concil. Mog. can. 55. & de conſc. diſt. 4. cap. In Baptiſmate.

30. Quis Patrinorum numerus eſſe debeat.

Plures quoque ne baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, ſed ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus, & una, Tridentino Concilio ſtatutum eſt: tum quia diſciplinæ, atque inſtitutionis ordo a multitudine magiſtrorum perturbari poterat: tum quia providere oportebat, ne inter plures hujusmodi affinitates conjungerentur, quæ impedirent, quominus legitimo matrimonii vinculo hominum inter homines ſocietas latius diffunderetur.

Patrinorum numerus. Seſſ. 24. Conc. Trid. de reform. Matrim. cap. 2. & idem habetur de conſecr. diſt. 4. cap. Non plures, & de cogn. ſpirit. c. Quamvis.

31. Baptiſmus ad ſalutem omnibus neceſſarius.

Sed cum cæterarum rerum cognitio, quæ hactenus expoſitæ ſunt, fidelibus utiliſſima habenda ſit, tum vero nihil magis neceſſarium videri poteſt, quam ut doceantur, omnibus ho-

hominibus Baptiſmi legem (a) a Domino præſcriptam eſſe, ita ut, niſi per Baptiſmi gratiam Deo renaſcantur, in ſempiternam miſeriam, & interitum a parentibus, ſive illi fideles ſive infideles ſint, procreentur. Igitur ſæpius a Paſtoribus explicandum erit, quod apud Evangeliſtam legitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

a) *Joan.* 3. 5. *Matth.* 28. 19. *Clemens Roman. epiſt.* 4. *Aug. in Joan. tract.* 13. *Ambr. de iis, qui myſter. initiantur. c.* 4. *Conc. Later. cap.* 1. *Citra Baptiſmum nullus omnino ſalvari poteſt.*

32. *Infantes omnino ſunt baptizandi.*

Quam legem non ſolum de iis, qui adulta ætate ſunt, ſed etiam de pueris infantibus intelligendam eſſe, idque ab Apoſtolica traditione Eccleſiam accepiſſe, communis Patrum ſententia, & authoritas confirmat. Præterea credendum eſt, noluiſſe Chriſtum Dominum Baptiſmi Sacramentum, & gratiam pueris denegari, de quibus dicebat: (b) *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium eſt enim regnum cœlorum,* (c) quos amplexabatur, ſuper quos manus imponebat, & quos benedicebat. Deinde cum (d) legimus totam aliquam familiam a Paulo baptizatam eſſe, ſatis apparet, pueros etiam, qui in illorum numero erant, ſalutari fonte ablutos eſſe. Deinde Circumciſio, quæ figura fuit Baptiſmi, eum morem maxime commendat. (e) Pueros enim octavo die circumcidi ſolitos, nemo eſt, qui ignoret. Ac quibus (f) circumciſio manufacta in expoliatione corporis carnis proderat, iiſdem Baptiſmum, qui eſt (g) circumciſio Chriſti non manufacta, prodeſſe perſpicuum eſt.

Conc. Trid. de Baptiſmo can. 5. *& ſeſſ.* 6. *de juſtificatione cap.* 4. *De Baptiſmo parvulorum ſeſſ.* 5. *Concil. Trid. decreto de peccato originali, & ſeſſ.* 7. *de Baptiſ. c.* 12. 13. *&* 14. *Dionyſ. Areop. de Eccl. Hier. c.* 7. *Aug. epiſt.* 28. *& lib.* 1. *de peccat. merit. & remiſſ. c.* 23. *Conc. Milevit. cap.* 2.

b) *Matt.* 19. 14.

c) *Marc.* 10. 16. *Luc.* 18. *c.* 15.

d) 1. *Cor.* 1. 16.

e) *Gen.* 17. 11. *Levit.* 12. 3. *Luc.* 1. 59.

f) *Eph.* 2. 11.

g) *Col.* 2. 11.

Poſtremo, ut Apoſtolus docet (h) *ſi unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abun-*

h) *Rom.* 5. 17. *Dion. Areop. in* 7. *c. li. de Hier. Eccl. hanc rationem habet.*

dan-

dantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Cum itaque per Adæ peccatum pueri ex origine noxam contraxerint, multo magis per Christum Dominum possunt gratiam, & justitiam consequi, ut regnent in vitam: quod quidem sine Baptismo fieri nullo modo potest. Quare docebunt Pastores, infantes omnino baptizandos, & deinde paulatim teneram ætatem Christianæ Religionis præceptis ad veram pietatem informandam esse. Nam (a) ut a Sapiente præclare dictum est, *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* a) Prov. 22. 6.

33. Infantes in Baptismo gratiam spiritualem percipiunt.

Neque enim dubitare licet, quin infantes fidei Sacramenta, cum abluuntur, accipiant: non quia mentis suæ assensione credant: sed quia parentum fide, si parentes fideles fuerint, sin minus, fide (ut D. Augustini verbis loquamur) universæ societatis sanctorum muniuntur. Etenim ab iis omnibus recte dicimus eos Baptismo offerri, quibus placet, ut offerantur, & quorum charitate ad communionem Sancti Spiritus adjunguntur. *Infantes etiam in Baptismo gratiam accipiunt.* *Aug. in Enchir. cap. 42. Scot. 4. dist. 4. quæst. 2.*

34. Infantum Baptismus non differendus.

Hortandi autem sunt magnopere fideles, ut liberos suos, cum primum id sine periculo facere liceat ad Ecclesiam deferendos, & solemnibus cæremoniis baptizandos curent. Nam cum pueris infantibus nulla alia salutis comparandæ ratio, nisi eis Baptismus præbeatur, relicta sit, facile intelligitur, quam gravi culpa illi sese obstringant, qui eos Sacramen- *Infantes mox ad Baptismum sunt deferendi. Greg. Naz. or. 40. in sanctum Baptisma.* *Aug. lib. 3. de orig. animæ c. 9. & lib. 1. de peccat. mer. & rem. c. 23.*

ti gratia diutius, quam neceſſitas poſtulet, carere patiantur: cum præſertim propter ætatis imbecillitatem infinita pene vitæ pericula impendeant.

35. Adulti quomodo ante Baptiſmum inſtruendi ſint.

De Baptiſmo adultorum vide Auguſt. in lib. de fide & operibus c. 9. & de conſec. diſt. 4. cap. ante Baptiſmum, & ante viginti.

Diverſam vero rationem in iis ſervandam eſſe, qui adulta ætate ſunt, & perfectum rationis uſum habent, qui ſcilicet ab infidelibus oriuntur, antiquæ Eccleſiæ conſuetudo declarat. Nam Chriſtiana quidem fides illis proponenda eſt, atque omni ſtudio ad eam ſuſcipiendam cohortandi, alliciendi, invitandi ſunt. Quod ſi ad Dominum Deum convertantur, tum vero monere oportet, ne ultra tempus ab Eccleſia præſcriptum Baptiſmi Sacramentum differant. Nam cum ſcriptum ſit, (a) *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*, docendi ſunt, perfectam converſionem in nova per Baptiſmum generatione poſitam eſſe: præterea, quo ſerius in Baptiſmum veniunt, eo diutius ſibi carendum eſſe cæterorum Sacramentorum uſu, & gratia, quibus Chriſtiana Religio colitur, cum ad ea ſine Baptiſmo nulli aditus patere poſſit: deinde etiam maximo fructu privari, quem ex Baptiſmo percipimus; ſiquidem non ſolum omnium ſcelerum, quæ antea admiſſa ſunt, maculam, & ſordes Baptiſmi aqua prorſus eluit, ac tollit; ſed divina gratia nos ornat, cujus ope, & auxilio in poſterum etiam peccata vitare poſſumus, juſtitiamque, & innocentiam tueri: qua in re ſummam Chriſtianæ vitæ conſtare facile omnes intelligunt.

a) *Eccl. 5. 8.*

Baptiſmi quanta ſit virtus.

36. Ad-

36. Adultis Baptiſmum differendum eſſe demonſtratur.

Sed quamvis hæc ita ſint, non conſuevit tamen Eccleſia Baptiſmi Sacramentum huic hominum generi ſtatim tribuere, ſed ad certum tempus differendum eſſe conſtituit. Neque enim ea dilatio periculum, quod quidem pueris imminere ſupra dictum eſt, conjunctum habet; cum illis, qui rationis uſu præditi ſunt, Baptiſmi ſuſcipiendi propoſitum, atque conſilium, & male actæ vitæ pœnitentia ſatis futura ſit ad gratiam, & juſtitiam, ſi repentinus aliquis caſus impediat, quo minus ſalutari aqua ablui poſſint. Contra vero hæc dilatio aliquas videtur utilitates afferre. Primum enim quoniam ab Eccleſia diligenter providendum eſt, ne quis ad hoc Sacramentum ficto, & ſimulato animo accedat, eorum voluntas, qui Baptiſmum petunt, magis exploratur, atque perſpicitur, cujus rei cauſa, in antiquis Conciliis decretum legimus, ut qui ex Judæis ad fidem Catholicam veniunt, antequam Baptiſmus illis adminiſtretur, aliquot menſes inter Catechumenos eſſent; deinde in fidei doctrina, quam profiteri debent, & Chriſtianæ vitæ inſtitutionibus erudirentur perfectius. Præterea major religionis cultus Sacramento tribuitur, ſi conſtitutis tantum Paſchæ, & Pentecoſtes diebus ſolemni cæremonia Baptiſmum ſuſcipiant.

Propoſitum Baptiſmi in neceſſitate ad ſalutem ſufficit. Aug. in l. quæſt. in Lev. q. 85. Ambr. in lib. 5. epiſt. 33. de obitu Valent. D. Thom. in 3. p. qu. 65. art. 2. Cur expediat in adultis Baptiſmum differri.

Concil. Agaren. c. 34. & de conſec. diſt. 9. cap. Judæi. Vide item Concil. Brach. 2. cap. 1. & Laod. c. 46.

37. Baptiſmus non ſemper eſt adultis differendus.

Sed interdum tamen Baptiſmi tempus juſta aliqua, & neceſſaria de cauſa differendum non eſt; veluti ſi vitæ periculum inſtare videatur; ac præſertim ſi illi abluendi ſint, qui jam ſi-

Quando non diu differri debeat Baptiſmus. Greg. Naz. orat. 40. in S. Bapti.

dei myſteria plene perceperint. Quod quidem Philippum, & Apoſtolorum Principem feciſſe ſatis conſtat, (a) cum alter Candacis reginæ Eunuchum, (b) alter Cornelium nulla interpoſita mora, ſed ſtatim ut ſe Fidem amplecti profeſſi ſunt, baptizavit.

a) *Act.* 8. 38.
b) *Act.* 10. 48.

38. Quomodo affecti eſſe debeant, qui ſunt baptizandi.

Primum in baptizandis propoſitum requiritur.

Docendum præterea, ac populo explicandum erit, quomodo affecti eſſe debeant, qui baptizandi ſunt. In primis itaque opus eſt, ut velint, propoſitumque ſit illis Baptiſmum ſuſcipere. Nam cum unuſquiſque (c) in Baptiſmo peccato moriatur, & novam vitæ rationem, & diſciplinam ſuſcipiat, æquum eſt, non invito cuiquam, aut recuſanti, ſed illis tantum, qui ſponte ſua, & libenti animo accipiunt, Baptiſmum præberi. Quare ex ſancta traditione ſemper ſervatum animadvertimus, ut nomini Baptiſmus miniſtretur, niſi prius interrogatus fuerit, an velit baptizari. Nec vero in pueris quoque infantibus eam voluntatem deeſſe exiſtimandum eſt, cum Eccleſiæ voluntas, quæ pro illis ſpondet, obſcura eſſe non poſſit.

c) *Rom.* 6. 2. *Aug. in lib. de pœnit. medic. c.* 2. *D. Thom. in* 3. *p. qu.* 68. *art.* 7.

D. Thom. in 3. *p. q.* 68. *art.* 2. *& colligitur ex Aug. lib.* 4. *Conf. c.* 1.

39. Amentes quando poſſint, vel non poſſint baptizari.

Præterea amentes, & furioſi, qui cum aliquando compotes mentis eſſent, in inſaniam deinde inciderunt, ut qui eo tempore nullam Baptiſmi ſuſcipiendi voluntatem habebant, niſi vitæ periculum immineat, baptizandi non ſunt: cum autem in vitæ diſcrimine verſantur, ſi antequam furere inciperent, ejus voluntatis ſignificationem dederunt, abluendi ſunt: ſin minus, a Baptiſmi adminiſtratione abſtinendum eſt.

Idem-

Idemque judicium de dormientibus fieri debet. Quod si in mentis potestate nunquam fuerunt, ita ut nullum rationis usum habuerint, eos in fide Ecclesiæ non secus, ac pueros, qui ratione carent, baptizandos esse, Ecclesiæ authoritas, & consuetudo satis declarat.

4o. Quæ præterea ad Baptismum suscipiendum requirantur.

Verum præter Baptismi voluntatem, fides etiam ea ratione, qua de voluntate dictum est, ad consequendam Sacramenti gratiam maxime necessaria est. Etenim Dominus, & Salvator noster docuit, (a) *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Deinde ut quemlibet admissorum scelerum, & male actæ vitæ pœniteat: atque ut idem in posterum a peccatis omnibus abstinere statuat, opus est; aliter enim qui ita Baptismum peteret, ut tamen peccandi consuetudinem nollet emendare, omnino repellendus est. Nihil enim Baptismi gratiæ, & virtuti adeo repugnat, quam eorum mens, & consilium, qui nullum unquam peccandi finem sibi constituunt. Cum itaque Baptismus ob eam rem expetendus sit, (b) *ut Christum induamus, & cum eo conjungamur*, plane constat, merito a sacra ablutione rejiciendum esse, cui in vitiis, & peccatis perseverare propositum est: præsertim vero, quia nihil eorum, quæ ad Christum, & Ecclesiam pertinent, frustra suscipiendum est; inanemque Baptismum, si justitiæ, & salutis gratiam spectemus, in eo futurum esse, satis intelligimus, (c) qui secundum carnem ambulare non secundum spiritum cogitat: etsi, quod ad sacramentum pertinet,

In baptizandis fides requiritur. Vide Alex. de Ales 4. p. q. 18. mem. 2. art. 2.

a) *Marc. 16. 16.*

Tertio requiritur pœnitentia.

b) *Galat. 3. 27.*

Ubi frustra adhiberi Sacramenta videntur, ibi abstinendum est.

c) *Rom. 8. 1.*

Verus Baptismus esse potest in impœnitente, sed non salutaris.

perfectam ejus rationem ſine ulla dubitatione conſequitur, ſi modo, cum rite baptizatur, in animo habeat id accipere, quod a ſancta Eccleſia adminiſtratur. Quamobrem Princeps Apoſtolorum magnæ illi hominum multitudini, qui, ut ait Scriptura, compuncti corde
a) *Act.* 2. 38. ab eo, & a reliquis Apoſtolis, quid ſibi faciendum eſſet, quæſiverant, ita reſpondit, (a) *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*, & alio loco, (b) *Pœnitemini*, inquit, *& convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Item
b) *Act.* 3. 19. beatus Paulus ad Romanos ſcribens aperte
c) *Rom.* 6. 11. oſtendit, ei, (c) qui baptizatur, omnino mo-
d) *ibidem* 13. riendum eſſe peccatis: quare nos monet, (d) *ne exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibeamus nos Deo, tanquam ex mortuis viventes.*

41. Quantum de his ſermonem habere conferat.

Hæc vero ſi fideles ſæpe meditati fuerint, primum quidem ſummam Dei bonitatem vehementer admirari cogentur, qui nihil tale merentibus, tam ſingulare, & divinum Baptiſmi beneficium, ſola ſua miſericordia adductus tribuit; deinde cum ſibi ante oculos proponent, quam aliena eſſe debeat ab omni crimine eorum vita, qui tanto munere ornati ſunt, illud etiam in primis a Chriſtiano homine requiri facile intelligent, ut quotidie tam ſancte, & religioſe traducere vitam ſtudeant, perinde ac ſi ea ipſa die Baptiſmi Sacramentum, & gratiam conſecuti eſſent. Quamquam ad inflammandos veræ pietatis ſtudio animos nihil magis proficiet, quam ſi Paſtores accurata oratione explicaverint, quinam ſint Baptiſmi effectus.

42. Præ-

42. Præcipuus Baptiſmi effectus quis ſit.

De his igitur quoniam ſæpe agendum eſt, ut fideles magis perſpiciant, ſe in altiſſimo dignitatis gradu poſitos eſſe, nec ſe ab eo dejici ullis adverſarii inſidiis, vel impetu ullo unquam tempore patiantur, hoc primum tradere oportet, peccatum, ſive a primis parentibus originе contractum, ſive a nobis ipſis commiſſum, quamvis etiam adeo nefarium ſit, ut ne cogitari quidem poſſe videatur, admirabili hujus Sacramenti virtute remitti, & condonari. Id vero multo ante ab Ezechiale prænuntiatum eſt, per quem Dominus Deus ita loquitur: (a) *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Et Apoſtolus ad Corinthios, poſt longam peccatorum enumerationem, ſubjecit: (b) *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Atque hanc doctrinam perpetuo a ſancta Eccleſia traditam eſſe perſpicuum eſt. Sanctus enim Auguſtinus in libro, quem de Baptiſmo parvulorum comſcripſit, ita teſtatur: *Generante carne tantum contrahitur peccatum originale, regenerante autem ſpiritu, non ſolum originalium, ſed etiam voluntariorum peccatorum ſit remiſſio.* Et ſanctus Hieronymus ad Oceanum, *Omnia*, inquit, *in Baptiſmate condonata ſunt crimina.* Ac ne dubitare amplius ea de re cuiquam liceret, poſt aliorum Conciliorum definitionem, ſacra etiam Tridentina Synodus idem declaravit, cum anathema in eos decrevit, qui aliter ſentire auderent, quive aſſeverare non dubitarent, quamvis peccata in Baptiſmo remittantur, ea tamen prorſus non tolli, aut radicitus evelli,

De eximiis Baptiſmi effectibus. Greg. Naz. orat. 40. in ſanctum Baptiſma.

Primus ac præcipuus Baptiſmi effectus eſt cuiuſcunque peccati remiſſio. Concil. Trid. ſeſſ. 5. de peccato orig.

a) *Ezech.* 36. 25.

b) 1. *Cor.* 6. 11.

D. Aug. lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. c. 15. Vide eundem lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. c. 13. & in Enchir. c. 64. Greg. l. 9. ep. 39.

S. Hieron. t. 2. ad Ocean. ep. 31. ante medium. Conc. Vien. & Elorent. in doct. de Sacr. Trident. Synod. ſeſſ. 5. de peccato orig.

sed quodam modo abradi, ita ut peccatorum radices animo infixa adhuc remaneant. Namque, ut ejusdem sanctæ Synodi verbis utamur, *in renatis nihil odit Deus: quia* (a) *nihil damnationis est his, qui* (b) *vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed* (c) *veterem hominem exuentes,* & (d) *novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innocii, ac Deo dilecti effecti sunt.*

a) *Rom.* 5. 1.
b) *Rom.* 6. 4.
c) *Col.* 3. 9. 10.
d) *Eph.* 4. 24. *Aug. de Gen. ad litt. lib.* 6. *cap.* 14. & *habetur de Pœnit. dist.* 2. *c. Quomodo renovari.*

43. Concupiscentia in baptizatis an sit peccatum.

De concupiscentia in baptizatis remanente Conc. Trid. de peccato orig. sess. 5. *Quid concupiscentia.*

Ac fateri quidem oportet, sicut eodem loco ipsius Synodi auctoritate decretum est, in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem remanere: sed illa vere peccati rationem non habet. Nam ex Divi quoque Augustini sententia (e) *In parvulis baptizatis concupiscentiæ reatus absolvitur, ad agonem relinquitur.* Atque idem alibi testatur (f) *Concupiscentiæ reatus in Baptismate solvitur, sed infirmitas manet.* Concupiscentia enim, quæ ex peccato est, nihil aliud est, nisi animi appetitio, natura sua rationi repugnans: qui tamen motus si voluntatis consensum, aut negligentiam conjunctam non habeat, a vera peccati natura longe abest. Ac cum sanctus Paulus inquit, (g) *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret,* (h) *Non concupisces*; ex his verbis non ipsam concupiscendi vim, sed voluntatis vitium intelligi voluit. Eandem doctrinam tradit sanctus Gregorius ita scribens: *Si qui sunt, qui dicant, peccata in Baptismo superficie tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius? cum per fidei Sacramentum anima peccatis radicitus absoluta, soli Deo inhæreat.* Atque ad eam

e) *D. Aug. l.* 1. *de peccat. merit. & remiss. cap.* 39.
f) *Id. l.* 1. *de nup. & con. cap.* 23. 25. & *con. Jul. l.* 6. *cap.* 5. *retr. c.* 15. & *de ver. Ap. ser.* 6.
g) *Rom.* 7. 7.
h) *Exod.* 20. 17.
B. Greg. lib. 9. *Reg. epist.* 39. *Reg.* 1. 30.

eam rem demonſtrandam Salvatoris noſtri teſtimonio utitur, cum apud ſanctum Joannem ait (a) *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus.* a) *Joan.* 13. 10.

44. *Omnia peccata Baptiſmo tolli iterum demonſtratur.*

Quod ſi cui expreſſam hujus rei figuram, & imaginem libet intueri, proponat ſibi ad contemplandum Naaman Syri leproſi hiſtoriam (b) qui cum ſepties Jordanis aqua ſe abluiſſet, teſtante Scriptura, ita a lepra mundatus eſt, ut ejus caro, caro pueri videretur. Quare Baptiſmi proprius effectus eſt peccatorum omnium, ſive originis vitio, ſive noſtra culpa contracta ſint, remiſſio. Cujus rei cauſa a Domino, & Salvatore noſtro inſtitutum eſſe, clariſſimis verbis Apoſtolorum Princeps, ut alia teſtimonia omittamus, explicavit, cum inquit, (c) *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* b) 4. *Reg.* 5. 14. c) *Act.* 2. 38.

45. *Ut culpa, ita etiam pœna omnis Baptiſmo remittitur.*

Jam vero in Baptiſmo non ſolum peccata remittuntur, ſed peccatorum etiam & ſcelerum pœnæ omnes a Deo benigne condonantur. Nam etſi omnibus Sacramentis hoc commune eſt, ut per illa virtus paſſionis Chriſti Domini communicetur, de ſolo tamen Baptiſmo dictum eſt ab Apoſtolo, (d) nos per ipſum Chriſto commori, & ſepeliri. Ex quo ſancta Eccleſia ſemper intellexit, ſine maxima Sacramenti injuria fieri non poſſe, ut ei, qui Baptiſmo expiandus ſit, ejuſmodi pietatis officia, quæ uſitato nomine ſancti Patres Opera ſatisfactionis

Secundus Baptiſmi effectus eſt omnium pœnarum, quæ peccatis debebantur, condonatio. D. Thom. in 3. p. q. 69. art. 2. Ex Ambroſio in cap. 11. Ep. ad Rom. cui conſentit. Aug. liv. 1. de nupt. & concup. cap. 34.

d) *Rom.* 6. 3. *Jam recens baptizato non eſt imponenda ſatisfactio.*

D. Thom. in 3. p. q. 68. art. 5. Gregor. lib. 7. Regist. epist. 24.

vocarunt, imponantur. Nec vero quæ hoc loco traduntur, veteris Ecclesiæ consuetudini adversantur, quæ olim Judæis, cum baptizarentur, præcipiebat, ut quadraginta continuos dies jejunarent. Neque enim illud institutum ad satisfactionem pertinebat, sed qui baptismum percepissent, ea ratione admonebantur, ut Sacramenti dignitatem venerantes, jejuniis, & otationibus aliquandiu sine intermissione operam darent.

46. Non liberatur mox baptizatus a pœnis civilibus.

D. Thom. in 3. p. q. 69. art. 2. ad 3tium.

Sed quamquam in Baptismo pœnas peccatorum condonari exploratum esse debet, ab eo tamen pœnarum genere, quæ civilibus judiciis ob grave aliquod scelus persolvendæ sunt, nemo liberatur; ita ut qui morte dignus sit, per Baptismum a pœna, quæ legibus constituta est, eripiatur. Tametsi vehementer laudanda esset eorum Principum religio, & pietas, qui eam quoque animadversionem, ut Dei gloria in suis Sacramentis illustrior fieret, sontibus remitterent, ac condonarent.

47. Remittuntur in Baptismo pœnæ, quæ post hanc vitam inferri solent.

Pœna inferni in Baptismo remittuntur. Fulg. lib. de fide ad Petr. Diac. cap. 27.

Efficit præterea Baptismus post hujus vitæ curriculum, pœnarum omnium, quæ originale peccatum consequuntur, liberationem. Siquidem merito mortis Domini factum est, ut hæc consequi possemus. Baptismo autem, ut supra dictum est, ei commorimur (a) *Si enim*, ut inquit Apostolus, *complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.*

a) Rom. 6. 5.

48. Qua-

48. Quare per Baptiſmum integræ naturæ ſtatus non ſtatim reddatur.

Quod ſi quærat aliquis, cur ſtatim poſt Baptiſmum, in hac etiam mortali vita, his incommodis non careamus, atque ad perfectum illum vitæ gradum, in quo Adam primus humani generis parens ante peccatum collocatus fuerat, ſacræ ablutionis virtute non transferamur, id quidem duabus potiſſimum de cauſis factum eſſe reſpondebitur, quarum prima eſt, quod nobis (a) qui per Baptiſmum Chriſti corpori conjuncti, atque ejus membra effecti ſumus, plus aliquid dignitatis tribuendum non erat, quam ipſi capiti noſtro tributum eſſet. Cum igitur Chriſtus Dominus, etſi ab initio ortus ſui, (b) gratiæ, & veritatis plenitudinem habuit, tamen humanæ naturæ fragilitatem, quam ſuſcepit, non ante depoſuerit, quam paſſionis tormenta, & mortem pertulit, ac deinde ad immortalis vitæ gloriam reſurrexit; quis miretur, cum videat fideles, qui jam per Baptiſmum cœleſtis juſtitiæ gratiam adepti ſunt, adhuc tamen caduco, & fragili corpore veſtiri, ut poſtquam multis laboralibus pro Chriſto perfuncti, morte obita, denuo ad vitam revocati fuerint, tandem digni ſint, qui cum Chriſto ævo ſempiterno perfruantur?

Cur poſt Baptiſmum huius vitæ pœna remaneant. Concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 5. D. Th. in 3. p. q. 65. art. 3.

Prima ratio.

a) *Rom. 6. 3. 4.*

b) *Joan. 1. 14. de orth. fid. Dam. lib. 3. cap. 20.*

Altera vero cauſa, cur in nobis poſt Baptiſmum infirmitas corporis, morbus, dolorum ſenſus, concupiſcentiæ motus relinquatur, illa eſt, ut ſcilicet tanquam ſegetem, & materiam virtutis haberemus, ex qua deinde uberiorem gloriæ fructum, atque ampliora præmia conſequeremur. Nam cum patienti animo vitæ in-

Secunda ratio.

com-

commoda omnia toleramus, pravaſque animi noſtri affectiones ſub rationis imperium divina ope ſubjicimus, certa ſpe niti debemus fore, ut, ſi cum Apoſtolo (a) bonum certamen certaverimus, curſum conſummaverimus, fidem ſervaverimus, repoſitam quoque juſtitiæ coronam reddat nobis Dominus in illa die juſtus judex. Sic vero etiam cum filiis Iſrael videtur Dominus egiſſe, quos etſi ab Ægyptiorum ſervitute, Pharaone, atque ejus exercitu in mare demerſo, liberavit, tamen non ſtatim in beatam illam promiſſionis terram introduxit, ſed prius in multis, variiſque caſibus exercuit: ac deinde cum eos in promiſſæ terræ poſſeſſionem miſiſſet, cæteros quidem incolas e patriis ſedibus exturbavit, (b) quaſdam vero nationes reliquas fecit, quas delere non potuerunt, ut populo Dei bellicæ virtutis, & fortitudinis exercendæ occaſio nunquam deeſſet.

a) 2. *Tim.* 4. 7.

Exod. 14. 24. 25.

b) *Jud.* 3. 2. 3.

Tertia ratio.

Huc accedit, quod ſi per Baptiſmum, præter dona cœleſtia, quibus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, dubitari merito poſſet, quin multi præſentis potius vitæ commoda, quam futuræ ſperatam gloriam conſectantes, ad Baptiſmum venirent; cum tamen *non falſa hæc, & incerta*, (c) *quæ videntur, ſed vera, atque æterna, quæ non videntur*, bona Chriſtiano homini ſemper propoſita eſſe debeant.

c) 2. *Cor.* 4. 18.

Renati inter hujus vitæ miſerias ſuam habent lætitiam.

42. Renati inter hujus vitæ miſerias ſolida animi oblectatione non deſtituuntur.

Sed interim tamen hujus vitæ conditio, quæ miſeriarum plena eſt, in his, qui (d) digne ambulant ſua vocatione, ſuis voluptatibus,

d) *Epheſ.* 4. 1.

&

& lætitiis non caret. Quid enim nobis, qui jam per Baptiſmum (a) veluti palmites, inſiti ſumus in Chriſtum, jucundius, aut optabilius eſſe poteſt, quam, cruce in humeros noſtros ſublata, eum ducem ſequi, nulliſque aut laboribus defatigari, aut periculis retardari, quominus (b) ad præmium ſupernæ vocationis Dei omni ſtudio contendamus, (c) alii virginitatis lauream, alii (d) doctrinæ & prædicationis coronam, (e) alii martyrii palmam, alii alia virtutum decora a Domino accepturi? Quæ quidem præclara laudis inſignia nemini darentur, niſi prius nos ipſos in hujus ærumnoſæ vitæ ſtadio exercuiſſemus, atque in acie invicti ſtetiſſemus.

a) *Joan.* 15. 9.

b) *Phil.* 3. 14.
c) *Apoc.* 14. 4.
d) *Dan.* 12. 3.
e) *Apoc.* 7. 9.

50. *Quid præter culpæ, & pœnæ remiſſionem Baptiſmo homini præſtetur.*

Sed ut ad Baptiſmi effectus oratio redeat, exponendum erit, hujus Sacramenti virtute nos non ſolum a malis, quæ vere mala dicenda ſunt, liberari, verum etiam eximiis bonis, & muneribus augeri. Animus enim noſter divina gratia repletur, qua (f) juſti, & (g) filii Dei effecti, (h) æternæ quoque ſalutis hæredes inſtituimur. Nam, ut ſcriptum eſt, (i) *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit:* (k) mundatamque Eccleſiam lavacro aquæ in verbo vitæ Apoſtolus teſtatur. Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis propoſita, decrevit, non ſolum per quam peccatorum fit remiſſio, ſed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſaſque

Tertius Baptiſmi effectus eſt gratiæ Dei largitio. D. Thom. in 3. p. q. 69. art. 4.

f) 1. *Joan.* 3. 7.
g) *Joan.* 1. 12.
h) *Rom.* 8. 17.
i) *Mar.* 16. 16. *Quemodo per Baptiſmum filii Dei efficiamur, declarabitur Sect. 9. de precatione Dominica.*
k) *Epheſ.* 5. 26. *Quid ſit gratia. Seſſ. 6. Concil. Trid. de Juſtificatione cap. 7.*

que animas pulchriores, & splendidiores reddit, Atque id ex sacris literis aperte colligitur, cum (a) gratiam effundi dicant, (b) eamque Spiritus Sancti pignus soleant appellare.

a) *Rom.* 5. 5.
b) 2. *Cor.* 1. 22. & 5. 5.
Virtutum infusio in Baptism. *Dam. lib.* 4. *de fid. orth. cap.* 1.

51. Gratiæ divinæ, quæ Baptismo infunditur, adduntur veluti pedissequæ virtutes.

Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur. Quare cum Apostolus ad Titum ait, (c) *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum*, D. Augustinus verba illa, *Abunde effudit*, explanans. *Nimirum*, inquit, *ad remissionem peccatorum, & copiam virtutum.*

c) *Tit.* 3. 5. *D. Aug. lib.* 1. *de Bapt. parvul. cap.* 26. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 69. *art.* 5. *de conf. dist.* 4. *cap. Ad hac.*

52. Per Baptismum Christo incorporamur.

Jam vero per Baptismum etiam Christo capiti tanquam membra copulamur, & connectimur. Quemadmodum igitur a capite vis manat, qua singulæ corporis partes ad proprias functiones apte exequendas moventur; ita etiam ex (d) Christi Domini plenitudine in omnes, qui justificantur, divina virtus, & gratia diffunditur, quæ nos ad omnia Christianæ pietatis officia habiles reddit.

d) *Joan.* 1. 16.

53. Qui fiat, ut tot virtutibus in Baptismo cumulati adeo tarde pietatem exerceant.

Neque vero mirum cuiquam videri debet, si cum tanta virtutum copia instructi, & ornati simus, tamen non sine magna difficultate, & labore pias, honestasque actiones inchoamus, vel certe absolvimus. Id enim ob eam rem non evenit, quod virtutes, a quibus actiones ipsæ proficiscuntur, Dei beneficio no-

nobis donatæ non ſint; ſed (a) quoniam poſt Baptiſmum acerrima cupiditatis pugna adverſus ſpiritum relicta eſt. In qua tamen contentione animo frangi, aut debilitari Chriſtianum hominem non decet; cum Dei benignitate freti optima ſpe niti debeamus fore, ut quotidiana recte vivendi exercitatione, (b) *quæcunque pudica ſunt, quæcunque juſta, & ſancta,* eadem etiam facilia, & jucunda videantur. Hæc libenter cogitemus, hæc alacri animo agamus, (c) ut Deus pacis, & dilectionis ſit nobiſcum.

a) *Rom.* 7. 15. 16. *Gal.* 5. 17. *D. Aug. lib.* 4. *contra Julian. cap.* 3. *&* 5. *& lib.* 1. *de pecc. mer. & rem. c.* 39.

b) *Phil.* 4. 8. *Rom.* 15.

c) 2. *Cor.* 13. 11.

54. In Baptiſmo character indelebilis imprimitur.

Præterea per baptiſmum conſignamur charactere, qui ex anima deleri nunquam poteſt: de quo nihil eſt, ut plura hoc loco differantur, cum liceat ex his, quæ ſupra dicta ſunt (cum univerſe de Sacramentis ageretur) ſatis multa, quæ ad hoc argumentum pertinent, in hunc locum transferre.

Alius Baptiſmi effectus eſt characteris impreſſio. D. Aug. lib. 6. *de Baptiſm. contra Donat. c.* 1. *Conc. Trid. ſeſſ.* 7. *can.* 9. *de Sacram. in genere.*

55. Baptiſmum iterari nunquam poſſe demonſtratur.

Sed quoniam ex characteris vi, & natura ab Eccleſia definitum eſt, Baptiſmi Sacramentum nulla ratione iterandum eſſe, ea de re fideles, ne aliquando in errores inducantur, ſæpe, & diligenter a Paſtoribus admonendi erunt. Hoc vero docuit Apoſtolus inquiens: (d) *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma.* Deinde cum Romanos hortatur, ut mortui per Baptiſmum in Chriſto caverent, ne vitam, quam ab illo accepiſſent, amitterent, cum inquit, (e) *Quod enim Chriſtus mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel:* hoc videtur aperte ſignificare, ſicut ille mori iterum non poteſt, ita nobis

Baptiſmum ſine ſacrilegio iterari non poſſe. Seſſ. 7. *Concil. Trid. de Baptiſmo. can.* 11. *&* 13. *& Seſſ.* 14. *de Sacram. pœnit. cap.* 2.

d) *Epheſ.* 4. 5.

e) *Rom.* 6. 10.

Cur Baptiſmus ſemel tantum ſuſcipiendus ſit. Syn. Conſtant. D. Aug. tract. 11. in Joan. Leo Magn. epiſt. 37. & 79.

bis denuo mori per Baptiſmum non licere. Quare ſancta etiam Eccleſia, ſe unum Baptiſmum credere palam profitetur. Quod quidem rei naturæ, & rationi vehementer conſentaneum eſſe ex eo intelligitur, quod Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio. Quemadmodum igitur naturali virtute ſemel tantum generamur, & in lucem edimur, atque, ut D. Auguſtinus ait, *uterus non poteſt repeti :* ſic etiam una eſt ſpiritualis generatio, nec Baptiſmus ullo unquam tempore iterandus eſt.

56. *Illi iterato non baptizantur, qui certa conditione interpoſita abluuntur.*

Licet aliquando baptizare ſub conditione. Alex. 3. de Baptiſm. & eius effect. cap. De quibus. Leo Papa ep. 92.

Neque vero quiſquam putet, eum ab Eccleſia iterari, cum adhibita hujuſmodi verborum formula aliquem abluit, de quo incertum eſt, an baptizatus prius fuerit, *Si baptizatus es, te iterum non baptizo : ſi vero nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita enim non impie iterari, ſed ſancte cum adjunctione Baptiſmum adminiſtrari, dicendum eſt.

57. *Baptiſmus Conditionalis ſemper citra ullum diſcrimen uſurpandus non eſt.*

Parochi quantum errent, dum cum conditione ſine diſcrimine baptizant.

Qua in re tamen diligenter a Paſtoribus aliqua providenda ſunt, in quibus fere quotidie non ſine maxima Sacramenti injuria peccatur. Neque enim deſunt, qui nullum ſcelus admitti poſſe arbitrentur, ſi quemvis ſine delectu cum adjunctione illa baptizent, quare ſi infans ad eos deferatur, nihil prorſus quærendum putant, an is prius ablutus fuerit, ſed ſtatim ei Baptiſmum tribuunt, quin etiam quamvis exploratum habeant, domi Sacramentum adminiſtra-

ſtratum eſſe, tamen ſacram ablutionem in Eccleſia, adhibita ſolemni cæremonia, cum adjunctione repetere non dubitant: quod quidem ſine ſacrilegio facere non poſſunt, & eam maculam ſuſcipiunt, quam divinarum rerum ſcriptores *Irregularitatem* vocant. Nam ea Baptiſmi forma ex Alexandri Papæ authoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, an Baptiſmum rite ſuſceperint, aliter vero nunquam fas eſt, etiam cum adjunctione, Baptiſmum alicui iterum adminiſtrare.

Qui rebaptizant, ſunt irregulares. De Apoſtatis. & reiter. bapt. cap. Ex litterarum. de conſ. diſt. 4. cap. Eos qui lit. 3. decret. de baptiſmo & eius effectu cap. De quibus.

58. Quis ſit poſtremus fructus, qui virtute Baptiſmi hominibus confertur.

Præter cætera vero, quæ ex Baptiſmo conſequimur, illud veluti extremum eſt, quo reliqua omnia videntur referri, quod ſcilicet cœli aditum propter peccatum prius intercluſum unicuique noſtrum patefacit. Hæc autem, quæ in nobis Baptiſmi virtute efficiuntur, ex iis plane intelligi poſſunt, quæ in Salvatoris Baptiſmo contigiſſe Evangelica authoritas confirmavit. Etenim (a) cœli aperti ſunt, & Spiritus Sanctus columbæ ſpecie in Chriſtum Dominum deſcendens apparuit. Ex quo ſignificatum eſt, eis qui baptizantur, divini numinis chariſmata impertiri, & cœlorum januam referari, non quidem, ut ſimul atque baptizati ſunt, ſed ut magis opportuno tempore ingrediantur in illam gloriam, cum omnium miſeriarum expertes, quæ in beatam vitam cadere non poſſunt, pro mortali conditione immortalitatem aſſequentur. Atque hi quidem ſunt Baptiſmi fructus, quos, ſi quidem Sacramenti vim ſpe-

Quintus Baptiſmi effectus eſt cœli, quod peccato intercluſum fuerat aperitio. D. Thom. in 3. p. q. 69. art. 7.

a) *Matt.* 3. 16. *Marc.* 1. 10. *Luc.* 3. 21.

Baptiſmi fructus, etſi omnibus hominibus

sint communes, non æque tamen ad omnes perveniunt. D. Thom. in 3. p. q. 69. art. 8.

ctemus, æque ad omnes pertinere dubitari non potest: sin autem, quo quisque animo affectus ad illum suscipiendum accesserit, consideremus, plus, minusve cœlestis gratiæ, & fructus ad unum aliquem, quam ad alium pervenire omnino fateri oportet.

59. Quæ sit cæremoniarum Baptismi vis, & utilitas.

De precationibus, ritibus, & cæremoniis Baptismi.

Restat nunc, ut quæ de hujus Sacramenti precationibus, ritibus, & cæremoniis tradenda sint, aperte, & breviter explicentur. Nam quod Apostolus de linguarum dono admonuit, cum inquit, (a) sine fructu esse, si, quæ aliquis loquitur, a fidelibus non intelligantur: idem fere ad ritus, & cæremonias transferri potest. Imaginem enim, & significationem earum rerum præseferunt, quæ in Sacramento geruntur. Quod si illorum signorum vim, & potestatem fidelis populus ignoret, non magna admodum cæremoniarum utilitas futura esse videbitur. Danda est igitur Pastoribus opera, ut eas fideles intelligant, certoque sibi persuadeant, si minus necessariæ sint, plurimi tamen faciendas, magnoque in honore esse oportere. Id vero tum instituentium auctoritas, qui sine controversia sancti Apostoli fuerunt, tum finis, cujus causa cæremonias adhiberi voluerunt, satis docet. Ita enim Sacramentum majori cum religione, ac sanctitate administrari, ac veluti ante oculos poni præclara illa, & eximia dona, quæ in eo continentur, & in animos fidelium immensa Dei beneficia magis imprimi, perspicuum est.

a) 1. Cor. 14. 14.

Ritus sunt velut imagines effectuum cujusque Sacramenti.

Dionys. Areop. cap. 4. Eccl. Hier. Cypr. epist. 70. ad Julian.

60. Quotuplices sint Baptismi ritus.

Ritus Baptismi sunt triplices.

Sed omnes cæremoniæ, & precationes, quibus in Baptismi administratione Ecclesia utitur,

ad

ad tria capita redigendæ ſunt, ut in iis explicandis certus ordo a Paſtoribus obſervari poſſit, & quæ tradita ab illis fuerint, auditorum memoria facilius retineantur. Ac primum quidem illarum genus eſt, quæ, antequam accedatur ad Baptiſmi fontem, ſervantur: alterum earum, quæ, cum ad ipſum fontem ventum eſt, adhibentur: tertium earum, quæ, peracto jam baptiſmo, addi ſolent.

Primum genus.

61. Quo tempore aqua ad Baptiſmum neceſſaria communi ritu ſit conſecranda.

In primis igitur aqua paranda eſt, qua ad Baptiſmum uti oportet. Conſecratur enim Baptiſmi fons, addito myſticæ unctionis oleo. Neque id omni tempore fieri permiſſum eſt, ſed more majorum feſti quidam dies, qui omnium celeberrimi, & ſanctiſſimi optimo jure habendi ſunt, expectantur, in quorum vigiliis ſacræ ablutionis aqua conficitur: quibus etiam tantum diebus, niſi neceſſitas aliter facere coegiſſet, in veteris Eccleſiæ more poſitum fuit, ut Baptiſmus adminiſtraretur. Sed quamvis Eccleſia hoc tempore, propter communis vitæ pericula, eam conſuetudinem retinendam non judicarit; tamen ſolemnes illos dies Paſchæ, & Pentecoſtes, quibus Baptiſmi aqua conſecranda eſt, ſumma cum religione adhuc obſervat.

Conſecrari aquam ad Baptiſmum teſtis eſt Cypr. ep. 70. & Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 27. & de conſ. diſt. 4. c. In Sabbato. Quæ ſint tempora Baptiſmi conferendi præcipua, Leo epiſt. 4. ad Epiſcopum Sicilia.

62. Baptizandi cur mox in Eccleſiam non admittantur.

Poſt aquæ conſecrationem, alia deinceps, quæ Baptiſmum antecedunt, explicare oportet. Afferuntur enim, vel etiam adducuntur, qui Baptiſmo initiandi ſunt, ad Eccleſiæ fores, atque ab ejus introitu omnino prohibentur, quod indigni ſint, qui domum Dei ingrediantur, an-

Non admitti baptizandos in Eccleſiam, demonſtrans. Tertul. lib. de corona militis c. 3. Cyril. Hier. catecheſi 1.

tequam a se turpissimæ servitutis jugum repulerint, & totos se Christo Domino, ejusque justissimo imperio addixerint.

63. Cur baptizandi, quid petant, interrogentur, & instruantur.

Hinc baptizandi competentes dicebantur, quod simul baptismum peterent. August. l. 1. retract. c. 17. & epist. 155. & alibi plerumque.

Tum vero Sacerdos ab eis exquirit, quidnam ab Ecclesia petant; quo cognito, primum eos Christianæ fidei doctrina, quam in Baptismo profiteri debent, instituit: id autem Catechismo efficitur. Cujus institutionis morem a Domini Salvatoris præcepto manasse nemo dubitare potest; cum ipse Apostolis

a) *Matt. 28. 19. Dion. de Eccles. Hierar. cap. 4. Mar. c. 16. 15.*

jusserit: (a) *Ite in mundum universum, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Ex quo licet cognoscere, Baptismum non esse administrandum, priusquam summa saltem religionis nostræ capita exponantur.

64. Quo pacto ex veteri Ecclesiæ instituto catechizari debeant rudiores.

Quoniam vero Catechismi ratio ex multis interrogationibus constat, si iis, qui instituitur, adulta ætate fuerit, ad ea, quæ rogantur, ipse per se respondet: si autem infans sit, pro illo sponsor rite respondet, solemnemque sponsionem facit.

65. Quis sit Exorcismi usus.

Sequitur Exorcismus, qui ad expellendum Diabolum, ejusque vires frangendas, & debilitandas, sacris, & religiosis, verbis, ac precationibus conficitur. Proinde Sacerdos ter in faciem ejus, qui initiandus est, spirat, ut serpentis antiqui potestatem expellat, & amissæ vitæ spiraculum consequatur. 66.

66. Cur ejus, qui baptizatur, ori ſal admoveatur.

Accedunt ad Exorciſmum aliæ cæremoniæ, quarum ſingulæ, ut quæ myſticæ ſint, propriam, atque illuſtrem ſignificationem habent. Nam cum ſal in illius os, qui ad Baptiſmum adducendus eſt, inſeritur, hoc ſignificari perſpicuum eſt, eum fidei doctrina, & gratiæ dono conſequuturum eſſe, ut a peccatorum putredine liberetur, ſaporemque bonorum operum percipiat, & divinæ ſapientiæ pabulo delectetur.

Salis ſignificatio in Baptiſmo de conſ. diſt. 4. cap. Sal. Iſid. lib. 2. de Offic. Eccleſ. cap. 20. & Aug. l. 1. Conf. c. 11.

67. Quid ſibi velit Crucis ſignum multis corporis partibus adhibitum.

Obſignantur præterea ſigno Crucis frons, oculi, pectus, humeri, aures: quæ omnia declarant Baptiſmi myſterio ſenſus baptizandi aperiri, ac roborari, ut Deum excipere, præceptaque ejus intelligere, ac ſervare poſſit.

Signum Crucis in Baptiſmo adhiberi ſolitum ſcribunt Baſil. lib. de Spiritu Sancto. Chryſ. lib. contra Gent. & alii.

68. Quare nares, & aures baptizandi ſaliva liniantur.

Poſtea vero nares, & aures ſaliva liniuntur, ſtatimque ad Baptiſmi fontem mittitur, ut, quemadmodum (a) cæcus ille Evangelicus, quem Dominus juſſerat oculos luto illitos Siloes aqua abluere, lumen recuperavit, ita etiam intelligamus ſacræ ablutionis eam vim eſſe, ut menti ad cœleſtem veritatem perſpiciendam lumen afferat.

a) *Joan. 9. 7. Saliva ſignificatio in Baptiſmo, cuius rei meminit Ambr. lib. 1. de Sacram. c. 1. & de iis, qui myſ. init. c. 1. & de conſec. diſ. 4. c. poſtea.*

69. Quid doceat abrenunciatio illa Satanæ facta ab illo, qui baptizandus offertur.

His peractis, ad Baptiſmi fontem veniunt, ibique aliæ cæremoniæ, & ritus adhibentur, ex quibus Chriſtianæ religionis ſummam licet cognoſcere. Sacerdos enim ter conceptis ver-

Qua ſit vis abrenuntiationis. Greg. Naz. orat. 40. Ambr. lib. 1. de Sacram. c. 2.

bis eum, qui baptizandus est, interrogat, *Abrenuncias Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus?* At ille, aut ejus nomine Patrinus, ad singulas interrogationes respondet, *Abrenuncio.* Igitur qui Christo nomen daturus est, hoc primum sancte, & religiose polliceri debet, se Diabolum, & mundum deserere, ac nullum unquam tempus fore, in quo utrumque veluti hostem teterrimum non detestetur.

70. *Quomodo baptizandus fidei suæ professionem faciat.*

Quomodo baptizandus fidem suam profiteri debeat. Aug. l. 7. Conf. cap. 10.

Deinde ad ipsum Baptismi fontem consistens, interrogatur a Sacerdote hoc modo, *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* Cui ille respondet, *Credo.* Atque ita deinceps de reliquis Symboli articuiis rogatus fidem suam solemni religione profitetur. Quibus sane duabus sponsionibus omnem Christianæ legis vim, & disciplinam contineri perspicuum est.

71. *Cur ab eo, qui aqua salutari proxime tingendus est, petatur, num baptizari velit.*

Sed cum jam Baptismum administrare oportet, quærit Sacerdos ab eo, qui baptizandus est, num baptizari velit: quo quidem per se, vel ejus nomine, si infans sit, Patrino annuente, statim in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti salutari, aqua eum abluit. Quemadmodum enim (a) homo sua voluntate serpenti obediens, merito damnatus est: ita Dominus neminem ad suorum numerum, nisi voluntarium militem adscribi voluit, ut divinis jussis sponte obtemperans, æternam salutem consequeretur.

a) *Genes. 3. 6. Nemo salvatur invitus.*

72. *Quam*

72. Quam ob rem baptizati caput mox Chrismate inungatur.

Jam postquam Baptismus absolutus est, Sacerdos summum baptizati verticem Chrismate perungit, ut intelligat se ab eo die Christo capiti tanquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, & ea re Christianum a Christo, Christum vero a Chrismate appellari. Quid vero Chrisma significet, ex iis satis intelligi, quæ tunc Sacerdos orat, D. Ambrosius testatur.

Unctionis post Baptismum meminerunt Dion. Areop. Eccles. Hierar. cap. 2. & 3. Greg. Naz. ora. 40. Basil. l. de Spiritu Sancto c. 27.

73. Quid designet vestis candida, vel album sudariolum, quod baptizato donatur.

Induit postea Sacerdos baptizatum veste alba, dicens, *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam:* infantibus vero, qui vestitu non utuntur iisdem verbis album sudariolum datur. Quo symbolo sancti Patres significari docent tum resurrectionis gloriam, ad quam per Baptismum renascimur, tum nitorem, & pulchritudinem, qua, dilutis peccatorum maculis, anima in Baptismo ornatur, tum innocentiam, atque integritatem, quam in omni vita baptizatus servare debet.

D. Ambr. l. 2. de Sacram. cap. 7. Vestis candida in Baptismo dari solita meminit Dionys. ubi supra Ambr. de iis, qui myst. init. cap. 7. & alii.

74. Quæ sit ratio ardentis cerei, qui a baptizato tenetur.

Et deinde cereus ardens in manum traditur, qui ostendit, fidem charitate inflammatam, quam in Baptismo accepit, bonorum operum studio alendam, atque augendam esse.

Lucernarum ardentium, quæ dabantur in manibus baptizatorum, meminit Greg. Naz. ora. 40. in sanctum Baptisma.

75. Quare, ac cujusmodi nomen baptizato sit imponendum.

Ad extremum vero nomen baptizato impo-

Nomen datur baptizandis, quo si-

gnificatur, eos per abrenuntiationem prioris poſſeſſoris, nomen dare Chriſto, ut in illius dominium tranſeant. Ambr. lib. 1. de Sacr. cap. 2.

nitur, quod quidem ab aliquo ſumendum eſt, qui propter excellentem animi pietatem, & religionem in Sanctorum numerum relatus eſt. Ita enim facile fiet, ut quivis nominis ſimilitudine, ad ſanctitatis, & virtutis imitationem excitetur; ac præterea, quem imitari ſtudeat, eum quoque precetur, & ſperet ſibi advocatum ad ſalutem tum animi, tum corporis defendendam, venturum eſſe. Quare reprehendendi ſunt, qui Gentilium nomina, & eorum præcipue, qui ſceleratiſſimi fuerunt, tam diligenter conſectantur, & pueris imponunt: cum ex eo intelligi poſſit, quanti Chriſtianæ pietatis ſtudium faciendum exiſtiment, qui impiorum hominum memoria tantopere delectari videntur, ut velint fidelium aures hujuſmodi profanis nominibus undique circumſonare.

Gentilium nominibus abſtinendum.

76. Summa eorum, quæ de Baptiſmi myſteriis ſunt tradita.

Hæc de Baptiſmi Sacramento ſi a Paſtoribus explanata fuerint, nihil eorum fere prætermiſſum eſſe videbitur, quæ ad hanc cognitionem maxime pertinere exiſtimanda ſunt. Demonſtratum eſt enim, quid ipſum baptiſmi nomen ſignificet, quæ ſit ejus natura, & ſubſtantia, tum ex quibus partibus conſtet. Dictum eſt, a quo inſtitutus fuerit, qui miniſtri ad conficiendum Sacramentum neceſſarii ſint, quoſve tanquam pædagogos ad ſuſtentandam baptizati imbecillitatem adhibere oporteat. Traditum eſt etiam, quibus, & quemadmodum animo affectis Baptiſmus adminiſtrari debeat, quæ ſit ejus virtus, & efficientia.

Poſtre-

Poſtremo qui ritus, & cæremoniæ ſerventur, quantum propoſita ratio poſtulabat, ſatis copioſe explicatum eſt. Quæ omnia ob eam præcipue cauſam docendâ eſſe Paſtores meminerint, ut fideles in hac cura, & cogitatione perpetuo verſentur, ut in iis, quæ adeo ſancte, & religioſe ſpoſponderunt, cum Baptiſmo initiati ſunt, fidem ſervent, atque eam vitam inſtituant, quæ ſanctiſſimæ Chriſtiani nominis profeſſioni reſpondeat.

DE

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

CAPUT III.

1. Cur hodie quam maxime Confirmationis virtus ſit explicanda.

Quantus Sacramenti Confirmationis contemptus irrepſerit.

Si in Sacramento Confirmationis explicando Paſtorum diligentia unquam requirenda fuit, nunc certe opus eſt illud quam maxime illuſtrare, cum in ſancta Dei Eccleſia hoc Sacramentum a multis omnino prætermittatur, pauciſſimi vero ſint, qui divinæ gratiæ fructum, quem deberent, ex eo capere ſtudeant. Quare fideles ita de hujus Sacramenti natura, vi, dignitate, tum in die Pentecoſtes, quo præcipue die adminiſtrari ſolet, tum aliis etiam diebus, cum id Paſtores commode fieri poſſe judicaverint, docendi erunt, ut intelligant, non ſolum negligendum non eſſe, ſed ſumma cum pietate, & religione ſuſcipiendum, ne ipſorum culpa, maximoque malo eveniat, ut fruſtra in eos divinum hoc beneficium collatum eſſe videatur.

2. Quare Eccleſia hoc Sacramentum Confirmationem vocarit.

Hoc Sacramentum eſt polyonymum apud veteres, ſed Confirmatio ab Eccl. dicitur ob verba Chriſti Luc. 24. 49. cap. 3. 18. Act. 1.

Sed ut a nomine initium ſumatur, Confirmationem ab Eccleſia hoc Sacramentum idcirco vocari docendum eſt, quoniam qui baptizatus eſt, cum ab Epiſcopo ſacro chriſmate ungitur, additis ſolemnibus illis verbis, *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis,*

lutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nisi aliud Sacramenti efficientiam impediat, novæ virtutis robore firmior, atque adeo perfectus Christi miles esse incipit.

Sicque vocatum est a Conc. Aur. cap. 3. & Flor. & aliis.

3. Confirmatio verum est novæ legis Sacramentum.

In Confirmatione autem veram, & propriam Sacramenti rationem Catholica Ecclesia semper agnovit: quod & Melchiades Pontifex, & plures etiam alii sanctissimi, & vetustissimi Pontifices aperte declarant. Ac sanctus Clemens ejus veritatis doctrinam graviori sententia comprobare non potuit. Inquit enim: *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum ab Episcopo consignari, id est, septiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, cum alioqui perfectus Christianus nequaquam esse possit is, qui injuria, & voluntate, non autem necessitate compulsus, hoc Sacramentum prætermiserit, ut a B. Petro accepimus, & cæteri Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt.* Hanc vero eandem fidem doctrina sua confirmarunt, qui eodem spiritu pleni pro Christo sanguinem profuderunt, (a) Urbanus, (b) Fabianus, (c) Eusebius, Romani Pontifices, quemadmodum ex eorum decretis licet perspicere.

Confirmationem vere esse Sacramentum ex traditione Pontificum ostenditur. Melch. in epist. ad Episc. Hisp. cap. 2. & habetur de conf. dist. 5. c. Spiritus. S. Clemens Papa ep. 4. ad Julian. & Jul. Epist.

a) *Urban. in epi. 1. ad omnes Christianos, cap. 7. & habetur de conf. dist. 5. c. Omnes fideles.*

b) *Fabian. in epist. 2. ad omnes Orient. cap. 1.*

c) *Euseb. in epist. 3. ad Ep. Tusc. & Camp. & habetur de conf. dist. 5. c. Manu-*

d) *Dion. de Eccl. Hier. c. 6. 2.*

4. Sacri Doctores, qui hujus Sacramenti meminerunt.

Accedit præterea sanctorum Patrum consentiens auctoritas; inter quos (d) Dionysius Areopagita Athenarum Episcopus, cum doceret, qua ratione hoc sacrum unguentum conficere, eoque uti oporteret, *Ita,* inquit, *baptizatum Sacerdotes induunt veste congrua munditiæ, ut ad Pontificem ducant: ille vero sacro, atque prorsus divino unguento baptizatum signans,*

sacra-

sacratissimæ communionis participem facit, (a) Eusebius quoque Cæsarienſis tantum huic Sacramento tribuit, ut dicere non dubitarit, *Novatum Hæreticum Spiritum Sanctum promereri non potuisse, quia, cum baptizatus esset, in gravi ægritudine signaculo Chrismatis non est signatus.* Sed clarissima habemus hujus rei testimonia tum a D. Ambrosio in eo libro, quem de iis, qui initiantur, inscripsit, tum a Divo (b) Augustino in libris, quos adversus Petiliani Donatistæ epistolas edidit: quorum uterque adeo de hujus Sacramenti veritate nihil dubitari posse existimavit, ut eam scripturæ etiam locis doceat, ac confirmet. Quare alter quidem verba illa Apostoli (c) *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis*, Alter vero, quod in Psalmis legitur, (d) *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron*, tum illud ejusdem Apostoli, (e) *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, ad Confirmationis Sacramentum referri testatus est.

a) *Eusеb. lib. 6. Hist. Eccl. cap. 43. Hoc habetur ex epist. Cornelii Romani. D. Ambr. lib. de iis, qui myst. init. sup. 7. & lib. 1. de Spiritu Sancto. cap. 6.*

b) *D. Aug. lib. 2. cont. litt. Petil. cap. 104. & lib. 15. de Trin. cap. 26. Confirmatio verbi Dei authoritate confirmatur.*

c) *Eph. 4. 30.*

d) *Psal. 132. 2.*

e) *Rom. 5. 5. Conc. Flor. in Decr. de Sacr.*

5. Quæ sit Confirmationis, & Baptismi differentia.

Quamvis autem a Melchiade dictum sit, Baptismum Confirmationi maxime conjunctum esse, non idem tamen Sacramentum, sed ab altero longe disjunctum, existimandum est. Constat enim varietatem gratiæ, quam singula Sacramenta tribuunt, & rei sensibus subjectæ, quæ ipsam gratiam significat, efficere, ut varia quoque, & diversa Sacramenta sint. Cum igitur Baptismi gratia homines in novam vitam gignantur, Confirmationis autem Sacramen-

Unde distinctio Sacramentorum sit petenda. D Thom. in 3. p. q. 72. art. 1.

mento, qui jam geniti ſunt, viri evadant, (a) evacuatis, quæ erant parvuli, ſatis intelligitur, quantum in naturali vita generatio ab incremento diſtat, tantumdem inter ſe differre Baptiſmum, qui regenerandi vim habet, & Confirmationem, cujus virtute fideles augeſcunt, & perfectum animi robur aſſumunt. a) 1. Cor. 13. 11.

Præterea quoniam novum, atque diſtinctum Sacramenti genus conſtituendum eſt, ubi animus in novam aliquam difficultatem incurrit, facile perſpici poteſt, quemadmodum Baptiſmi gratia ad mentem fide informandam indigemus, ita etiam maxime conducere, fidelium animos alia gratia confirmari, ut nullo pœnarum, ſuppliciorum, mortis periculo, aut metu, a veræ fidei confeſſione deterreantur, Quod quidem cum ſacro Confirmationis Chriſmate efficiatur, ex eo aperte colligitur, hujus Sacramenti rationem a Baptiſmo diverſam eſſe. Quare Melchiades Pontifex utriuſque diſcrimen accurata oratione perſequitur, ita ſcribens: *In baptiſmate homo ad militiam recipitur, & in Confirmatione coarmatur ad pugnam: in fonte Baptiſmatis Spiritus Sanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam, Confirmatione autem perfectionem ad gratiam miniſtrat: in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum ad pugnam confirmamur: in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur: regeneratio per ſe ſalvat in pace Baptiſmum recipientes, Confirmatio armat, atque inſtruit ad agones.* Verum hæc jam non ſolum ab aliis Conciliis tradita, ſed præcipue a ſacra Synodo Tridentina decreta ſunt; ut jam de

Alia ratio differentiæ Baptiſmi, & Confirmationis, quæ ex D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 9. colligitur.

S. Melch. Pont. in epiſt. ad Epiſc. Hiſp. cuius verba hab. de conſ. diſt. 5. c. Spiritus Sanctus.

Concil. Load. can. 48. Meld. cap. 6. Florent. & Conſt. Synod. Trid. ſeſſ. 7. de Confirmat.

de iis non ſolum aliter ſentire, ſed ne dubitare quidem ullo modo liceat.

6. Quis Sacramenti Confirmationis ſit auctor.

Chriſtus Confirmationis auctor. D. Thom. in 3. p. q. 72. S. Fabian Pap. in init. epiſt. 2. qua eſt ad Ep. Orient.

Quoniam vero ſupra demonſtratum eſt, quam neceſſarium eſſet communiter de omnibus Sacramentis docere, a quonam ortum habuerint, idem etiam de Confirmatione tradere oportet, ut fideles hujus Sacramenti ſanctitate magis afficiantur. Igitur a Paſtoribus explicandum eſt, Chriſtum Dominum non ſolum ejus auctorem fuiſſe, ſed, ſancto Fabiano Pontifice Romano teſte, Chriſmatis ritum, & verba, quibus in ejus adminiſtratione Catholica Eccleſia utitur, præcepiſſe. Quod quidem iis facile probari poterit, qui Confirmationem Sacramentum eſſe confitentur, cum ſacra omnia myſteria humanæ naturæ vires ſuperent, nec ab alio, quam a Deo poſſint inſtitui. Jam vero quæ ſint ejus partes, ac primum quidem de materia dicendum eſt.

Omnia Sacramenta a Chriſto ſunt inſtituta. D. Thom. in 3. p. q. 64. art. 2. Ambr. lib. 4. de Sacramen. c. 4. De materia Confirmation. Aug. in Pſalm. 44. & lib. 13. de Trin. cap. 26. Quid ſit Chriſma apud ſacros auctores. Vide D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 2. Gregor. in 1. c. Cantic.

7. Quæ ſit ſacri hujus myſterii materia.

Hæc autem Chriſma appellatur; quo nomine a Græcis accepto, etſi profani ſcriptores quodlibet unguenti genus ſignificant, illud tamen, qui res divinas tradunt, communi loquendi conſuetudine ad illud tantummodo unguentum accommodarunt, quod ex oleo, & balſamo ſolemni Epiſcopi conſecratione conficitur. Quare duæ res corporeæ permixtæ Confirmationis materiam præbent: quæ quidem diverſarum rerum compoſitio, quemadmodum multiplicem Spiritus Sancti gratiam, quæ confirmatis tribuitur, declarat, ita etiam ipſius Sacramenti excellentiam ſatis oſtendit.

Quod

Quod autem ea sit hujus Sacramenti materia, cum sancta Ecclesia, & Concilia perpetuo docuerunt, tum a sancto Dionysio, & complurimis aliis gravissimis Patribus traditum est: in primisque a Fabiano Pontifice, qui Apostolos Chrismatis confectionem a Domino accepisse, nobisque reliquisse testatus est.

Conc. Laod. c. 48. & Carthag. II. c. 3. & III. c. 36. S. Dionys. de Eccl. Hier. cap. 2. & 4. Sanct. Fab. Pap. in 2. epist. ad Ep. Orient. & citatur de cons. dist. 3. c. lit. vestris.

8. Quid oleum in materia Confirmationis significet.

Significatio Chrismatis.

Neque vero ulla alia materia, quam Chrismatis, aptior videri poterat ad illud declarandum, quod hoc Sacramento efficitur. Oleum enim, quod pingue sit, & natura sua manet, ac diffluat, gratiæ plenitudinem exprimit, quæ per Spiritum Sanctum a Christo capite in alios redundat, atque effunditur, *sicut unguentum,* (a) *quod descendit in barbam Aaron, usque in oram vestimenti ejus:* (b) *Unxit enim eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis:* (c) *& de plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

Olei significatio ex Ambr. super Psal. 118. serm. 14. & lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3.

a) *Psal.* 132. 2.

b) *Psal.* 44. 8.

c) *Joan.* 1. 16.

9. Quid Balsamum oleo admixtum hic admoneat.

Significatio balsami.

Balsamum vero, cujus (d) odoratus jucundissimus est, quid aliud significat, quam fideles, cum Sacramento Confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut illud Apostoli queant dicere, (e) *Christi bonus odor sumus Deo?* Habet præterea Balsamum eam vim, ut, quicquid eo circumlitum fuerit, putrescere non sinat: quod quidem ad hujus Sacramenti virtutem significandam valde accommodatum videtur; cum plane constet, fidelium animos cœlesti gratia, quæ in Confirmatione tribuitur, præparatos, facile a scelerum contagione defendi posse.

d) *Eccl.* 24. 20.

e) 2. *Cor.* 2. 15.

10. *Cur*

10. Cur neceſſe ſit Chriſma ab Epiſcopo conſecrari.

Quando Chriſtus confectionem Chriſmatis docuerit.
S. Fabianus Papa in ep. ad.
D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 4.

Conſecratur autem Chriſma ſolemnibus cæremoniis ab Epiſcopo. Ita enim Salvatorem noſtrum docuiſſe in extrema Cœna, cum Chriſmatis conficiendi rationem Apoſtolis commendaret, Fabianus Pontifex ſanctitate, & Martyrii gloria clariſſimus tradidit. Quamquam cur ita fieri debuerit, ratione etiam oſtendi poteſt. Etenim in pleriſque aliis Sacramentis Chriſtus ita eorum materiam inſtituit, ut ſanctitatem quoque illi tribuerit. Non ſolum enim aquam elementum Baptiſmi eſſe voluit, cum inquit, (a) *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, ſed cum ipſe baptizatus eſt, effecit, ut ea deinceps vi ſanctificandi prædita eſſet. Quare dictum eſt a ſancto Chryſoſtomo, *Aqua Baptiſmi purgare peccata credentium non poſſet, niſi tactu Dominici corporis ſanctificata fuiſſet.* Quoniam igitur Dominus hanc Confirmationis materiam uſu ipſo, & tractatione non ſacravit, neceſſarium eſt, ut ſanctis, & religioſis precationibus conſecretur, neque ad alium ea confectio niſi ad Epiſcopum pertinere poteſt, qui ejuſdem Sacramenti ordinarius miniſter inſtitutus eſt.

a) *Joan. 3. 5.*

Chryſ. hom. 4. in Matth. Refertur de conſ. diſt. 4. cap. Numquam. Chriſtus non attactu corporis ſui, ſed verbis ſanctis materiam Confirmationis ſacrari voluit.

11. Quæ ſit hujus Sacramenti forma.

Sed explicanda erit præterea altera pars, ex qua Sacramentum conſtituitur, forma ſcilicet, & verba, quæ ad ſacram unctionem adhibentur; monendique fideles, ut in hoc Sacramento ſuſcipiendo, tunc maxime, cum ea pronunciari animadvertunt, ad pietatem, fidem, & religionem animos excitent, ne quid cœle-

cœlesti gratiæ impedimento esse possit. His igitur verbis forma Confirmationis absolvitur: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sed tamen si ad veritatem rationem quoque revocemus, idem facile probari potest. Etenim Sacramenti forma ea omnia continere debet, quæ ipsius Sacramenti naturam, & substantiam explicant.

Conc. Flor. in doctr. de Sacr. D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 4. Sacramenti cuiusque forma qualis esse debeat.

12. Hanc esse perfectam hujus Sacramenti formam, quomodo confirmetur.

Atqui maxime hæc tria in Confirmatione observanda sunt, divina potestas, quæ ut principalis causa in Sacramento operatur; tum robur animi, & spiritus, quod per sacram unctionem fidelibus ad salutem tribuitur; deinde signum, quo notatur is, qui in certamen Christianæ militiæ descensurus est. Ac primum quidem verba illa, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ extremo loco posita sunt: Alterum, ea, *Confirmo te Chrismate salutis*, quæ in medio sunt: Tertium, quæ in principio formæ locantur, *Signo te signo Crucis*, satis declarant. Quamquam, si etiam ratione aliqua probari non possit, hanc esse hujus Sacramenti veram, & absolutam formam, Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, cujus magisterio ita semper edocti fuimus, non patitur, nos ea de re quicquam dubitare.

Tria sunt in Confirmatione observanda D. Th. ib.

Confirmationis forma ex auctoritate Ecclesiæ retinenda.

13. Quis sit proprius Sacramenti minister.

Docere etiam Pastores debent, quibus potissimum hujus Sacramenti administratio commissa sit. Nam cum multi sint, (a) ut est apud Prophetam, qui currant, neque tamen mittan-

De ministro Confirmationis.

a) *Hier. 23. 21. Episcopi sole sunt ministri*

Confirmationis ſeſſ. 7. Conc. Trid. de Confirmatione c. 3. & ſeſſ. 23. de Sacr. Ord. c. 4. & can. 7.

tur ; neceſſe eſt, qui veri, & legitimi ejus miniſtri ſint, tradere, ut fidelis populus Confirmationis Sacramentum, & gratiam conſequi poſſit. Solum itaque Epiſcopum hujus Sacramenti conficiendi ordinariam poteſtatem habere ſacræ literæ oſtendunt. Nam in Actis Apoſtolorum legimus (a) cum Samaria verbum Dei accepiſſet, Petrum, & Joannem ad eos miſſos eſſe, *qui oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant.* Quo in loco licet videre, eum, qui baptizaverat, quod tantum eſſet Diaconus, confirmandi poteſtatem nullam habuiſſe, ſed munus illud perfectioribus miniſtris, hoc eſt Apoſtolis, reſervatum eſſe. Quin etiam (b) ubicunque ſacræ ſcripturæ hujus Sacramenti mentionem faciunt, idem obſervari poteſt.

a) *Act.* 8. 14. 15. 16. 17.

b) *Act.* 19.

14. Idem etiam Pontificum Maximorum decretis oſtenditur.

Neque ad eam rem demonſtrandam deſunt ſanctorum Patrum, atque Pontificum, (c) Urbani, (d) Euſebii, (e) Damaſi ; (f) Innocentii, (g) Leonis, clariſſima teſtimonia, quemadmodum ex eorum decretis perſpicuum eſt. D. quoque (h) Auguſtinus graviter queritur de corrupta Ægyptiorum, & Alexandrinorum conſuetudine, quorum Sacerdotes audebant Confirmationis Sacramentum adminiſtrare. Ac jure quidem hoc factum eſſe, ut ejuſmodi munus ad Epiſcopos deferretur, hac ſimilitudine poſſunt Paſtores declarare. Ut enim in extruendis ædificiis, etſi fabri, qui inferiores miniſtri ſunt, cœmenta, calcem, ligna, & reliquam mate-

c) *In fine epiſt. ad omnes Chriſtianos.*

d) *Ep. 3. ad Epiſc. Tuſciæ, & Campaniæ.*

e) *Circa medium Ep. 4. ad Proſp. & cat. Epiſc. orthod.*

f) *Epiſt. 1. ad Veren. cap. 3.*

g) *Epiſt. 88. ad Germanic. & Galliæ Epiſc.*

h) *Aug. in qu. novi Teſtam. qu. 12.*

materiam parant, atque componunt, absolutio tamen operis ad architectum spectat: ita etiam hoc Sacramentum, quo veluti spirituale ædificium perficitur, a nullo alio, nisi a summo sacerdote, administrari opus erat.

15. Cur in Confirmatione Patrini assumantur, & quæ in Confirmatione affinitas contrahatur.

Additur vero etiam Patrinus, quemadmodum in Baptismo fieri demonstratum est. Nam si qui gladiatoriam dimicationem subeunt, alicujus indigent, cujus arte, & consilio doceantur, quibus ictibus, ac petitionibus, salvis ipsis, conficere adversarium possint, quanto magis fideles, cum Sacramento Confirmationis, quasi firmissimis armis tecti, ac muniti, in spirituale certamen, cui æterna salus proposita est, descendunt, ducis, ac monitoris indigebunt? Recte igitur ad hujus quoque Sacramenti administrationem Patrini advocandi sunt, quibuscum eadem spiritualis affinitas conjungitur, quæ legitima nuptiarum fœdera impedit, quemadmodum ante docuimus, cum de Patrinis ageretur, qui ad Baptismum adhibendi sunt.

De Patrinis in Confirmatione agitur 30. qu. 1. c. Si quis, & de conf. dist. 4. cap. in Catechismo.

In Confirmatione quanta affinitas contrahatur. Sess. 24. Concil. Trid. de reform. Matrim. c. 2. Vide idem in 6. de cogna. spirit. cap. Nedum, & cap. Quamvis.

16. Confirmationis Sacramentum non est absolute necessariam, non tamen prætermittendum.

Sed quoniam sæpe evenit, ut fideles in hoc Sacramento suscipiendo, aut præpropera festinatione, aut dissoluta quadam negligentia, & cunctatione utantur, (nam de iis, qui ad eum impietatis gradum venerunt, ut illud contemnere, & aspernari audeant, nihil est, quod dicamus) aperiendum est etiam Pastoribus, qui, qua ætate, quo pietatis studio præditi esse debeant, quibus Confirmationem dare oportet.

Confirmationis Sacramentum quibus dandum sit. D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 8. extendit.

Atque illud in primis docendum est, hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen prætermitti debet, sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.

17. *Confirmationis Sacramentum ab omnibus suscipiendum demonstratur.*

Ac sanctus quidem Lucas, cum admirabilem illam Spiritus Sancti effusionem describeret, ita inquit: (a) *Et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum.* Deinde, paucis interjectis, (b) *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Ex quibus verbis licet intelligere, quoniam domus illa sanctæ Ecclesiæ figuram, & imaginem gerebat, ad omnes fideles Confirmationis Sacramentum, cujus initium ab eo die ductum est, pertinere. Atque id etiam ex ipsius Sacramenti ratione facile colligitur, illi enim sacro Chrismate confirmari debent, quibus spirituali incremento opus est, & qui ad perfectum Christianæ religionis habitum perducendi sunt. At nulli id non maxime convenit. Ut enim hoc spectat natura, ut qui in lucem eduntur, adolescant, atque ad perfectam ætatem perveniant, etiamsi interdum, quod vult, minus assequatur; ita communis omnium mater Catholica Ecclesia vehementer optat, ut in iis, quos per Baptismum rege-

a) *Act. 2. 2.*

b) *Ibidem 4. Ecclesiæ Christi clarum initium, Eccles. 2. Filii accedens ad servitutem Dei &c.*

Sacramento Confirmationis Christiani hominis forma perfecte absolvitur.

regeneravit, Christiani hominis forma perfecte absolvatur. Id autem quoniam mysticæ unctionis Sacramento efficitur, perspicuum est, eam ad universos fideles æque pertinere.

18. Qua ætate Christiani ad hoc Sacramentum admittendi.

In quo illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare, si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit. Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed ut ejus virtute optime instructi, & parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset: ad quod sane pugnæ genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse judicarit.

Ad hoc facit caput. 3. Aurelian. Concil. quod habetur de conf. dist. 5. c. Ut Jejuni.

19. Quo pacto, qui jam ætate sunt provectiores, se ad hoc Sacramentum præparare debeant.

Ex his igitur efficitur, ut, qui adulta jam ætate confirmandi sunt, siquidem hujus Sacramenti gratiam, & dona consequi cupiant, eos non solum fidem, & pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, quæ admiserunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re elaborandum est, ut peccata etiam prius confiteantur, & Pastorum cohortatione ad jejunia, & alia pietatis opera suscipienda incitentur, admoneanturque laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem renovandam esse, ut non nisi jejuni hoc Sacramentum susciperent: quod quidem fidelibus facile persuaderi posse existimandum est, si hu-

Confirmandos peccatorum commissorum pœniteat, ex D. Th. in 3. p. q. 72. art. 7. ad secundum. & confirmatur ex cap. Ut Jejuni de conf. dist. 5.

Conc. Aurelia. cap. 3.

jus Sacramenti dona, admirabileſque effectus intellexerint.

20. Quot ſunt Confirmationis effectus.

De Confirmationis effectibus vide D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 7. Conc. Flor. in doctrina de Sacrament. Eſſe in gratia, & manere in peccato repugnant. Clem. Ep. 4. ad Julium Melchiadem Papa in Ep. ad Epiſc. Hiſp.

Itaque Paſtores docebunt, Confirmationem hoc cum cæteris Sacramentis commune habere, ut, niſi impedimentum aliquod ex parte ejus, qui recipit, inferatur, novam gratiam tribuat. Etenim hæc ſacra, & myſtica ſigna ejuſmodi eſſe demonſtratum eſt, quæ gratiam declarant, atque efficiunt. Ex quo ſequitur, ut peccata etiam condonet, ac remittat; quoniam gratiam ſimul cum peccato ne fingere quidem nobis licet. Sed præter hæc, quæ cum aliis communia cenſenda ſunt, primum quidem illud proprie Confirmationi tribuitur, quod Baptiſmi gratiam perficit. Qui enim per Baptiſmum Chriſtiani effecti ſunt, (a) quaſi infantes modo geniti teneritatem adhuc, & mollitiem quandam habent, ac deinde Chriſmatis Sacramento adverſus omnes Carnis, Mundi, & Diaboli impetus robuſtiores fiunt; & eorum animus in fide omnino confirmatur ad confitendum, & glorificandum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti: ex quo etiam nomen ipſum inventum eſſe nemo dubitarit.

a) 1. Pet. 2. 2.

21. Confirmationis nomen unde ductum ſit.

Ratio nominis initio huius capitis propoſita hic illuſtratur. Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. de Confirm.

Neque enim, ut quidam non minus imperite, quam impie finxerunt, Confirmationis vocabulum ab eo deducitur, quod olim qui infantes baptizati erant, cum jam adulti eſſent, ad Epiſcopum adducebantur, ut fidem Chriſtianam, quam in Baptiſmo ſuſceperant, confirmarent; ita ut Confirmatio nihil a Catecheſi differre videatur; cujus conſuetudinis nullum pro-

probatum teſtimonium afferri poteſt: ſed ab eo nomen rei impoſitum eſt, quod hujus Sacramenti virtute Deus in nobis (a) id confirmat, quod Baptiſmo operari cœpit; noſque ad Chriſtianæ ſoliditatis perfectionem adducit. Nec vero confirmat ſolum, ſed auget etiam: de quo Melchiades ita teſtatur: *Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam.* Deinde non auget modo, ſed admirabili quadam ratione auget. Hoc autem pulcherrime indumenti translatione Scriptura ſignificavit, & expreſſit. Inquit enim Dominus Salvator, cum de hoc Sacramento loqueretur: (b) *Sedete in civitate quoad uſque induamini virtute ex alto.*

a) *Pſal.67.29.*

Melchiades loco ſupra citato, & habetur de conſecr. diſt. 5. cap. Spiritus, & Euſebius Emiſſen. in hom. in die Pentecoſt.

b) *Luc.24. 49.*

22. Virtus Confirmationis ex his, quæ Apoſtolis evenerunt, declaranda.

Quod ſi Paſtores voluerint divinam hujus Sacramenti efficientiam oſtendere, (hoc vero ad commovendos fidelium animos maximam vim habiturum eſſe dubitari non poteſt) ſatis erit, quid ipſis Apoſtolis evenerit, explicare. Illi enim ante paſſionem, vel ſub ipſam paſſionis horam adeo infirmi, & remiſſi fuerunt, (c) ut, cum Dominus comprehenſus eſt, ſtatim ſe in fugam conjecerint: Petrus vero, (d) qui Eccleſiæ petra, & fundamentum deſignatus erat, (e) & ſummam conſtantiam, excelſique animi magnitudinem præſetulerat, (f) unius mulierculæ voce perterritus, ſe Jeſu Chriſti diſcipulum eſſe non ſemel, aut iterum, ſed tertio negaverit: ac poſt reſurrectionem omnes (g) propter metum Judæorum incluſi domi ſe conti-

c) *Matt.26.56*

d) *Matt.16.18*

e) *Matt.26.70*

f) *Joan.18.25.*

g) *Joan.20.19.*

nuerint. At vero in die Pentecoſtes tanta Spiritus Sancti virtute omnes repleti ſunt, ut, (a) dum Evangelium, quod eis commiſſum erat, non ſolum in Judæorum regione, ſed in univerſo orbe audacter, & libere diſſeminarent, nihil ſibi felicius accidere poſſe exiſtimaverint, quam (b) quod digni haberentur, qui pro Chriſti Nomine contumeliam, vincula, tormenta, Cruces perferrent.

a) *Act.* 2. 14. 15. & 4. 13.

b) *Act.* 5. 41.

23. Confirmatio Characterem imprimit, & iterari non poteſt.

Confirmationis character.

c) *Eph.* 1. 13.

d) *Concil. Tarrac. cap.* 10. *& habetur de conſ. diſt.* 5. *c. Dictum eſt.*

Gregorius III. ep. 4. *& habetur ibidem. c. de homine.*

D. Thom. in 3. *p. qu.* 72. *art.* 5. *de ritibus Confirmationis.*

Habet præterea Confirmatio eam vim, (c) ut characterem imprimat; quo fit, (d) ut nulla unquam ratione iterari poſſit: quod etiam in Baptiſmo ſupra obſervatum eſt; ac de Sacramento Ordinis quoque ſuo loco planius exponetur. Hæc igitur ſi a Paſtoribus ſæpe, & accurate explicata erunt, vix fieri poterit, quin fideles, cognita hujus Sacramenti dignitate, atque utilitate, illud ſumma cum diligentia ſancte, & religioſe ſuſcipere ſtudeant. Reſtat nunc, ut aliqua etiam de ritibus, & cæremoniis, quibus in hoc Sacramento adminiſtrando Catholica Eccleſia utitur, breviter perſtringantur; quæ explicatio quanto uſui futura ſit, Paſtores intelligent, ſi, quæ antea dicta ſunt, cum hic locus tractaretur, repetere voluerint.

24. Quare eorum, qui confirmantur, frons ad modum Crucis inungatur.

Frons quare ungatur. De conſec. diſt. 5. *c. Noviſſime. Aug. in Pſal.* 141. *Alex. de Ales* 4. *par. qu.* 28. *memb.* 6.

Qui igitur confirmantur, ſacro Chriſmate in fronte unguntur. Nam hoc Sacramento Spiritus Sanctus in animos fidelium ſeſe infundit, in eiſque robur, & fortitudinem auget, ut in ſpirituali certamine viriliter pugnare, & ne-

quiſ-

quissimis hostibus resistere queant. Quocirca declaratur, eos nullo metu, aut verecundia, quarum affectionum signa maxime in fronte solent apparere, a libera Christiani nominis confessione absterrendos esse. Præterea nota illa, qua Christianus a cæteris veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in illustriori corporis parte imprimenda erat. D. Thom. in 3. p. q. 72. art. 9.

25. Quo potissimum tempore hoc Sacramentum conferatur.

Sed illud quoque solemni religione in Ecclesia Dei servatum est, ut in Pentecoste præcipue hoc Sacramentum administraretur; quod hoc maxime die (a) Apostoli Spiritus Sancti virtute roborati, & confirmati sunt, cujus divini facti recordatione fideles admonerentur, quæ, quantaque mysteria in sacra unctione cogitanda essent. *Pentecostes tempore præcipue administratur.* a) Act. 2. 2. 3.

26. Cur Episcopus alapam infligat, & pacem confirmato imprecetur.

Deinde vero, qui jam unctus, & confirmatus est, ut meminerit se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab Episcopo cæditur. Postremo autem pax ei datur, ut intelligat, se gratiæ cœlestis plenitudinem, (b) & pacem, quæ exuperat omnem sensum, consecutum esse. Atque hæc summa eorum sit, quæ de Chrismatis Sacramento a Pastoribus, non tam quidem nudis verbis, & oratione, quam inflammato quodam pietatis studio explicanda sunt, ut ea in animis, intimisque fidelium cogitationibus inferere videantur. *Alapa quid significet. Matth. 5. Si quis te percusserit &c.* *Pacis imprecatio.* b) Phil. 4. 7.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CAPUT IV.

1. Quare mysteria Eucharistiæ summa cum reverentia tractari, & suscipi debeant.

Sacramentum Eucharistiæ omnium est Sacramentorum maximum Dion. in lib. de Eccl. Hierarc. cap. 5. Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 6. Alexander Papa Ep. 1. & habetur de cons. dist. 2. cap. Nihil.

Quemadmodum ex omnibus sacris mysteriis, quæ nobis tanquam divinæ gratiæ certissima instrumenta Dominus Salvator noster commendavit, nullum est, quod cum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento comparari queat: ita etiam nulla gravior alicujus sceleris animadversio a Deo metuenda est, quam si res omnis sanctitatis plena, vel potius quæ ipsum sanctitatis auctorem, & fontem continet, neque sancte, neque religiose a fidelibus tractetur. Id vero Apostolus & sapienter vidit, & de eo nos aperte admonuit. Nam cum declarasset, quanto illi scelere obstricti essent, qui corpus Domini non dijudicarent, statim subjecit: (a) *Ideo inter vos multi infirmi; & imbecilles, & dormiunt multi.* Ut igitur fidelis populus, cum cœlesti huic Sacramento divinos honores tribuendos esse intellexerit, & gratiæ uberes fructus capiat, & justissimam Dei iram effugiat, illa omnia a Pastoribus diligentissime exponenda erunt, quæ ejus majestatem magis illustrare posse videantur.

In Eucharistia irreverentia quantum sit peccatum.

a) 1. Cor. 11. 30.

2. Qua de causa, & quando Eucharistiæ Sacramentum sit institutum.

Qua in re opus erit, ut, (b) Pauli Apostoli

b) 1. Cor. 11. 23.

ratio-

rationem secuti, qui se, quod a Domino acceperat, Corinthiis tradidisse professus est, in primis hujus Sacramenti institutionem fidelibus explicent. Ita vero gestam rem esse, ex Evangelista perspicue colligitur, (a) *Cum* enim *Dominus dilexisset suos, in finem dilexit eos*: cujus quidem amoris ut divinum aliquod, atque admirabile pignus daret, *sciens horam jam advenisse, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem*, (b) ne ullo unquam tempore a suis abesset, inexplicabili consilio, quod omnem naturæ ordinem, & conditionem superat, perfecit. Etenim, (c) celebrata cum discipulis agni Paschalis cœna, ut figura veritati, umbra corpori cederet, panem accepit, Deoque gratias agens benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & dixit (d) *Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter & calicem accepit, postquam cœnavit, dicens: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.*

De institutione Sacramenti Eucharistiæ.
Sess. 13. Concil. Trid. de Eucharistia cap. 2. 1.

a) *Joan. 13. 1. Causa institutionis.*
Chrys. hom. 41. in Joan.

b) *Matth. 28. 20.*

c) *Luc. 22. 19. Tempus institutionis.*
Leo serm. 7. de Passione Domini, & habetur de cons. dist. 4. c. Quia corpus.
D. Thom. in 3. p. q. 73. art. 5.

d) *Luc. 22. 20. Marc. 14. 22. 1. Cor. 11. 24. 25.*

3. Cur hoc Sacramentum Eucharistia vocetur.

Hujus ergo admirabilis Sacramenti dignitatem, atque excellentiam, cum sacri Scriptores fieri nullo modo posse intelligerent, ut uno vocabulo demonstrarent, pluribus eam nominibus exprimere conati sunt. Interdum enim *Eucharistiam* appellant; quod verbum vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem Latine reddere possumus. Ac recte quidem bona gratia dicendum est: tum quia vitam æternam, de qua scriptum est, (e) *Gratia Dei, vita æterna*, præsignificat, tum quia Christum Domi-

Dignitas Sacramenti pluribus vocabulis explicatur.
Eucharistia ejus dicatur.
Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. sup. illud: Calix benedictionis.
D. Thom. in 3. p. q. 73. art. 4.

e) *Rom. 6. 23.*

minum, (a) qui vera gratia, atque omnium charismatum fons est, in se continet. Nec vero minus apte gratiarum actionem interpretamur: (b) siquidem cum hanc purissimam hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus, atque in primis pro ejus gratiæ tam excellenti bono, quam nobis hoc Sacramento tribuit. Sed id ipsum etiam nomen cum iis, quæ a Christo Domino gesta esse in hoc mysterio instituendo legimus, optime convenit. Etenim (c) Panem accipiens fregit, ac gratias egit. David quoque cum hujus mysterii magnitudinem contemplaretur, antequam carnem illud pronuntiaret, (d) *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*, gratiarum actionem præponendam existimavit, cum inquit, (e) *Confessio, & magnificentia opus ejus.*

a) *Joan. 1. 14. Ambr. lib. 5. de Sacram. cap. 3. Magist. in 4. dist. 8. lit. a.*

b) *Orig. lib. 8. contra Celsum.*

c) *Matth. 26. 26. 27. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24.*

d) *Psal. 110. 4.*

e) *Ibidem 3. Conc. Nicæn. cap. 14.*

4. *Quare hoc Sacramentum Communio, pacis, & charitatis Sacramentum nominetur.*

Frequenter etiam nomine *sacrificii* declaratur; de quo mysterio paulo post latius dicendum erit. Vocatur præterea *Communio*, quod verbum ex illo Apostoli loco sumptum esse liquet, ubi ait: (f) *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Nam, (g) ut Damascenus explanavit, *hoc Sacramentum Christo nos copulat, atque ejus carnis, & Deitatis participes efficit, nosque inter nos in eodem Christo conciliat, ac conjungit, & veluti unum corpus coagmentat.* Ex quo factum est, (h) ut *Sacramentum etiam pacis, & charita-*

Communio cur nominetur.

f) *1. Cor. 10. 16.*

g) *Dam. lib. 4. orth. fid. cap. 4.*

h) *Aug. tract. 26. in Joan sess.*

ritatis diceretur: ut intelligeremus, quam indigni sint Christiano nomine, quo inimicitias exercent; odiaque, dissidia, & discordias, ut teterrimas fidelium pestes, omnino exterminandas esse: cum præsertim quotidiano religionis nostræ sacrificio, nihil nos studiosius servare, quam pacem, & charitatem profiteamur.

13. *Conc. Trid. de Eucharistia in præfatione; Concil. Nic. cap. 11. & Carthag. 4. c. 77. & 78.*

5. Qua ratione idem Sacramentum Viaticum, & Cœna dicatur.

Sed *Viaticum* etiam frequenter a sacris scriptoribus appellatur; tum quia spiritualis cibus est, quo in hujus vitæ peregrinatione sustentamur; tum quia viam nobis ad æternam gloriam, & felicitatem munit. Quare ex veteri Ecclesiæ Catholicæ instituto servari videmus, ut nemo fidelium sine hoc Sacramento e vita excedat. Ac vetustissimi quidem Patres (a) Apostoli auctoritatem secuti, Cœnæ etiam nomine sacram Eucharistiam interdum vocarunt, quod in illo novissimæ cœnæ salutari mysterio a Christo Domino sit instituta.

Exod. 12. 3. Reg. 19. Matth. 15. Marc. 8.

a) *1. ad Cor. 11. Cœna a Cypr. hoc Sacramentum dicitur in lib. de cœna Domini.*

6. Eucharistia, cibo, aut potu sumpto, confici, & sumi non potest.

Neque vero propterea a cibo, aut potione Eucharistiam conficere, aut sumere licet; quod ab Apostolis salutariter introducta consuetudo, quemadmodum veteres scriptores memoriæ prodiderunt, perpetuo retenta, ac servata est, ut a jejunis tantum perciperetur.

7. Eucharistia veri Nominis Sacramentum est.

Sed, explicata nominis ratione, docendum erit, hoc verum esse Sacramentum, atque unum ex illis septem, quæ sancta Ecclesia semper religiose coluit, ac venerata est. Nam cum cali-

Sess. 13. Conc. Trid. de Euch. cap. 3. Aug. lib. 3. de Trin. cap. 4. & lib. 20. contra Faust. cap. 3.

Ambr. lib. 2. offic. c. 28. lib. 1. de Sacrament. cap. 2. vide item D. Thom. in 3. p. q. 73. art. 1.

calicis Consecratio fit, *mysterium* fidei appellatur. Præterea, ut infinita pene sacrorum Scriptorum testimonia omittamus, qui hoc inter vera Sacramenta numerandum esse perpetuo censuerunt, ex ipsa ratione, & natura Sacramenti idem convincitur. Etenim in eo signa sunt externa, & sensibus subjecta: habet deinde gratiæ significationem, & efficientiam: præterea de Christi institutione (a) neque Evangelistæ, neque (b) Apostolus dubitandi locum relinquunt. Quæ omnia cum in unum conveniant ad Sacramenti veritatem confirmandam, nullis aliis argumentis opus esse perspicitur.

a) *Matt.* 26. 26 *Luc.* 22. 19. *Marc.* 14. 22.

b) 1. *Cor.* 11. 24. 25.

3. Multa esse in hoc Sacramento, quibus Sacramenti nomen conveniat.

Sed illud Pastoribus diligenter observandum est, multa in hoc mysterio esse, quibus aliquando Sacramenti nomen sacri Scriptores tribuerunt. Interdum enim & Consecratio, & Perceptio, frequenter vero & ipsum Domini corpus, & sanguis, qui in Eucharistia continetur, Sacramentum vocari consuevit. Ait enim D. Augustinus, Sacramentum hoc duobus constare, visibili scilicet elementorum specie, & invisibili carne, & sanguine ipsius Domini nostri Jesu Christi. Atque ad eundem modum hoc Sacramentum adorandum esse, nimirum Corpus, & Sanguinem Domini intelligentes, affirmamus. Verum hæc omnia minus proprie dici Sacramenta, perspicuum est. Ipsæ autem panis, & vini species veram, & absolutam hujus nominis rationem habent.

Aug. de catech. rud. lib. 5. c. 16. Eucharistia adoranda. Sess. 13. Concil. Trid. de Euchar. cap. 5. ib. can. 6.

Euchar. species proprie dicuntur Sacramentum. Scot. in 4. dist. 8. qu. 2.

9. Quomodo differat Eucharistia a reliquis omnibus Sacramentis.

Sed quantum hoc Sacramentum a reliquis omnibus differat, facile colligitur. Nam cætera Sacramenta materiæ usu perficiuntur, dum scilicet alicui administrari ea contingit. Baptismus enim Sacramenti naturam tunc adipiscitur, cum re ipsa homo aqua abluitur. At vero ad Eucharistiæ perfectionem satis est ipsius materiæ Consecratio; verum enim Sacramentum esse non desinit, quamvis in pyxide asservetur. Deinde in conficiendis aliis Sacramentis nulla fit materiæ, atque elementi in aliam naturam mutatio, etenim Baptismi aqua, aut Chrismatis oleum, cum illa Sacramenta administrantur, priorem aquæ, & olei naturam non amittunt: in Eucharistia vero, quod panis, & vinum ante Consecrationem erat, confecta Consecratione, vere est corporis, & sanguinis Domini substantia.

Sess. 13. Concil. Trid. de Euchar. cap. 2. & can. 4. Hac differentia colligi potest ex August. in 3. lib. de Trin. cap. 4. & Ambr. lib. 4. de Sacr. c. 4. ut habetur de cons. dist. 4. cap. Panis est. Vide item D. Thom. in 3. p. q. 73. art. 1. ad 3tium.

10. Duplex Eucharistiæ materia duo Sacramenta non constituit.

Licet autem duo sint elementa, panis scilicet, & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiæ auctoritate docti confitemur. Aliter enim septenarius Sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque a Conciliis (a) Lateranensi, Florentino, & Tridentino decretum est, constare non poterit. Nam cum hujus Sacramenti gratia unum corpus mysticum efficiatur, ut Sacramentum ipsum rei, quam efficit, conveniat, unum esse oportet, atque unum quidem,

Unum Eucharistia Sacram. non duo. Vide D. Thom. in 3. p. q. 73. art. 2.

a) *Lateranense Concilium non recenset septem Sacramenta; ex eo tamen in cap. 1. & aliis colligi possunt. sicut ex cap. ad Abolendam tit. de hæreticis.*

Concilium autem Florent. in doctrina de Sacram. & Trid. sess. 7. can. 1. Definiunt.

dem, non quia individuum sit, sed quia unius rei significationem habeat. Nam quemadmodum cibus, & potio, quæ duæ diversæ res sunt, ad unam tantum rem adhibentur, ut scilicet vires corporis reficiantur: ita etiam duas illis diversas Sacramenti species respondere consentaneum fuit, quæ cibum spiritualem significarent, quo mentes sustinentur, & recreantur. Quare a Domino Salvatore dictum est,

a) *Joan. 6. 56.* (a) *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Sed diligenter explicandum est, quid Eucharistiæ Sacramentum significet, ut fideles sacra mysteria oculis intuentes, simul etiam divinarum rerum contemplatione animum pascant.

Eucharistiæ Sacramentum tria significat mysteria. D. Thom. ea qu. 4. 4.

11. Quarum rerum significatio hoc Sacramento includatur.

Tria vero sunt, quæ nobis hoc Sacramento indicantur. Primum est Christi Domini passio, quæ jam præteriit, ipse enim decuit, (b) *Hoc facite in meam commemorationem:* & Apostolus testatus est: (c) *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Alterum est divina, & cœlestis gratia, quæ præsens ad animam alendam, & conservandam hoc Sacramento tribuitur, Quemadmodum enim Baptismo in novam vitam gignimur, Confirmatione roboramur, ut Satanæ repugnare, & palam Christi nomen profiteri possimus: ita Eucharistiæ Sacramento alimur, ac sustentamur. Tertium est, quod futurum prænuntiat, æternæ jucunditatis, & gloriæ fructus, quos in cœlesti patria ex Dei promissione capiemus. Hæc igitur tria,

Primum præteritum.

b) *Luc. 22. 19.*

c) *1. Cor. 11. 26.*

Secundum præsens. Ter. in lib. de resur. carn. Conc. Flor. in Doct. de Sacram.

Tertium futurum.

quæ

quæ instantis, præteriti, & consequentis temporis varietate distingui perspicuum est, sacris mysteriis ita significantur, ut totum Sacramentum, quamvis ex diversis speciebus constet, ad singula horum declaranda, tanquam ad unius rei significationem, referatur.

12. *Quæ sit hujus Sacramenti materia, & cujusmodi panis sit consecrandus.*

Sed in primis cognoscenda est a Pastoribus hujus Sacramenti materia, tum ut ipsi rite illud possint conficere, tum etiam ut fideles admoneantur, cujus rei symbolum sit, atque ejus rei, quam significat, studio, & desiderio exardescant. Duplex itaque est hujus Sacramenti materia; altera panis ex tritico confectus, de qua primo agetur: de altera postea dicendum erit. Nam, ut docent Evangelistæ, (a) Matthæus, (b) Marcus, & (c) Lucas, Christus Dominus panem in manus accepit, benedixit, & fregit, dicens, *Hoc est Corpus meum.* Apud Joannem quoque idem Salvator noster seipsum panem appellavit, cum inquit, (d) *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Cum autem varia sint panis genera, vel quia materia differunt, ut cum alius ex tritico, alius ex hordeo, aut ex leguminibus, cæterisque terræ fructibus confectus est; vel quia diversis qualitatibus præditi sunt, (uni enim fermentum additur, alter vero fermenti omnino expers esse potest,) quod ad primum attinet, Salvatoris verba ostendunt, panem ex tritico confici oportere. Communi enim loquendi consuetudine, cum panis absolute dicitur, panem ex tritico intelligi satis constat. Id etiam veteris testa-

Materia Eucharistia duplex. *Alex. 1. in Ep. ad omnes orth. 1. cap. 4. & hab. de Conf. dist. 2. cap. 1. Damasc. lib. 4. de orthod. fide cap. 14.*

a) *Matth. 26. 26.*
b) *Marc. 14. 22.*
c) *Luc. 22. 19.*

d) *Joan. 6. 41.*

Panis triticeus est propria hujus Sacramenti materia. *D Thom. in 3. p. q. 74. art. 3.*

Alex. de Ales 4. p. q. 32. mem. 2.

a) *Lev.24.5.6.* menti figura declaratur. (a) Præceptum enim a Domino fuerat, ut Panes Propoſitionis, qui hoc Sacramentum ſignificabant, ex ſimila conficerentur.

13. Panem, ex quo Euchariſtia conficitur, azymum eſſe conveniens eſt.

Honorius 3. Brixienſi Epiſc. ut habetur de celeb. miſſar. cap. ſin. & D. Thom. in 3. p. q. 74. art. 4.

Sed quemadmodum nullus panis, niſi triticeus, apta ad Sacramentum materia putandus eſt: (hoc enim Apoſtolica traditio nos docuit, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritas firmavit) ita etiam ex iis, quæ Chriſtus Dominus geſſit, azymum eſſe debere, facile intelligitur. Ipſe

b) *Matth. 26. 17. Marc. 14. 12. Luc. 22. 7.* enim (b) primo Azymorum die, (c) quo nihil

c) *Exod.12.19.* fermentati domi habere Judæis licebat, hoc Sacramentum confecit, atque inſtituit.

Quod ſi quis Joannis Evangeliſtæ auctori-

d) *Joan. 13. 1. Scot. 4. diſt. 11. qu. 6. Alex. de Ales 4. p. q. 32. mem. 3. ad argum.* tatem opponat, qui hæc omnia (d) ante diem feſtum Paſchæ acta eſſe commemorat, ea ratio facile diſſolvi poteſt. Etenim, quem primum Azymorum diem cæteri Evangeliſtæ appellarunt, quod feria quinta veſperi dies feſti Azymorum inciperent, quo tempore Salvator noſter Paſcha celebravit, eum ipſum diem Joannes pridie Paſchæ fuiſſe deſcribit, ut qui diei naturalis ſpatium, quod ab oriente Sole inchoatur, in primis notandum exiſtimarit.

D. Chryſ. hom. 83. in Matth. Quapropter D. etiam Chryſoſtomus primum Azymorum diem interpretatur eum diem, quo ad veſperam Azyma comedenda eſſent. Sed azymi panis Conſecratio, quantum conveniat integritati, & mentis munditiæ, quam fideles ad hoc Sacramentum afferre debent, ab Apo-

c) *1. Cor. 5. 7. 8.* ſtolo docemur, cum inquit: (e) *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicuti eſtis azy-*

azymi: etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.

14. Panis azymus ad Eucharistiam non omnino necessarius.

Neque tamen ea qualitas adeo necessaria existimanda est, ut, si illa pani desit, Sacramentum confici non possit. Utrumque enim panis genus veram, & propriam panis rationem, & nomen habet. Quamquam nemini licet private auctoritate, vel potius temeritate, laudabilem Ecclesiæ suæ ritum immutare. Atque eo minus id facere Latinis Sacerdotibus permissum est, quibus præterea Pontifices Maximi præceperunt, ut ex azymo tantum sacra mysteria conficerent. Atque hæc de altera hujus Sacramenti materia exposuisse satis sit: in quo tamen illud animadvertendum est, quam multa materia ad Sacramentum conficiendum uti oporteat, definitum non esse; cum illorum etiam certus numerus definiri nequeat, qui aut possint, aut debeant sacra mysteria percipere.

Eucharistia in pane fermentato confici posset, sed non licet. Concil. Florent. Sess. ultim. lib. 3. decret. de celeb. miss. cap. final.

Quam multa materia consecrari debeat, non est definitum.

15. Quæ materia sit usurpanda ad consecrationem sanguinis Domini.

Superest, ut de altera hujus Sacramenti materia, & elemento dicatur. Est autem vinum ex vitis fructu expressum, cui modicum aquæ permixtum sit. Nam Dominum Salvatorem vino in hujus Sacramenti institutione usum esse, Catholica Ecclesia semper docuit, cum ipse dixerit (a) *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum.* Quo in loco Chry-

Vinum vitis aqua mixtum ad consecrationem sanguinis necessarium est.

a) *Matth. 26. 29. Marc. 14. 25.*

S. Chryſ. hom. 83. in cap. 25. Matt. Conc. Flor. Carth. III. cap. 24. Aqua ſola in hoc Sacramento non eſt conſecranda. S. Cyp. lib. 2. epiſt. ad Cæcilium.

ſoſtomus, *De genimine*, inquit, *vitis, quæ certe vinum, non aquam produxit :* ut tanto ante illorum hæreſim, qui aquam ſolam in hiſce myſteriis adhibendam cenſuerunt, convellere videretur.

16. Aqua in Sacramento vino eſt admiſcenda.

Aquam vero Dei Eccleſia vino ſemper admiſcuit : Primum quod id a Chriſto Domino factum eſſe Conciliorum auctoritate, & ſancti Cypriani teſtimonio comprobatur. Deinde, a) quod ſanguinis, & aquæ, (a) quæ ex ejus latere exierunt, hac permixtione memoria renovatur. Tum vero aquæ, ut in (b) Apocalypſi legimus, populum deſignant, quare aqua vino admixta, fidelis populi cum Chriſto capite conjunctionem ſignificat. Atque hoc ex Apoſtolica traditione perpetuo ſancta Eccleſia ſervavit.

a) Joan. 19. 34.

b) Apoc. 17. 15. Ambr. lib. 5. de Sacram. cap. 1. Dam. lib. 4. c. 14.

17. Non eſt neceſſarium abſolute aquam adhiberi : & minor aquæ, quam vini quantitas eſſe debet.

Cypr. lib. 2. ep. 63. ad Cæcilium. D. Thom. q. ead. art. 6.

Sed quamvis aquæ admiſcendæ rationes ita graves ſint, ut eam ſine mortali peccato prætermittere non liceat ; ea tamen ſi deſit, Sacramentum conſtare poteſt. Illud autem Sacerdotibus animadvertendum eſt, ut quemadmodum in ſacris myſteriis aquam vino adhibere oportet, ſic etiam modicam infundendam eſſe. Nam Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia, & judicio aqua illa in vinum convertitur. Quare de eo Honorius Pontifex ita ſcribit : *Pernicioſus in tuis partibus inolevit abuſus, videlicet quod major quantitas aquæ in ſacrificio, quam vini adhibetur, cum ſecundum conſuetudinem rationabilem Eccleſiæ generalis longe plus vini,*

Honor. lib. 3. dec. tit. de miſſ. celeb. cap. pernicioſus.

quam

quam aquæ adhibendum ſit. Hujus igitur Sacramenti hæc duo tantum elementa ſunt: ac merito pluribus decretis ſancitum eſt, ne quid aliud præter panem, & vinum, quod nonnulli facere non verebantur, offerre liceat. Sed jam videndum eſt, hæc duo panis, & vini ſymbola quam apta ſint ad eas res declarandas, quarum ſacramenta eſſe credimus, & confitemur.

De conſec. diſt. 2. cap. 1. 2. & ſeq.

1s. Quot, & quantas res panis, & vini ſymbola in hoc Sacramento repræſentent.

Primum enim Chriſtum nobis ſignificant, ut vera eſt hominum vita. Ipſe enim Dominus ait: (a) *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Cum igitur Corpus Chriſti Domini vitæ æternæ alimentum illis præbeat, qui ejus Sacramentum pure, & ſancte ſuſcipiunt, recte iis potiſſimum rebus conficitur, quibus hæc vita continetur: ut fideles facile poſſint intelligere, pretioſi corporis, & ſanguinis Chriſti communione mentem, animumque ſaturari.

Panis, & vini ſymbola Chriſtum in hoc Sacramento ut ſignificent. D. Thom. in 3. p. q. 74. art. 1.

a) *Joan. 6. 56. Dam. lib. 4. de orth. fide cap. 14.*

Nonnihil etiam hæc ipſa elementa ad id valent, ut eam cognitionem accipiant homines, eſſe in Sacramento corporis, & ſanguinis Domini veritatem. Nam cum panem, & vinum in humanam carnem, & ſanguinem quotidie vi naturæ immutari animadvertamus, facilius adduci poſſumus hac ſimilitudine, ut credamus panis, & vini ſubſtantiam in veram Chriſti carnem, verumque ejus ſanguinem cœleſti benedictione converti.

Ex ipſis elementis quomodo fideles ad huius Sacramenti veritatem dignoſcendam venire poſſint. Dam. lib. 4. de fide orth. c. 14.

Affert etiam aliquid adjumenti hæc admirabilis elementorum mutatio ad adumbrandum, quod fit in anima. Ut enim, etſi nulla extrinſecus panis, & vini mutatio apparet, tamen

Quæ fiat ex ſumptione huius Sacramenti in anima mutatio. Vide cap. cum Martha de ce-

lebration. Miſ. §. Quæſtiſti.

eorum ſubſtantia in carnem, & ſanguinem Chriſti vere tranſit: ita etiam, tametſi in nobis nihil immutatum videtur, interius tamen ad vitam renovamur, dum veram vitam Euchariſtiæ Sacramento accipimus.

Quomodo hæc ſymbola Eccleſiæ unitatem deſignent.

a) Rom. 12. 45. 1. Cor. 10. 17. & 12. 12.

Accedit ad hæc, quod cum (a) unum Eccleſiæ corpus ex multis membris compoſitum ſit, nulla re magis elucet ea conjunctio, quam panis, vinique elementis. Panis enim ex multis granis conficitur, & vinum ex multitudine racemorum exiſtit; atque ita nos, cum multi ſimus, hujus divini myſterii vinculo arctiſſime colligari, & tanquam unum corpus effici declarant.

19. Qua forma ad conſecrandum panem uti oporteat.

De forma conſecrationis hujus Sacramenti agunt Doct. Schol. in 4. ſent. diſt. 8.

Sequitur nunc, ut de forma, qua ad conſecrandum panem uti oporteat, agatur, non quidem ejus rei cauſa, ut hæc myſteria fideli populo, niſi neceſſitas cogat, tradantur; (eos enim, qui ſacris initiati non ſunt, de his erudiri neceſſarium non eſt) ſed ne formæ ignoratione in Sacramento conficiendo a ſacerdotibus turpiſſime peccetur. Itaque a Sanctis Evangeliſtis, (b) Matthæo, & (c) Luca, itemque (d) ab Apoſtolo docemur illam eſſe formam, HOC EST ENIM CORPUS MEUM. Scriptum eſt enim: *Cœnantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & dixit: Accipite, & manducate, Hoc eſt corpus meum.* Quæ quidem Conſecrationis forma cum a Chriſto Domino ſervata ſit, ea perpetuo Catholica Eccleſia uſa eſt. Prætermittenda ſunt hoc loco (e) ſanctorum Patrum teſtimonia, quæ infinitum eſſet enume-

b) Matth. 26. 26. Marc. 14. 22.
c) Luc. 22. 19.
d) 1. Cor. 11. Innoc. de celeb. Miſſ. p. 3. cap. 6. Benedictione Chriſtus conſecravit. De conſec. diſt. 2. cap. 40.

e) Ambr. lib. de Myſt. init. c. 9. & lib. 4. de Sacram. cap. 4. & 5.

rare,

rare, & (a) Concilii Florentini decretum, quod omnibus patet, atque in promptu est; cum præsertim ex illis Salvatoris verbis, (b) *Hoc facite in meam commemorationem*, idem liceat cognoscere. Nam quod Dominus faciendum præcepit, non solum ad id, quod egerat, sed etiam ad ea, quæ dixerat, referri debet; atque ad verba maxime pertinere intelligendum est, quæ non minus efficiendi, quam significandi causa prolata erant. Sed ratione etiam id facile persuaderi potest: nam forma ea est, qua illud significatur, quod in hoc Sacramento efficitur: Cum autem hæc verba id, quod fit, significent, ac declarent, hoc est panis conversionem in verum Domini nostri corpus, sequitur formam in illis ipsis verbis constituendam esse. In quam sententiam, quod ab Evangelista dictum est, (c) *Benedixit*, licet accipere. Perinde enim videtur intelligendum, ac si dixisset: *Accipiens panem benedixit, dicens, Hoc est corpus meum.*

Vide Sect. 18. & 40. huius. Doctor illuminatus. Franc. de Mayr in 4. dist. 9. q. 3. in fine.

a) *Conc. Flor. in decr. de Sacr. & Trid. sess. 13. cap. 1.*

b) *Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24.*

c) *Matth. 26. 26.*

20. *Non omnia verba, quæ ex consuetudine Ecclesiæ ad Consecrationem adhibentur, sunt necessaria.*

Quamvis enim Evangelista verba illa, *Accipite, & comedite*, præposuerit; illis tamen non materiæ Consecrationem, sed usum tantummodo significari perspicuum est. Quare a sacerdote quidem omnino proferri debent, sed ad Sacramentum conficiendum omnino necessaria non sunt: quemadmodum etiam profertur conjunctio illa, *enim*, in corporis, & sanguinis Consecratione. Aliter enim fiet, ut, si hoc Sacramentum nemini administrandum sit, confici non oporteat, aut non pos-

sit quidem : cum tamen dubitare non liceat, quin sacerdos, prolatis ex more, atque instituto sanctæ Ecclesiæ verbis Domini, aptam panis materiam vere consecret, quamvis deinde contingat, ut nulli unquam sacra Eucharistia administretur.

21. Quæ sit forma conficiendi sanguinem.

De forma consecrationis vini vide c. cum Martha de celeb. Missarum.

Jam vero quod ad vini, quæ est altera hujut Sacramenti materia, Consecrationem attinet, ob eandem causam, quam supra commemoravimus, opus est, ut sacerdos ejus formam cognitam, & perspectam habeat. Eam igitur his verbis comprehendi certo credendum est:

Forma conficiendi vinum.

HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI, ET ÆTERNI TESTAMENTI, MYSTERIUM FIDEI, QUI PRO VOBIS, ET PRO MULTIS EFFUNDETUR, IN REMISSIONEM PECCATORUM. Ex quibus verbis plura quidem a sacris scripturis colliguntur: quædam vero in Ecclesia ex Apostolica traditione conservata sunt. Nam quod dicitur, *Hic est calix*, (a) a D. Luca, & ab Apostolo scriptum est: quod vero sequitur, *Sanguinis mei*, vel *Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, partim a (b) D. Luca, partim a D. Matthæo dictum est: verba autem illa, *Æterni*, & *Mysterium fidei*, sancta traditio Catholicæ veritatis interpres, & custos nos docuit.

a) *Luc.* 22. 20. 1. *Cor.* 11. 25.

b) *Luc.* 22. 20. *Æterni habetur. Hebr.* 13. *Apoc.* 14.

22. Quod hæc sit vera Consecrationis forma ostenditur.

Verum si de hac forma nemo dubitare poterit, si quod antea dictum est de forma Consecrationis, quæ ad panis elementum adhibetur,

hoc

hoc etiam loco attendatur. Conſtat enim, iis verbis, quæ vini ſubſtantiam in ſanguinem Domini converti ſignificant, hujus elementi formam contineri. Quare cum verba illa hoc aperte declarent, perſpicuum eſt, aliam formam conſtituendam non eſſe. Exprimunt autem præterea quoſdam effuſi ſanguinis in paſſione Domini admirabiles fructus; qui ad hoc Sacramentum maxime pertinent. Unus eſt, aditus (a) ad æternam hæreditatem, quæ novi, atque æterni teſtamenti jure ad nos venit. Alter eſt, aditus ad juſtitiam per myſterium fidei: (b) Jeſum enim per fidem in ſanguine ejus propitiatorem Deus propoſuit, (c) ut ipſe ſit juſtus, & juſtificans eum, qui ex fide eſt Jeſu Chriſti. Tertius eſt, (d) remiſſio peccatorum.

D. Bonav. lib. 4. diſt. 8. art. 3. q. 2. Scot. lib. 4. diſt. 8. q. 2.

Sanguinis Chriſti effectus triplex.

a) *Hebr.* 10. 19.

b) *Rom.* 3. 25.

c) *Rom.* 3. 26.

d) *Hebr.* 9. 14.

23. Forma Conſecrationis ſanguinis exponitur.

Quoniam vero hæc ipſa Conſecrationis verba plena myſteriorum ſunt, aptiſſimeque ad rem conveniunt, diligentius perpendere ea oportet. Quod vero dicitur, *Hic eſt enim Calix ſanguinis mei*, ſic intelligendum eſt: HIC EST SANGUIS MEUS, qui hoc calice continetur. Recte autem, & appoſite, dum ſanguis hic, ut eſt fidelium potus, conſecratur, calicis mentio facienda eſt. Neque enim ſanguis hujuſmodi potionem ſatis ſignificare videretur, niſi vaſe aliquo exceptus eſſet. Sequitur deinde, *Novi teſtamenti:* quod quidem ob eam rem additum eſt, ut intelligeremus, Chriſti Domini ſanguinem non figura, quemadmodum in veteri Teſtamento fiebat, (de eo enim apud Apoſtolum ad Hebræos legimus, (e) *ſine ſanguine teſtamentum dedicatum non eſſe*) ſed vere, & re-

Expoſitio Conſecrationis vini ſumpta ex ea, Cum Martina de celebr. Miſſar.

e) *Hebr.* 9. 18.

ipsa hominibus tradi, quod ad novum Testa-
a) *Hebr.* 9. 15. mentum pertinet. Quare Apostolus inquit: (a) *Ideo novi testamenti mediator est Christus, ut morte intercedente repromissionem accipiant, qui vocati sunt,*
Joan. 6. & 8. *æternæ hæreditatis.* Verbum vero *Æterni*, ad hæreditatem æternam, quæ Christi Domini æterni testatoris morte ad nos jure pervenit, referendum est.

Quomodo vinum consecratum sit mysterium fidei. Gregorius Papa hom. 22. *de consc. dist.* 2. *c.* 73.

Quod subjungitur, *Mysterium Fidei*, non rei veritatem excludit, sed quod occulte latet, atque ab oculorum sensu remotissimum est, certa fide credendum esse significat. Diversa vero hisce verbis sententia hoc loco subjecta est ab ea, quam habent, cum Baptismo etiam tribuuntur. Nam quod sanguinem Christi sub vini specie latentem fide cernimus, Mysterium fidei dicitur: at Baptismus, quoniam universam Christianæ fidei professionem complectitur, a nobis fidei Sacramentum, a Græcis mysterium jure appellatur. Quamquam alia etiam ratione sanguinem Domini fidei Mysterium dicimus, quod scilicet in eo maxime plurimum difficultatis, & negotii humana ratio experiatur, cum nobis fides credendum proponit, Christum Dominum verum Dei Filium, simulque Deum, & hominem mortem pro nobis pertulisse; quæ quidem mors sanguinis Sacramento designatur.

Baptismus cur fidei Sacramentum dicatur.

Aug. ep. 23. *ad Bonif. de consc. dist.* 2. *cap. Hoc est.*

24. Cur maxime in sanguinis Consecratione mortis mentio fiat.

Quapropter hoc loco appositе potius, quam in Consecratione corporis passio Dominica commemoramur, his verbis, *Qui effundetur in remissionem peccatorum.* Sanguis enim separatim consecratus ad passionem Domini, & mortem,

&

& paſſionis genus ante omnium oculos ponendum, majorem vim, & momentum habet. Sed verba illa, quæ adduntur, *Pro Vobis*, & *Pro Multis*, (a) a Matthæo, & Luca ſingula a ſinguiis ſumpta ſunt, quæ tamen ſancta Eccleſia Spiritu Dei inſtructa ſimul conjunxit. Pertinent autem ad paſſionis fructum, atque utilitatem declarandam. Nam ſi ejus virtutem inſpiciamus, pro omnium ſalute ſanguinem a Salvatore effuſum eſſe fatendum erit: ſi vero fructum, quem homines ex eo perceperint, cogitemus, non ad omnes, ſed ad multos tantum eam utilitatem pervenire, facile intelligemus. Cum igitur, *Pro Vobis*, dixit, vel eos qui aderant, vel delectos ex Judæorum populo, quales erant diſcipuli, excepto Juda, quibuſcum loquebatur, ſignificavit. Cum autem addidit, & *Pro Multis*, reliquos electos ex Judæis, aùt Gentibus intelligi voluit. Recte ergo factum eſt, ut *pro univerſis* non diceretur, cum hoc loco tantummodo de fructibus paſſionis ſermo eſſet, quæ ſalutis fructum delectis ſolum attulit. Atque huc ſpectant verba illa Apoſtoli: (b) *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*: & quod Dominus apud Joannem inquit: (c) *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, qui tui ſunt.* Plurima alia in hujus Conſecrationis verbis latent myſteria: quæ Paſtores aſſidua rerum divinarum meditatione, & ſtudio ipſi per ſe, juvante Domino, facile aſſequentur.

a) *Matt.* 26. 28. *Luc.* 22. 24. *Cur in conſecratione calicis dicatur pro vobis, & pro multis.*

b) *Hebr.* 9. 28.

c) *Joan.* 17. 9

25. *Non expedit in hoc Sacramento ſenſuum adhibere judicium.*

Sed jam ad earum rerum explicationem oratio revertatur, quæ ut a fidelibus ignorentur, nul-

nullo modo committendum est. Ac quoniam Apostolus admonet, gravissimum scelus admitti ab iis, (a) qui non dijudicant corpus Domini, hoc in primis doceant Pastores, animum, atque rationem omni studio a sensibus avocandam esse. Si enim fideles ea tantum in hoc Sacramento contineri sibi persuaserint, quæ sensibus percipiunt, in summam impietatem adducantur necesse est; cum nihil aliud præter panis, & vini speciem oculis, tactu, odoratu, gustu sentientes, panem tantummodo, ac vinum in Sacramento esse, judicaverint. Curandum igitur est, ut fidelium mentes, quam maxime fieri potest, a sensuum judicio abstrahantur, atque ad immensam Dei virtutem, & potentiam contemplandam excitentur.

a) 1. Cor. 11. 29.

In hoc Sacramento sensuum iudicium reiiciendum est. Vide D. Thom. in Hymno. Etsi sensus deficit &c. Et in sequentia: Quod non capis &c.

26. Quid mysticæ Consecrationis virtute in hoc Sacramento potissimum efficiatur.

Tria per consecrationem in hoc Sacramento effici.

Tria enim sunt maxime admiranda, atque suspicienda, quæ in hoc Sacramento verbis Consecrationis effici, fides Catholica sine ulla dubitatione credit, & confitetur. Primum est, verum Christi Domini corpus, illud idem, quod natum ex Virgine, in cœlis sedet ad dexteram Patris, hoc Sacramento contineri. Alterum est, nullam in eo elementorum substantiam remanere, quamvis nihil a sensibus magis alienum & remotum videri possit. Tertium est, quod ex utroque facile colligitur, etsi verba Consecrationis id maxime exprimunt, accidentia, quæ aut oculis cernuntur, aut aliis sensibus percipiuntur, sine ulla re subjecta esse, mira quadam, atque inexplicabili ratione. Ac panis quidem, & vini accidentia omnia licet

Corpus Christi verum est in hoc Sacramento. Dion. de Eccl. Hier. c. 3. Ignat. Epi. ad Smyrn. & omnes alii, quotquot unquam fuerunt, Scriptores Catholici.

Transubstantiatio est antiquissima Ecclesiæ doctrina. Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 4.

vi-

videre, quæ tamen nulli ſubſtantiæ inhærent, ſed per ſe ipſa conſtant; cum panis, & vini ſubſtantia in ipſum Domini corpus, & ſanguinem ita mutetur, ut panis, & vini ſubſtantia omnino eſſe deſinat.

27. Certum eſt, idem Chriſti corpus, quod natum eſt de Maria Virgine, in Euchariſtia contineri.

Verum, ut prius de primo agamus, conentur Paſtores explicare, quam perſpicua, & clara ſint Salvatoris noſtri verba, quæ corporis ejus veritatem in Sacramento demonſtrant. Nam cum inquit: (a) *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus:* nemo, qui modo ſanæ mentis ſit, ignorare poteſt, quid nobis intelligendum ſit; præſertim cum de humana natura ſermo habeatur, quam in Chriſto vere fuiſſe, Catholica fides dubitare neminem patitur: ut vir ſanctiſſimus, atque doctiſſimus Hilarius præclare ſcripſerit, de veritate carnis, & ſanguinis Chriſti, cum ex ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, caro ejus vere ſit cibus, relictum non eſſe ambigendi locum.

a) *Marc.* 14. 22. *Luc.* 22. 19. *Matth.* 26. 26.

S. Hilar. lib. 8. de Trinitat.

28. Quomodo item verum Chriſti corpus in Euchariſtia eſſe convincatur.

Verum alter præterea locus a Paſtoribus enucleandus eſt, ex quo aperte licet cognoſcere, verum Domini corpus, & ſanguinem in Euchariſtia contineri. Nam Apoſtolus poſteaquam commemoravit panem, & vinum a Domino conſecratum, & ſacra myſteria Apoſtolis ſuis adminiſtrata eſſe, ſubjungit: (b) *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus*

Veritas corporis Chriſti in Sacramento ex ſcripturis oſtenditur. Seſſ. 13. Concil. Trid. de Euchar. c. 1. & can. 1.

b) 1. *Cor.* 11. 28. 29.

Domini. Quod si, ut Hæretici dictitant, nihil aliud in Sacramento venerandum esset præter memoriam, & signum passionis Christi, quid opus erat tam gravibus verbis fideles hortari, ut seipsos probarent? Gravi enim illa Judicii voce declaravit Apostolus, nefarium aliquod scelus ab eo admitti, qui impure sumens corpus Domini, quod in Eucharistia occulte latet, ab alio ciborum genere non distinguit. Quod etiam supra in eadem epistola uberius explicavit Apostolus his verbis: (a) *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Quæ quidem verba veram corporis, & sanguinis Christi Domini substantiam demonstrant. Hæc igitur scripturæ loca a Pastoribus explicanda erunt, atque in primis docendum, nihil in iis dubii, aut incerti relictum esse; præsertim cum hæc Ecclesiæ Dei sacrosancta auctoritas interpretata sit.

a) 1. Cor. 10. 16.

29. *Ecclesiæ Christi sententia de sensu scripturarum, & veritate corporis Domini in Eucharistia, quomodo sit perquirenda.*

Primo inquirendus est Patrum & Doctorum Ecclesiæ per omnia consensus.

Ad cujus sententiæ cognitionem duplici via, & ratione possumus pervenire. Prima est, cum Patres, qui ab initio Ecclesiæ, atque omni deinceps ætate floruerunt, & Ecclesiasticæ doctrinæ optimi testes sunt, consulimus. Hi vero summo consensu omnes hujus dogmatis veritatem apertissime tradiderunt: quorum singula testimonia afferre quoniam operosi laboris esset, satis erit, pauca notare, vel indicare potius, ex quibus judicium de cæteris facile fieri poterit. Primus igitur D. Ambrosius fidem

D Ambr. de iis, qui myst. init.

suam

ſuam proferat, qui in libro de iis, qui initiantur myſteriis, teſtatus eſt, verum Chriſti corpus in hoc Sacramento ſumi, ſicut verum ex Virgine ſumptum eſt, idque certiſſima fide tenendum eſſe; alio loco docet, ante Conſecrationem panem ibi eſſe, poſt Conſecrationem autem carnem Chriſti. Accedat alter teſtis D. Chryſoſtomus, non minoris fidei, & gravitatis, qui quidem cum multis aliis in locis hanc ipſam veritatem profitetur, & docet, tum vero præcipue hom. 60. de iis, qui ſacra myſteria impure ſumunt, itemque hom. 44. & 45. in ſanctum Joannem: inquit enim: *Pareamus Deo, neque contradicamus, licet vel cogitationibus, vel oculis noſtris videatur adverſari, quod dicitur; ipſius enim ſermo infallibilis eſt, ſenſus noſter facile ſeducitur.* His vero omni ex parte conſentiunt, quæ D. Auguſtinus acerrimus Catholicæ fidei propugnator ſemper docuit: atque in primis exponens titulum Pſalmi 33. ſcribit enim: *Portare ſe in manibus ſuis homini impoſſibile eſt, ſolique Chriſto convenire poteſt; ferebatur enim ille in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum.* Ac Cyrillus (prætereo Juſtinum, & Irenæum) adeo aperte lib. 4. in Joannem veram Domini carnem in hoc Sacramento eſſe affirmat, ut ejus verba nullis poſſint fallacibus, & captioſis interpretationibus obſcurari. Quod ſi Paſtores alia etiam Patrum teſtimonia requirent, facile erit ſanctos (a) Dionyſium, (b) Hilarium, (c) Hieronymum, (d) Damaſcenum addere, innumerabileſque alios, quorum de hac re graviſſimas ſententias Doctorum, & piorum hominum induſtria, & labore in unum congeſtas paſſim legimus.

c. 9. & de conſ. diſt. 2. c. Sicut verus, &c. In illo &c. Revera lib. 4. de Sacram. c. 4. & de conſ. diſt. 2. c. Panis eſt. Chryſ. ad populum Antiochen. hom. 60. & 61. idem hom. 44. & 45. in Joannem.

S. Auguſt. concione 1. verſus finem.

1. Reg. 21. habetur de conſ. diſt. 2. cap. 92. Secundum ſeptuaginta legitur. Et ferebatur in manibus ſuis.

S. Cyril. lib. 4. in Joan. c. 13. 14. & lib. 10. cap. 13. Juſt. Apologet. 2. ſub finem.

a) *Dion. lib. de Eccleſ. Hier. c. 3.*
b) *Lib. 8. de Trin.*
c) *Hier. ep. ad Damaſum de filio prodigo.*
d) *Lib. 4. de orth. fide c. 14.*

30. Quoties contraria opinio in Conciliis Ecclesiæ condemnata sit.

Secundo veritas corporis Christi in Eucharistia per contrariæ sententiæ damnationem Ecclesiastica potuit cognosci.

Altera restat via, qua sanctæ Ecclesiæ judicium in iis, quæ ad fidem pertinent, investigare liceat, contrariæ scilicet doctrinæ, & opinionis damnatio. At vero constat, semper corporis Christi veritatem in sancto Eucharistiæ Sacramento ita per universam Ecclesiam diffusam, & disseminatam esse, & consentienti voluntate ab omnibus fidelibus receptam, ut, cum ante quingentos annos Berengarius id negare ausus esset, ibique signum tantummodo esse assereret, statim in Vercellensi Concilio, quod Leonis IX. auctoritate convocatum fuerat, omnium sententiis condemnatus ipse hæresim suam anathemati addixerit: qui postea cum ad eandem impietatis insaniam rediisset, tribus aliis Conciliis, Turonensi, & duobus Romanis, quorum alterum Nicolans II. alterum Gregorius VII. Pontifices Maximi convocarunt, damnatus est. Eam postea sententiam Innocent. III. in Concilio Lateranensi Magno confirmavit: ac deinceps Florentina, & Tridentina Synodis ejusdem veritatis fides apertius declarata, ac stabilita est. Hæc igitur si Pastores diligenter exposuerint (ut nihil dicamus de iis, qui erroribus obcœcati, nihil magis, quam veritatis lucem oderunt) & infirmos confirmare, & piorum mentes summa quadam lætitia, & voluptate afficere poterunt.

Berengarius sententiam suam in Vercellensi Concil. abjuravit, ut constat ex cap. Ego Berengarius.

Concilium Lat. cap. 1. & habetur de sum. Trinit. & fide Cathol. cap. Firmiter. Conc. Flor. in doctrina de Sacram. cap. 4. & can. 22. Conc. Trid. sess. 13.

31. Quomodo in Symbolo dogma de veritate corporis Christi in hoc Sacramento includatur.

Cum præsertim fidelibus dubitare non liceat, quin inter cæteros fidei articulos hujus etiam do-

dogmatis fides comprehendatur. Nam, cum Dei ſummam omnium rerum poteſtatem credunt, & conſitentur, credant etiam neceſſe eſt, poteſtatem ei non defuiſſe maximi hujus operis efficiendi, quod in Euchariſtiæ Sacramento admiramur, & colimus. Deinde cum credunt ſanctam Eccleſiam Catholicam, neceſſario ſequitur, ut ſimul credant eam eſſe, quam explicavimus, hujus Sacramenti veritatem.

32. Quanta ſit Eccleſiæ militantis dignitas, ex hujus myſterii majeſtate oſtenditur.

Sed nihil eſt profecto, quod ad piorum jucunditatem, & fructum addi poſſit, cum hujus altiſſimi Sacramenti dignitatem contemplantur. Primum enim intelligunt, quanta ſit Evangelicæ legis perfectio, cui datum eſt, id reipſa habere, quod ſignis tantum, & figuris Moſaicæ legis tempore adumbratum fuerat. Quare divinitus dictum eſt a Dionyſio, Eccleſiam noſtram mediam eſſe inter Synagogam, & ſupremam Hieruſalem, ac propterea utriuſque participem. Ac profecto ſatis mirari fideles nunquam poterunt ſanctæ Eccleſiæ perfectionem, ejuſque gloriæ altitudinem, cum inter eam, & cœleſtem beatitudinem unus tantum gradus intereſſe videatur. Hoc enim nobis cum cœlitibus commune eſt, ut utrique Chriſtum Deum, & hominem præſentem habeamus: ſed, quo uno gradu ab iis diſtamus, illi præſentes beata viſione perfruuntur, nos præſentem, & tamen ab oculorum ſenſu remotum, ſacrorum myſteriorum admirabili integumento ſe occultantem, firma, & conſtanti fide veneramur. Præterea fideles hoc Sacramento Chriſti Salvatoris noſtri

Dignitas Sacramenti Euchariſtiæ. Hæc habet magna ex parte D. Thom. in 3. p. q. 75. art. 1.

S. Dion. de Eccl. Hierarch. cap. 7. circa medium.

ſtri perfectiſſimam charitatem experiuntur. Ejus enim bonitatem maxime decuit, naturam, quam a nobis ſumpſerat, a nobis nunquam ſubtrahere, ſed quantum fieri poſſet, eſſe, verſarique nobiſcum velle, ut illud omni tempore vere, & proprie dictum videretur, (a) *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.*

a) Prov. 8. 31.

33. *Oſſa, nervi, & quæcunque ad hominis perfectionem pertinent, una cum divinitate hic vere adſunt.*

De concomitantia partium corporis Chriſti in hoc Sacramento, de conſec. diſt. 2. cap. Singuli, &c. Ubi panis eſt. Ambroſius in lib. de iis, qui myſter. init. c. 9. D. Thom. in 3. p. q. 76. art. 1. Chriſtus nomen Dei, & hominis eſt. Damaſc. lib. 3. cap. 27.

Jam vero hoc loco etiam explicandum eſt, non ſolum verum Chriſti corpus, & quicquid ad veram corporis rationem pertinet, veluti oſſa, & nervos, ſed etiam totum Chriſtum in hoc Sacramento contineri. Docere autem oportet, Chriſtum nomen eſſe Dei, & hominis, unius ſcilicet perſonæ, in qua divina, & humana natura, conjuncta ſit. Quare utramque ſubſtantiam, & quæ utriuſque ſubſtantiæ conſequentia ſunt, divinitatem, & totam humanam naturam, quæ ex anima, & omnibus corporis partibus, & ſanguine etiam conſtat, complectitur: quæ omnia in Sacramento eſſe credendum eſt. Nam cum in cœlo tota humanitas divinitati in una perſona, & hypoſtaſi conjuncta ſit, nefas eſt ſuſpicari, corpus, quod in Sacramento ineſt, ab eadem divinitate ſejunctum eſſe.

34. *Sanguis, Anima, & Divinitas, non eodem modo in Euchariſtia, quo corpus Chriſti ſunt.*

Ex Conſil. Epheſino in epiſt. ad Neſtorium, & refertur de conſ. diſt. 2. c. Neceſſarie.

In quo tamen Paſtores animadvertant neceſſe eſt, non omnia eadem ratione, aut virtute in hoc Sacramento contineri. Quædam enim ſunt, quæ ex vi, & efficientia Conſecratio-

tionis in Sacramento esse dicimus: nam cum verba illa efficiant quicquid significant, id esse in Sacramento ex vi Sacramenti divinarum rerum Scriptores appellarunt, quod verborum forma exprimitur: ita si contingeret, ut aliquid ab aliis rebus omnino sejunctum esset, id solum, quod forma significaret, in Sacramento esse, cætera non item esse, docuerunt. Quædam vero in Sacramento continentur, quod illis rebus conjuncta sint, quæ forma exprimuntur. Nam cum forma, quæ ad panem consecrandum adhibetur, corpus Domini significet, cum dicitur, (a) *Hoc est corpus meum;* ipsum Christi Domini corpus ex vi Sacramenti in Eucharistia erit. At quia corpori Sanguis, Anima, & Divinitas conjungitur, hæc quoque in Sacramento erunt omnia, non quidem ex Consecrationis virtute, sed ut ea, quæ corpori conjuncta sunt. Atque hæc ex concomitantia in Sacramento esse dicuntur: qua ratione totum Christum in Sacramento esse perspicuum est. Si enim duo aliqua inter se reipsa conjungantur, ubi unum sit, ibi etiam alterum esse necesse est. Sequitur itaque, totum Christum usque adeo tam in panis, quam in vini specie contineri, ut, quemadmodum in panis specie non corpus modo, sed etiam Sanguis, & totus Christus vere ineſt, sic contra in vini specie non solum sanguis, sed corpus, & totus Christus vere insit.

In termino consecrationis ex vi verborum sunt duo, formale, & materiale. Scot. 4. dist. 8. qu. 3. litt. KK. Quid adsit ex concomitantia. Sess. 13. Concil. Trid. de Eucharist. c. 3.

a) *Matth.* 26. 26.

Sub altera Eucharistiæ specie totum Christum per concomitantiam contineri.

35. Cur in Eucharistia duplex fiat Consecratio.

Sed quamquam hæc ita se habere omnibus fidelibus certum, & persuasissimum esse debet; optimo tamen jure institutum est, ut separatim

Alex. de Ales 4. p. summæ sac. Theol. qu. 31. memb. 2.

Ambr. 1. Cor. 11. Levit. 17. duæ Conſecrationes fierent. Primo ut paſſio Domini, in qua ſanguis a corpore diviſus eſt, magis referatur; cujus rei cauſa in Conſecratione ſanguinem effuſum eſſe meminimus. Deinde maxime conſentaneum fuit, ut, quoniam Sacramento ad alendam animam utendum nobis erat, tanquam cibus, & potus inſtitueretur: ex quibus perfectum corporis alimentum conſtare perſpicuum eſt.

36. Totus Chriſtus in quavis utriuſque ſpeciei particula præſens adeſt.

De conſ. diſt. 2. c. 76. & habetur in Miſſ. Ambr. Præfat. Domin. vid. poſt Epiph. Exod. 15. Fuſius explicatur ſeſſ. 13. Conc. Trid. c. 3. & can. 3. & ſeſſ. 21. de comm. ſub utraque ſpecie cap. 1. Neque vero illud prætermittendum, non ſolum in utraque ſpecie, ſed in quavis utriuſque ſpeciei particula totum Chriſtum contineri. Sic enim Ambroſius ſcriptum reliquit: *Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.* Atque id præterea ex Evangeliſtis facile colligi poteſt. Neque enim credendum eſt, ſingula panis fruſtra propria verborum forma a Domino conſecrata eſſe, ſed eadem ſimul omnem panem, qui ad ſacra myſteria conficienda, atque Apoſtolis diſtribuenda ſatis futurus eſſet. Id quod de calice factum eſſe apparet, cum ipſe dixit, (a) *Accipite, & dividite inter vos.* Hactenus quæ explicata ſunt, eo pertinent, ut oſtendant Paſtores, verum Chriſti corpus, & ſanguinem in Euchariſtiæ Sacramento contineri.

a) *Luc. 22. 17.*

37. Poſt Conſecrationem nulla materiæ hujus Sacramenti ſubſtantia remanet.

De Tranſubſtantiatione, ſeſſ. 13. Conc. Trid. de Euchar. cap. 4. & c. Quomodo. Nunc, quod alterum erat propoſitum, docebunt, etiam panis, & vini ſubſtantiam in Sacramento poſt Conſecrationem non remanere.

Hoc

Hoc vero quamvis maximam admirationem merito habere possit, tamen cum eo, quod prius demonstratum, necessario conjungitur. Etenim si est verum Christi corpus sub panis, & vini specie post Consecrationem, omnino necesse est, cum ibi antea non esset, hoc vel mutatione, vel alterius rei in ipsum conversione factum esse. At vero fieri non posse constat, ut corpus Christi in Sacramento sit, quod ex uno in alium locum venerit. Ita enim fieret, ut a cœli sedibus abesset, quoniam nihil movetur, nisi locum deserat, a quo movetur. Creari autem corpus Christi minus credibile est, ac ne in cogitationem quidem cadere hoc potest: relinquitur ergo, ut in Sacramento sit corpus Domini, quod panis in ipsum convertatur. Quare nulla panis substantia remaneat necesse est.

corpus Christi in Euchar. esse incipiat. D. Thom. in 3. p. q. 75. art. 2.

Non per loci mutationem.

Non per creationem. Adest per conversionem Scot. 4. sent. d. 11. q. 3. 4. & 5. Ex nocte fit dies & ex mane meridies.

38. Transubstantiatio a Conciliis approbata in Scripturis fundamentum habet.

Hac ratione adducti Patres, & majores nostri in Conciliis, Lateranensi Magno, & Florentino, hujus articuli veritatem apertis decretis confirmarunt. A Tridentina vero Synodo explicatius ita definitum est: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini una cum corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi, anathema sit.* Hæc vero ex testimoniis scripturarum facile fuit colligere. Primum, quod in ejus Sacramenti institutione ipse Dominus dixit, (a) *Hoc est corpus meum.* Vocis enim, *Hoc*, ea vis est, ut omnem rei præsentis substantiam demonstret: quod si panis substantia remaneret, nullo mo-

Later. Concil. c. 1. Eugenius IV. in Ep. ad Arm. data approbata a Conc. Flor. Trid. Sym. sess. 13. can. 2.

Transubstantiatio Scripturis statuitur.

a) *Matt. 26. 26 Marc. 14. 22. 1. Cor. 11. 24. Exod. 18.*

do vere dici videretur, *Hoc eſt corpus meum.* a) *Joan. 6. 52.* Deinde Chriſtus Dominus apud Joannem, (a) *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, panem videlicet carnem ſuam vocans. b) *Ibidem 54.* Ac paulo poſt ſubjecit: (b) *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non* c) *Ibidem 56.* *habebitis vitam in vobis*, & rurſus (c) *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Cum orgo tam claris, & perſpicuis verbis carnem ſuam panem, & verum cibum, ſanguinem item verum potum nominaverit, ſatis videtur declaraſſe, nullam in Sacramento ſubſtantiam panis, & vini remanere.

39. Quomodo Patres in hoc Sacramento Tranſubſtantiationem agnoverint.

Tranſubſtantiatio ex conſenſu Patrum oſtenditur. *D. Ambr. lib. 4. & habetur de conſec. diſt. 2. c. Panis eſt.* Atque hanc perpetuo ſanctorum Patrum conſentientem fuiſſe doctrinam, qui eos evolverit, facile intelliget. D. quidem Ambroſius ita ſcribit: *Tu forte dicis, Meus panis eſt uſitatus, ſed panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, ubi acceſſerit Conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Quod quidem ut facilius probare poſſet, varia deinde affert exempla, & ſimilitudines. Alibi vero cum verba illa interpretaretur, (d) *Omnia, quæcunque Dominus voluit, fecit in cœlo, & in terra; Licet*, inquit, *figura panis, & vini videatur, nihil tamen aliud, quam caro Chriſti, & ſanguis poſt Conſecrationem credendum eſt.* Atque iiſdem fere verbis eandem ſententiam ſanctus Hilarius exponens docuit, quamvis extrinſecus panis, & vinum videatur, vere tamen corpus, & ſanguinem Domini eſſe.

d) *Pſal. 134. 6. Ex lib. 4. de Sacram. cap. 4. & 6. de Conſecr. d. 2. c. Omnia.*

S. Hilar. de Trin. l. 8. & de conſec. diſt. 2. cap. 28.

40. Qua

40. Qua ratione Eucharistia posti Consecrationem etiam panis dicatur.

Sed moneant Pastores hoc loco, mirandum non esse, si post Consecrationem panis etiam vocetur. Hoc enim nomine Eucharistia appellari consuevit, tum quia panis speciem habeat, tum quia naturalem alendi, & nutriendi corporis vim, quæ panis propria est, adhuc retineat. Eam autem esse sacrarum literarum consuetudinem, ut res ita appellent, cujusmodi esse videantur, satis ostendit, quod in Genesi dictum est, (a) tres viros Abrahæ apparuisse, qui tamen tres Angeli erant. (b) Et duo illi, qui Apostolis, ascendente in cœlum Christo Domino, apparuerunt, cum essent Angeli, viri dicuntur.

Eccl. 10. 31. & 17. 21.

Exod. 7. 20. *Eccl.* 29. 33.

a) *Gen.* 18. 2.

b) *Actor.* 1. 10. *Vide D. Thom. in* 3. *p. q.* 75. *art.* 3. & 4.

41. Quomodo fiat tam admiranda substantiarum conversio.

Difficillima est omnino hujus mysterii explicatio. Sed tamen conabuntur Pastores iis, qui magis in Divinarum rerum cognitione profecerunt, (nam qui adhuc imbecilliores sunt, verendum esset, ne rei magnitudine opprimerentur) conabuntur, inquam, tradere hujus admirabilis conversionis modum; quæ ita fit, ut tota panis substantia divina virtute in totam corporis Christi substantiam, totaque vini substantia in totam sanguinis Christi substantiam, sine ulla Domini nostri mutatione, convertatur. Neque enim Christus aut generatur, aut mutatur, aut augescit, sed in sua substantia totus permanet. Quod Mysterium cum (c) D. Ambrosius declararet, *Vides*, inquit, *quam operatorius sit sermo Christi; si ergo tanta vis est, in ser-*

Quam admirabilis sit conversio.

c) *D. Amb. l.* 4. *de Sacram. c.* 4. & *habetur de consec. dist.* 2. *c. Panis est.*

mone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant, mundus scilicet; quanto magis operatorius est, ut sint ea, quæ erant, & in aliud commutentur? In quam sententiam alii etiam veteres, & gravissimi Patres scriptum reliquerunt. Divus quidem Augustinus, (a) *Fideliter fatemur, ante Consecrationem panem esse, & vinum, quod natura formavit; post Consecrationem vero carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecravit.* Damascenus autem (b) *Corpus secundum veritatem conjunctum est divinitati, corpus, ex sancta Virgine, non quod ipsum corpus assumptum de cœlo descendat, sed quod ipse panis, & vinum in corpus, & sanguinem Christi transmutentur.*

a) *Habetur de cons. d. 2. cap. Nos autem.*

b) *Dam. lib. 14. de orth. fide cap. 14. Scot. 4. sen. d. 11. q. 3. 1st. I.*

42. *Stupendæ huic conversioni commode nomen impositum est Transubstantiatio.*

Trid. Syn. sess. 13. can. 4. quod nomen primo authoritate Concil. Later. magni receptum est. c. 1. & habetur de sum. Trin. & fide Cath. cap. 1.

Hæc itaque admirabilis conversio convenienter, & proprie a sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata, quemadmodum sacra Tridentina Synodus docuit. Ut enim generatio naturalis, quod forma in ea mutetur, recte, & proprie transformatio dici potest: ita etiam, quod in Sacramento Eucharistiæ tota unius rei substantia in totam alterius rei substantiam transeat, verbum Transubstantiationis recte, & sapienter a Majoribus nostris inventum est.

43. *Modus Transubstantiationis, & loci, quo Christus est in hoc Sacrrmento, curiosius non inquirendus.*

Sacrosanctum Euchar. Sacramentum pie credendum, non curiose scrutandum.

Sed illud sæpissime a sanctis Patribus repetitum fideles admonendi sunt, ne curiosius inquirant, quo pacto ea mutatio fieri possit. Nec enim percipi a nobis potest, nec in natura-

ralibus mutationibus, aut ipſa rerum creatione ejus rei exemplum aliquod habemus. Verum, quid hoc ſit, fide cognoſcendum eſt: quomodo fiat, curioſius non inquirendum. Non minorem vero cautionem Paſtores adhibeant oportet, in eo etiam myſterio explicando, quomodo Chriſti Domini corpus vel in minima panis particula totum contineatur. Vix enim unquam hujuſmodi diſputationes inſtituendæ erunt: ſed tamen, quando Chriſtiana charitas hoc poſtulaverit, primum quidem meminerint fidelium animos illa voce præmunire, (a) *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.*

Quomodo Chriſti corpus in minima panis particula totum contineatur. V. de Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 2. & de conſ. diſt. 2. cap. Singuli, & Flor. Conc. in decr. de Sacram.

a) *Luc.* 1. 37.

44. Chriſti corpus in Euchariſtia non eſt, ut in loco.

Deinde vero doceant, Chriſtum Dominum in hoc Sacramento, ut in loco, non eſſe. Ft. enim locus res ipſas conſequitur, ut magnitudine aliqua præditæ ſunt: Chriſtum vero Dominum ea ratione in Sacramento eſſe non dicimus, ut magnus, aut parvus eſt, quod ad quantitatem attinet; ſed, ut ſubſtantia eſt. Subſtantia enim panis in Chriſti ſubſtantiam, non in magnitudinem, aut quantitatem convertitur. Nemo vero dubitat, ſubſtantiam æque in parvo, atque in magno ſpatio contineri. Nam & aeris ſubſtantia, totaque ejus natura ſic in parva, ut in magna aeris parte, itemque tota aquæ natura non minus in urnula, quam in flumine inſit, neceſſe eſt. Cum igitur panis ſubſtantiæ corpus Domini noſtri ſuccedat, fateri oportet, ad eundem plane modum in Sacramento eſſe, quo erat panis ſubſtantia ante Conſecrationem. Ea vero utrum ſub magna,

Chriſtus in Sacramento non eſt, ut in loco, ſeu, ut magnus, vel parvus, ſed, ut ſubſtantia, quæ integra æque in parvo, & magno ſpatio continetur.

an ſub parva quantitate eſſet, nihil ad rem omnino pertinebat.

45. In hoc Sacramento nulla eſt ſubſtantia, cui accidentia panis, & vini inhæreant.

De ſubſiſtentia accidentium panis, & vini ſine aliqua re ſubjecta. Colligi hoc poteſt ex ea. Hos autem de conſ. diſt. 8. &c. cum Martha de celebr. Miſſarum. §. Quæſiviſti. & probat. D. Thom. 3. p. q. 75. art. 2. & q. 77. art. 1. & alibi ſæpe. & Cone. Conſtant. ſeſſ. 8.

Tertium reſtat, quod in hoc Sacramento maximum, atque admirabile videatur; quod quidem, jam duobus aliis explicatis, facilius a Paſtoribus tractari poſſe exiſtimandum eſt; panis videlicet, & vini ſpecies in hoc Sacramento ſine aliqua re ſubjecta conſtare. Nam, cum antea demonſtratum ſit, corpus Domini, & ſanguinem vere in Sacramento eſſe, ita ut nulla amplius ſubſit panis, & vini ſubſtantia; quoniam ea accidentia Chriſti corpori, & ſanguini inhærere non poſſunt; relinquitur, ut ſupra omnem naturæ ordinem ipſa ſe nulla alia re niſa ſuſtentent. Hæc perpetua, & conſtans fuit Catholicæ Eccleſiæ doctrina: quæ etiam facile eorum teſtimoniorum auctoritate confirmari poterit, quibus antea planum factum eſt, nullam reſidere in Euchariſtia panis, aut vini ſubſtantiam.

46. Quare Chriſtus ſub panis, & vini ſpecie corpus, & ſanguinem ſuum tradere voluerit.

Vide Cyrillum lib. 4. in Joan. c. 22. Cypr. de cœna Domini. Aug. tract. 27. in Joan. D. Thom. in 3. p. q. 74. art. 1. & 75. art. 1. Dam. lib. 4. de fide orth. c. 14.

Sed nihil magis fidelium pietati convenit, quam omiſſis ſubtilioribus quæſtionibus, hujus admirabilis Sacramenti majeſtatem venerari, & colere, ac deinde in eo ſummam Dei providentiam ſuſpicere, quod ſacroſancta myſteria ſub panis, & vini ſpecie adminiſtranda inſtituerit. Nam, cum a communi hominum natura maxime abhorreat, humanæ carnis eſca, aut ſanguinis potione veſci, ſapientiſſime fecit, ut ſanctiſſimum corpus, & ſanguis ſub earum

rum rerum ſpecie, panis, inquam, & vini, nobis adminiſtraretur, quarum quotidiano, & communi alimento maxime delectamur. Adjunctæ vero etiam ſunt duæ illæ utilitates: quarum prima eſt, quod ab infidelium calumnia liberati ſumus, quam facile effugere non poſſemus, ſi Dominum ſub propria ſpecie comedere videremur. Altera eſt, quod, dum corpus, & ſanguinem Domini ita ſumimus, ut tamen, quod vere ſit, ſenſibus percipi non poſſit, hoc ad fidem in animis noſtris augendam plurimum valet: *quæ quidem*, ut ſancti Gregorii ſententia pervulgatum eſt, *ibi non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Hæc autem, quæ hactenus expoſita ſunt, non niſi magna adhibita cautione, pro audientium captu, & temporum neceſſitate explicanda erunt.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Gregor. Papa homil. 26. in Evangelia.

47. Quid boni conſequantur, qui corpori, & ſanguini Domini digne communicaverint.

Verum, quæ de hujus Sacramenti admirabili virtute, & fructibus dici poſſunt, nullum eſſe genus fidelium exiſtimandum eſt, ad quos earum rerum cognitio non pertineat, quibuſque maxime neceſſaria videri non debeat. Ut enim Euchariſtiæ utilitatem fideles intelligant, ob eam potiſſimum cauſam, quæ de hoc Sacramento tam multis verbis differuntur, cognoſcenda ſunt. Sed, quoniam immenſæ ejus utilitates, & fructus nulla oratione explicari poſſunt, unus, aut alter locus a Paſtoribus tractandus erit, ut oſtendant, quanto in ſacroſanctis illis myſteriis bonorum omnium copia, & affluentia incluſa ſit. Hoc vero aliqua

De multiplici, & admirabili fructu tanti Sacramenti agitur Seſſ. 13. Conc. Trid. de Euchar. c. 2. & c. 5. vide Iren. lib. 4. c. 34. Cyril. lib. 4. in Joan. c. 12. & 14. Chryſ. hom. 84. in Joan. D. Thom. in 3. p. q. 79. per totam, & alibi ſæpe.

qua ex parte ita assequentur, si, omnium Sacramentorum vi, atque natura patefacta, Eucharistiam fonti, cætera rivulis comparaverint. Vere enim, ac necessario fons omnium gratiarum dicenda est, cum fontem ipsum cœlestium charismatum, & donorum, omniumque Sacramentorum auctorem Christum Dominum admirabili modo in se contineat, a quo, tanquam a fonte, ad alia Sacramenta, quidquid boni, & perfectionis habent, derivatur. Ex hoc igitur divinæ gratiæ fonte amplissima munera, quæ nobis hoc Sacramento impertiuntur, facile colligi poterunt.

48. Quæ commoda panis, & vinum corpori, ea præstantiori modo Eucharistia animæ affert.

Ambr. lib. 5. de Sacram. cap. 4. & Chrys. hom. 45. in Joan. Per Eucharistiam nos Deo & Deus nobis coniungitur. Conferatur hic locus cum sect. 6. ult. art. symb. Aug. lib. 7. confes. cap. 10.

Commode etiam fieri videbitur, si panis, & vini natura, quæ hujus Sacramenti symbola sunt, perpendatur. Nam, quos usus corpori panis, & vinum affert, eos omnes animæ saluti, & jucunditati, meliori quidem, ac perfectiori ratione, Eucharistiæ Sacramentum præbet. Neque enim hoc Sacramentum in substantiam nostram, ut panis, & vinum, mutatur; sed nos quodammodo in ejus naturam convertimur: ut recte illud D. Augustini ad hunc locum transferri possit: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me; nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

49. Quomodo per hoc Sacramentum gratia conferatur.

a) *Joan. 1. 17.*

Quod si (a) gratia, & veritas per Jesum Christum facta est, in animam quoque influat est necesse, cum eum pure, & sancte accipit, qui

de

de ſeipſo dixit, (a) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Nam qui pietatis, & religionis ſtudio affecti hoc Sacramentum ſumunt, nemini dubium eſſe debet, quin ita Filium Dei in ſe admittant, ut ejus corpori tanquam viva membra inſerantur. Siquidem ſcriptum eſt, (b) *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me:* item, (c) *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quem locum Cyrillus cum interpretaretur, inquit: *Dei Verbum uniens ſeipſum propriæ carni fecit ipſam vivificativam. Eum ergo decebat miro quodam modo uniri corporibus per ſacram ejus carnem, & pretioſum ſanguinem, quæ accipimus in benedictione vivificativa in pane, & vino.*

a) *Joan. 6. 57.*

b) *Ibidem 58.*

c) *Ibidem 52.*

B. Cyril. lib. 4. in Joan. cap. 12. 14. & Epi. 10. ad Neſt.

50. *Homo peccatis fœdatus, ac mortuus, Euchariſtiæ ſumptione non vivificatur, etiamſi hoc Sacramentum gratiam conferre dicatur.*

Verum, quod dicitur, Euchariſtia gratiam tribui, Paſtores admoneant oportet, ita intelligendum non eſſe, perinde ac neceſſe non ſit, ut, qui re ipſa hoc Sacramentum utiliter percepturus eſt, gratiam antea adeptus fuerit. Conſtat enim, quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodeſt, ita etiam animæ, quæ ſpiritu non vivit, ſacra myſteria non prodeſſe. Ac propterea panis, & vini ſpeciem habent, ut ſignificetur, non quidem revocandæ ad vitam animæ, ſed in vita conſervandæ cauſa, inſtituta eſſe. Verum hoc ideo dictum eſt, quoniam prima etiam gratia (qua omnes præditos eſſe oportet, antequam ſacram Euchariſtiam ore contingere au-

Quemodo hoc Sacrament. ſit gratiæ cauſa. D. Thom. in 3. p. q. 79. art. 2. vide lib. de Eccl. dogm. cap. 53. Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11. de conſec. diſt. 2. c. Qui ſcelerate, & cap. Timorem & cap. Quid eſt Chriſtum &c. Sicut Judas.

de-

a) 1. Cor. 11. 29.

deant, (a) ne judicium ſibi manducent, & bibant) nemini tribuitur, niſi hoc ipſum Sacramentum deſiderio, & voto percipiat. Eſt enim omnium Sacramentorum finis, & Eccleſiaſticæ unitatis, ac conjunctionis ſymbolum; neque extra Eccleſiam conſequi gratiam ullus poteſt.

51. Quomodo anima hoc ſpirituali cibo reficiatur, & augeatur.

Quomodo hoc Sacramentum ſit de neceſſitate ſalutis ſaltem in voto, vide apud D. Thom. in 3. p. q. 73. art. 3. & q. 79. art. 1. ad 1.

Deinde, quoniam, uti corpus cibo naturali non conſervatur modo, ſed etiam augetur, guſtuſque novam quotidie ex eo voluptatem, & ſuavitatem percipit, ita etiam ſacræ Euchariſtiæ cibus non ſolum animam ſuſtentat, ſed vires illi addit, efficitque, ut ſpiritus divinarum rerum delectatione magis ac magis commoveatur; ob eam cauſam fit, ut gratiam hoc Sacramento tribui, recte, & veriſſime dicatur.

b) Sap. 16. 20. Joan. 6. 49. Innoc. 3. lib. 4. de myſt. alta c. 44. Bern. ſerm. in cœna Domini. Cypr. lib. 4. in Joan. cap. 17. & lib. 3. cap. 37. Et in collecta dicitur. Sit ablutio ſcelerum.

Jure enim (b) mannæ comparari poteſt, ex quo omnis ſaporis ſuavitas percipiebatur.

52. Per Euchariſtiam peccata leviora dimittuntur.

Remitti vero Euchariſtia, & condonari leviora peccata, quæ venialia dici ſolent, non eſt, quod dubitari debeat. Quicquid enim cupiditatis ardore anima amiſit, dum levi aliqua in re parum offendit, totum id Euchariſtia, eas ipſas minores culpas abſtergens, reſtituit. Quemadmodum etiam (neque enim a propoſita ſimilitudine diſcedendum videtur) quod innati caloris vi quotidie detrahitur, ac deperit, paulatim addi, & refici naturali alimento ſentimus. Quare merito a D. Ambroſio de hoc cœleſti Sacramento dictum eſt, *Iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* Verum hæc de iis peccatis intelligenda ſunt,

D. Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 6. & lib. 5. cap. 4.

quo-

quorum ſenſu, & delectatione animus non permovetur.

53. Per hoc item Sacramentum anima a futuris malis præſervatur.

Illa præterea in ſacris myſteriis vis eſt, ut nos a criminibus puros, & integros, atque a tentationum impetu incolumes ſervent, a tanquam cœleſti medicamento animam præparent, ne alicujus mortiferæ perturbationis veneno facile infici, ac corrumpi queat. Atque ob eam etiam cauſam, ut teſtatur D. Cyprianus, cum olim a Tyrannis fideles ad tormenta, & cædem propter Chriſtiani nominis confeſſionem vulgo raperentur, ne illi forte dolorum acerbitate victi in ſalutari certamine deficerent, vetus in Eccleſia Catholica mos fuit, ut eis ab Epiſcopis Dominici corporis, & ſanguinis Sacramenta præberentur. Sed carnis etiam libidinem cohibet, ac reprimit. Dum enim charitatis igne animos magis incendit, concupiſcentiæ ardorem extinguat neceſſe eſt.

D. Thom. tad. q. 79. art. 5. ex Joan. c. 6. Aug. tract. 26. in Joan.

S. Cypr. lib. 1. epiſt. 2. ad Cornelium.

54. Quomodo per hoc Sacramentum aditus ad æternam gloriam pateat.

Poſtremo, ut uno verbo omnes hujus Sacramenti utilitates, & beneficia comprehendantur, dicendum eſt, ſacræ Euchariſtiæ ſummam vim eſſe ad æternam gloriam comparandam. Scriptum eſt enim (a) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Hujus videlicet Sacramenti gratia fideles, dum hanc vitam degunt, ſumma conſcientiæ pace, & tranquillitate perfruuntur: deinde ejus virtute recreati, non ſecus atque Helias, (b) qui ſub-

D. Thom. in 3. p. q. 119. art. 2. Coryſoſt. de ſacerdo. lib. 6.

a) *Joan. 6. 55.*

b) *3. Reg. 19. 8.*

ſubcinericii panis fortitudine ambulavit uſque ad montem Dei Horeb, cum ex vita emigrandi tempus advenerit, ad æternam gloriam, & beatitudinem aſcendunt. Hæc omnia a Paſtoribus latiſſime explicabuntur, ſi vel Divi Joannis locum, in quo multiplices hujus Sacramenti effectus aperiuntur, tractandum ſumpſerint: vel admiranda Chriſti Domini facta percurrentes, oſtenderint, cum eos jure, ac merito beatiſſimos fuiſſe exiſtimemus, (a) in quorum tecta mortalis receptus eſt, vel qui illius (b) veſtis, aut fimbriæ tactu ſanitatem recuperarunt, multo nos beatiores, & feliciores eſſe, in quorum animam immortali gloria præditus ingredi non gravetur, ut ejus vulnera ſanet omnia, eamque ampliſſimis muneribus ornatam ſibi conjungat.

Joan. 6. 54. 55.

a) *Matt.* 8. 14. & 9. 10. *Luc.* 10. 38.

b) *Matt.* 9. 21.

55. *Quot modis corpori, & ſanguini Domini communicemus.*

De modis recipiendæ Euchariſtiam.

Verum docendum eſt, a quibus ingentes illi ſacræ Euchariſtiæ fructus, qui modo commemorati ſunt, percipi poſſint; neque unam tantum eſſe communicandi rationem, ut fidelis populus diſcat meliora chariſmata æmulari. Recte igitur, & ſapienter majores noſtri, ut in (c) Tridentina Synodo legimus, tres hujus Sacramenti ſumendi rationes diſtinxerunt. Alii enim Sacramentum tantum accipiunt, ut peccatores, qui ſacra myſteria impuro ore, & corde accipere non verentur, quos Apoſtolus ait (d) indigne manducare, & bibere, corpus Domini. De his Divus Auguſtinus ita ſcribit: *Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio non manducat ſpiritualiter ejus carnem, licet*

c) *Trid. Conc. ſeſſ.* 13. *c.* 8.

d) 1. *Cor.* 11. *Aug. de conſec. diſt.* 2. *c. Quidem, & in tract.* 26. *in Joan. & lib.* 3. *de Baptiſ.*

licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus Sacramenta corporis, & sanguinis. Qui itaque hoc modo affecti sacra mysteria accipiunt, non solum ex his nullum capiunt fructum, sed, ipso (a) Apostolo teste, judicium sibi manducant, & bibunt. Alii vero spiritu tantummodo Eucharistiam sumere dicuntur: ii sunt, qui desiderio, & voto, propositum cœlestem illum panem comedunt, fide viva incensi, (b) quæ per dilectionem operatur; ex quo, si non omnes, maximos certe utilitatis fructus consequuntur. Alii denique sunt, qui Sacramento, & spiritu sacram Eucharistiam percipiunt; qui cum ex Apostoli doctrina (c) prius se probaverint, ac (d) veste nuptiali ornati ad divinam hanc mensam accesserint, ex Eucharistia capiunt uberrimos illos quos antea diximus, fructus. Quare perspicuum est, eos se maximis, & cœlestibus bonis privare, qui, cum ad corporis Domini Sacramentum etiam sumendum parati esse possint, satis habent spiritu tantum sacram Communionem accipere.

contra Donat. c. 8. & Mag. in 4. dist. 9. lit. B. & D. Thom. in 3. p. q. 80. art. 1. Triplici modo sumitur Euchar. Sacramentaliter tantum, & corporiter.

a) 1. *Cor.* 11. 16. *Spiritualiter tantum.*

b) *Gal.* 56. *Sacramentaliter & spiritualiter simul.*

c) 1. *Cor.* 11. 28.

d) *Matth.* 22. 11. *Qui communicare sacramentaliter negligunt, quantis se privent fructibus.*

56. Antequam quis ad Eucharistiam accedat, præparandum animum esse, ostenditur.

Sed jam docendum est, qua ratione præparatos fidelium animos esse oporteat, antequam ad Sacramentalem Eucharistiæ perceptionem veniant. Ac primum quidem, ut pateat, eam præparationem maxime necessariam esse, Salvatoris nostri exemplum proponendum est. Nam, antequam Apostolis pretiosi corporis, & sanguinis sui Sacramenta daret, quamvis jam mundi essent, (e) pedes eorum lavit; ut declararet, omnem diligentiam adhibendam esse,

De præparatione ad Eucharistiam. Sess. 13. Concil. Trid. de Euchar. c. 7. & can. 11. vide Basil. qu. 172. in reg. brev. tribus.

e) *Joan.* 13. 5.

ne quid nobis ad ſummam animi integritatem, & innocentiam deſit, cum ſacra myſteria percepturi ſumus. Deinde vero fideles intelligant, quemadmodum, ſi optime affecto, & præparato animo Euchariſtiam aliquis ſumat, ampliſſimis cœleſtis gratiæ muneribus ornatur: ita contra, ſi imparatus accipiat, non ſolum nihil commodi, ſed maxima etiam incommoda, & detrimenta eum accipere. Optimis enim rebus, & maxime ſalutaribus hoc proprium eſt, ut, ſi in tempore iis utamur, vehementer proſint: ſin alieno tempore adhibeantur, perniciem, & exitium afferant. Quare mirandum non eſt, ingentia quoque, & præclariſſima Dei dona, cum bene conſtituto animo accipiuntur, ad cœleſtem gloriam conſequendam maximo nobis adjumento eſſe: at vero, cum iis nos ipſos indignos præbemus, ſempiternam mortem afferre. Id vero arcæ Domini exemplo comprobatur. (a) Arca enim Fœderis, qua nihil præſtantius Iſraeliticus populus habuit, cui etiam per illam maxima, & innumerabilia beneficia Dominus tribuerat, a (b) Philiſtæis ablata, ſummam illis peſtem, & calamitatem cum æterno dedecore conjunctam importavit. Sic etiam cibi, qui ore accepti in ſtomachum bene affectum illabuntur, corpora alunt, & ſuſtentant: qui vero in ſtomachum vitioſis humoribus plenum infundi ſolent, graves morbos efficiunt.

D. Thom. in 3. p. q. 80. art. 4.

a) *Exod.* 26. 21. 24.

b) 1. *Reg.* 5. *per totam.*

57. Quo pacto animus ad Euchariſtiam ſit præparandus.

Ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem primo

Primam itaque illam præparationem fideles adhibeant, ut diſcernant menſam a menſa, hanc

hanc ſacram ab aliis profanis, cœleſtem hunc panem a communi. Atque hoc fit, cum certo credimus, præſens eſſe verum corpus, & ſanguinem Domini, (a) quem in cœlo Angeli adorant, (b) ad cujus nutum columnæ cœli contremiſcunt, & pavent, cujus (c) gloria plenum eſt cœlum, & terra. Hoc nimirum eſt dijudicare corpus Domini, quod (d) Apoſtolus admonuit: cujus tamen myſterii magnitudinem venerari potius oportet, quam in diſputationibus ejus veritatem curioſius perquirere.

diſcernendus eſt cœleſtis panis a communi.

a) *Pſal.* 96. 8. *Hebr.* 1. 6.
b) *Job.* 26. 11.
c) *Iſa.* 6. 3.
d) 1. *Cor.* 11. 29.

Altera vero illa præparatio maxime neceſſaria eſt, ut unuſquiſque a ſeipſo quærat, num pacem cum aliis habeat, (e) num proximos vere, atque ex animo diligat. Inquit enim Matthæus: (f) *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

Secundo reconciliatio cum inimicis facienda eſt.

e) 1. *Joan.* 3. 14.
f) *Matth.* 5. 23. 24.

Deinde conſcientiam noſtram ſcrutari diligenter debemus, ne forte exitiali aliquo peccato contaminati ſimus, cujus pœnitere neceſſe ſit, ut prius Contritionis, & Confeſſionis medicamento illud eluatur. Definitum eſt enim a ſancta Tridentina Synodo, nemini licere, quem peccati mortalis conſcientia ſtimulet, ſi Sacerdotis facultas data ſit, antequam ſe Sacramentali Confeſſione purgarit, quantumvis ſibi contritus eſſe videatur, ſacram Euchariſtiam accipere.

Tertio conſcientia per Sacramentum pœnitentiæ a capitalibus vitiis eluenda eſt.

Synod. Trid. ſeſſ. 13. *can.* 11.

Præterea taciti cum animis noſtris cogitemus, quam indigni ſimus, quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur. Quare

Quarto præmittenda eſt humilis de ſe ipſo exiſtimatio.

illud Centurionis, (a) de quo idem ipse Salvator testatus est, se non inveniſſe tantam fidem in Israel, ex animo dicendum est, (b) *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Exquiramus etiam a nobis ipsis, an illud Petri usurpare nobis liceat, (c) *Domine tu scis, quia amo te.* Meminiſſe enim oportet, eum, qui sine (d) veste nuptiali in convivio Domini accubuerat, in tenebrosum carcerem conjectum, sempiternis pœnis addictum fuiſſe.

a) *Matth.* 8. 10.

b) *Ibid.* 8. *Quinto est videndum, an vera charitate simus præditi.*

c) *Joan.* 21. 15.

d) *Matth.* 22. 11.

58. Etiam corporis aliqua ratio communicare volenti est suscipienda.

Jejunos communicantes esse necesse est, de conſ. diſt. 2. cap. 54. Liquide.

Neque vero animi solum, sed etiam corporis præparatione opus est. Nam jejuni ad sacram mensam accedere debemus, ita ut saltem a dimidia antecedentis diei nocte usque ad illud temporis punctum, quo sacram Eucharistiam accipimus, nihil omnino comederimus, aut biberimus. Postulat etiam tanti Sacramenti dignitas, ut qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies a concubitu uxorum abstineant, (e) Davidis exemplo admoniti, qui, cum panes Propositionis a sacerdote acceptu-rus esſet, purum se, & pueros suos ab uxorum consuetudine tres ipsos dies profeſſus est. Hæc fere sunt, quæ maxime observari a fidelibus oportet, ut se ad sacra mysteria utiliter accipienda antea parent. Reliqua enim, quæ hac in re providenda esſe videantur, ad hæc ipsa capita facile redigi poterunt.

Item castos. vide 33. qu. 4. c. Sciatis & c. 7. Vir cum propria 31. qu. 4. & c. 21. Omnis homo, de conſ. diſt. 2.

e) 1. *Reg.* 21. 5.

59. Christiani omnes Eucharistiam sumere saltem semel in anno tenentur.

Concil. Later. cap. 21. & habetur de pœnit.

Sed, ne forte aliqui segniores ad hoc Sacramentum percipiendum reddantur, quod tantam

tam præparationem adhibere grave admodum, & difficile ducant : fideles sæpe admonendi sunt, omnibus eam legem propositam esse, ut sacram Eucharistiam accipiant. Præterea constitutum est ab Ecclesia, ut qui semel saltem singulis annis in Pascha non communicaverit, ab Ecclesia arceatur.

& remiss. cap. Omnis. Sess. 13. Conc. Trid. de Euch. can. 9.

60. *Quoties, & quibus temporibus percipienda sit Eucharistia.*

Neque tamen fideles hoc satis habeant, se, hujus decreti auctoritati obtemperantes, semel tantummodo corpus Domini quotannis accipere, verum sæpius iterandam Eucharistiæ Communionem existiment. Utrum autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest: verumtamen illa est S. Augustini norma certissima, *Sic vive, ut quotidie possis sumere.* Quare Parochi partes erunt, fideles crebro adhortari, ut, quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant, ita etiam quotidie hoc sacramento alendæ, & nutriendæ animæ curam non abjiciant. Neque enim minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus indigere, perspicuum est. Vehementer autem proderit hoc loco repetere maxima illa, & divina beneficia, quæ, ut antea demonstratum est, ex Eucharistiæ Sacramentali Communione consequimur. Illa etiam figura erit addenda, (a) cum singulis diebus corporis vires Manna reficere oportebat: itemque sanctorum Patrum auctoritates, quæ frequentem hujus Sacramenti perceptionem magnopere commendant. Ne-

Sæpius communicandum. Ambr. lib. 5. de Sacram. cap. 4. vide Aug. in lib. 50. hom. 41. Hon. & de bono perfev. cap. 14. & Ep. 118. ad Jan. vide item c. Peracta, & c. Quotidie. & c. 1. Si quotiescunque, & c. Si non tanta sunt de consecr. dist. 2.

a) *Exod. 16. 15.*

que enim unius S. Patris (a) Auguſtini ea fuit ſententia, *Quotidie peccas, quotidie jume :* ſed, ſi quis diligenter attenderit, eundem omnium (b) Patrum, qui de hac re ſcripſerunt, ſenſum fuiſſe, facile comperiet.

a) *D. Auguſt. ſerm. 28. de verb. Domini.*

b) *Ignat. in ep. ad Eph. Baſil. ad Cæſarium Patr. Ambr. lib. 5. de Sacram. c. 4.*

61. Communicandi morem in Eccleſia olim frequentem fuiſſe, demonſtratur.

Ac tempus quidem olim fuiſſe, cum fideles quotidie Euchariſtiàm acciperent, ex (c) Apoſtolorum actis intelligemus. Omnes enim, qui tunc fidem Chriſtianam profitebantur, vera, & ſincera charitate ita ardebant, ut, cum ſine intermiſſione orationibus, & aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad ſacra Dominici corporis myſteria ſumenda parati invenirentur. Eam poſtea conſuetudinem, quæ intermitti videbatur, Anacletus ſanctiſſimus Martyr, & Pontifex Maximus aliqua ex parte renovavit. Præcepit enim, ut miniſtri, qui Miſſæ ſacrificio intereſſent, communicarent, quod ab Apoſtolis conſtitutum eſſe, affirmaret. Diu etiam in Eccleſia ille mos fuit, ut Sacerdos, peracto ſacrificio cum Euchariſtiam ſumpſiſſet, ad populum, qui aderat, converſus, his verbis ad ſacram menſam fideles invitaret. *Venite fratres ad Communionem :* tunc, qui parati erant, ſumma cum religione ſacroſancta myſteria ſumebant. Sed, cum deinde charitas, & pietatis ſtudium adeo refrixiſſet, ut raro admodum ad Communionem fideles accederent, ſancitum eſt a Fabiano Pontifice, ut ter quotannis, in Natali Domini, & Reſurrectione, & Pentecoſte, omnes Euchariſtiam ſumerent : id quod poſtea a multis Conciliis, præſertim ve-

c) *Act. 2. 42.*

S. Anacletus Ep. 2. & citatur de conſ. D. 1. cap. Epiſcopus, & Diſt. 3. cap. Furacia vide Dionyſ. Areop. de Eccl. Hier. c. 3. & Greg. lib. 2. Dial. cap. 23. S. Fabian. Ep. 3. ad Hilar. Epiſ. & habetur de conſ. diſt. 2. cap. Etſi Præcipitur, ut fideles ter in anno communicent. Turon. Conc. III. c. 50. Conc. Agat. c. 38. & Cabilonenſ. II. Conc. Lat. can. 21. & citatur de pœn. & remiſſ. c. Omnis, & Trid. ſeſſ. 13. can. 9. præcipitur, ut fideles ſemel ad minus communicent.

ro

ro ab Agathenſi primo confirmatum eſt. Ad extremum, cum eo res adducta eſſet, ut non modo ſancta illa, & ſalutaris præceptio non ſervaretur, ſed in plures etiam annos ſacræ Euchariſtiæ Communio differretur, decretum eſt in Lateranenſi Concilio, ut ſemel ad minus ſingulis annis in Paſcha fideles omnes ſacrum Domini corpus acciperent; qui vero id facere neglexiſſent, Eccleſiæ aditu prohiberentur.

62. Pueris nondum ratione utentibus Euchariſtiam adminiſtrare non convenit.

Verum, quamvis hæc lex Dei, & Eccleſiæ auctoritate ſancita ad omnes fideles pertineat, docendum eſt, eos tamen excipi, qui nondum rationis uſum propter ætatis imbecillitatem habent. Hi enim neque ſacram Euchariſtiam a communi, & profano pane ſciunt diſcernere, neque ad eam accipiendam pietatem animi, & religionem afferre poſſunt. Atque id etiam a Chriſti Domini inſtitutione alieniſſimum videtur. Inquit enim: (a) *Accipite, & comedite:* infantes autem idoneos non eſſe, qui accipiant, & comedant, ſatis conſtat. Vetus quidem illa fuit in quibuſdam locis conſuetudo, ut infantibus etiam ſacram Euchariſtiam præberent: ſed tamen tum ob eas cauſas, quæ antea dictæ ſunt, tum ob alias Chriſtianæ pietati maxime conſentaneas jamdiu ejuſdem Eccleſiæ auctoritate id fieri deſiit.

Infantibus Euchar. non eſt adminiſtranda. Conc. Trid. ſeſſ. 21. de communione ſub utraque ſpecie, c. 4. & can. 4. D. Thom. in 3. p. q. 80. art. 9.

a) *Matth. 26. 26. Vide Cypr. ſerm. 5. de lapſis. Poſt medium.*

63. Qua ætate pueris ſacra myſteria danda ſint.

Qua vero ætate pueris ſacra myſteria danda ſint, nemo melius conſtituere poterit, quam pater, & ſacerdos, cui illi confitentur pec-

cata. Ad illos enim pertinet explorare, & a pueris percontari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, & guſtum habeant.

64. Licet inſanos aliquando ad Communionem admittere.

Concil. Arau. c. 3. & habetur 26. q. 6. c. Qui recedunt. D. Thom. ibid. Conc. Carth. 4. c. 76. & habetur 26. q. 6. cap. 15. Qui per pœnitentiam.

Amentibus præterea, qui tunc a pietatis ſenſu alieni ſunt, Sacramenta dare minime oportet. Quamvis, ſi antequam in inſaniam inciderent, piam, & religioſam animi voluntatem præſetulerint, licebit eis in fine vitæ, ex Concilii Carthaginenſis decreto, Euchariſtiam adminiſtrare: modo vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum nullum timendum ſit.

65. Laicis ſub utraque ſpecie communicandum non eſt.

Laicis, niſi accedat Eccleſiæ auctoritas, ſub altera tantum ſpecie communicandum eſt. Trid. Syn. ſeſſ. 21. de comm. ſub utraque ſpecie c. 1. 2. 3.

Quod vero ad communicandi ritum pertinet, doceant Parochi, S. Eccleſiæ lege interdictum eſſe, ne quis ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate, præter ſacerdotes corpus Domini in ſacrificio conficientes, ſub utraque ſpecie ſacram Euchariſtiam ſumat. Nam, ut a Tridentina Synodo explicatum eſt, quamvis Chriſtus Dominus in ultima cœna altiſſimum hoc Sacramentum in panis, & vini ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit: ex eo tamen non efficitur, hanc legem a Domino Salvatore conſtitutam eſſe, ut omnibus fidelibus ſacra myſteria ſub utraque ſpecie adminiſtranda ſint. Etenim idem Dominus noſter, cum de hoc Sacramento loqueretur, alterius tantum ſpeciei ſæpius meminit: ut, cum inquit: (a) *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum:* &, *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro*

a) *Joan. 6. 52.*

mun-

mundi vita: &, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

66. Rationes, ob quas Ecclesia alterius tantum speciei usum laicis concesserit.

Multis vero, & iis quidem gravissimis rationibus adductam esse Ecclesiam patet, ut hanc potissimum sub altera specie communicandi consuetudinem non solum approbaret, sed etiam decreti auctoritate firmaret.

Laicis una tantum pars conceditur, ut 1. *Reg.* 2. *Dimitte me, obsecro, ad unam partem Sacerdotalem.*

Primum enim maxime cavendum erat, ne sanguis Domini in terram funderetur: quod quidem facile vitari posse non videbatur, si in magna populi multitudine eum ministrare oportuisset.

Prima ratio.

Præterea, cum sacra Eucharistia ægrotis præsto esse debeat, magnopere timendum erat, ne, si diutius vini species asservaretur, coasceret.

Secunda ratio. Concil. Nicen. can. 12. *Aurel. can.* 24.

Permulti præterea sunt, qui vini saporem, ac ne odorem quidem perferre ullo modo possint. Quare, ne, quod spiritualis salutis causa dandum est, corporis valetudini noceret, prudentissime sancitum est ab Ecclesia, ut panis tantummodo speciem fideles acciperent.

Tertia ratio.

Accedit ad alias rationes, quod in pluribus Provinciis summa vini penuria laboratur: neque id aliunde sine maximis impensis, ac non nisi longissimis, ac difficillimis itineribus convehi potest.

Quarta ratio.

Deinde, quod maxime omnium ad rem pertinet, convellenda erat eorum hæresis, qui negabant, sub utraque specie totum Christum esse, sed corpus tantum exangue sub panis, sanguinem autem sub vini specie contineri as-

Quinta ratio. Totum Christum in Eucharistia contineri scribunt Basil. ad Cæs. Patr. Cyr. ad Calosyr & in Joan. l. 4. *cap.* 14.

ferebant. Ut igitur fidei Catholicæ veritas magis ante omnium oculos poneretur, ſapientiſſimo conſilio alterius ſpeciei, hoc eſt panis, Communio inducta eſt. Sunt & aliæ rationes ab iis collectæ, qui de hoc argumento diſſerunt, quæ, ſi opus eſſe videbitur, a Parochis afferri poterunt. Jam de miniſtro, quamvis id a nemine fere ignorari poſſit, agendum eſt, ne quid prætermiſſum ſit, quod ad hujus Sacramenti doctrinam pertinere videatur.

67. Proprius hujus Sacramenti miniſter eſt Sacerdos.

Miniſter Euchariſtiæ ſolus Sacerdos.

Itaque tradendum eſt, ſolis Sacerdotibus poteſtatem datam eſſe, (a) ut ſacram Euchariſtiam conficiant, ac fidelibus diſtribuant. Eum autem morem in Eccleſia ſemper ſervatum eſſe, ut fidelis populus a Sacerdotibus Sacramenta acciperet, Sacerdotes autem ſacra facientes ipſi ſe communicarent, ſancta Tridentina Synodus explicavit, oſtenditque hanc conſuetudinem tanquam ab Apoſtolica traditione profectam religioſe retinendam eſſe; cum præſertim hujus rei nobis illuſtre exemplum Chriſtus Dominus reliquerit, qui & ſanctiſſimum ſuum corpus conſecravit (b) & Apoſtolis ſuis manibus porrexit. Verum, ut quacunque ratione tanti Sacramenti dignitati conſuleretur, non modo ejus adminiſtrandi poteſtas ſolis Sacerdotibus data eſt, ſed lege etiam Eccleſia vetuit, ne quis, niſi conſecratus eſſet, ſacra vaſa, lintea, & alia inſtrumenta, quæ ad illius confectionem neceſſaria ſunt, tractare aut tangere auderet, modo gravis aliqua neceſſitas non incideret.

a) *Sic Sacrificium iſtud inſtituit, cuius officium committi voluit, &c. D. Th. in Hymn Trid Syn. ſeſſ. 13. cap. 10.*

b) *Matth. 26. 26. Marc. 14. 12. Laicis non licet res ſacras ad Conſecrationem Euch. neceſſarias attingere d. 23. c. Sacratas.*

68. Po-

68. Poteſt Euchariſtia per improbos Sacerdotes vel conſecrari, vel adminiſtrari.

Ex quo tum Sacerdotes ipſi, tum reliqui fideles intelligere poſſunt, quanta religione, & ſanctitate præditos eſſe oporteat, qui ad Euchariſtiam vel conſecrandam, vel adminiſtrandam, vel ſumendam accedunt. Quamquam, quod antea de Sacramentis dictum eſt, ea non minus ab improbis adminiſtrari, ſi, quæ ad illorum perfectam rationem attinent, rite ſerventur, idem valet in Euchariſtiæ Sacramento. Neque enim hæc omnia miniſtrorum merito niti, ſed Chriſti Domini virtute, & poteſtate geri, credendum eſt. Hæc ſunt, quæ de Euchariſtia, ut Sacramentum eſt, explicanda erunt. Nunc, quod reſtat dicendum, ut Sacrificium eſt, oportet explanare, ut intelligant Parochi, quæ potiſſimum de hoc myſterio, quemadmodum ſancta Synodus decrevit, Dominicis, & feſtis diebus fideli populo tradere debeant.

D. Thom. in 3. p. qu. 82. art. 5. vide item Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 10.

De Euchar. ut eſt Sacrificium ſeſſ. 22. Conc. Trid. in princ.

69. Euchariſtia peculiare novi Teſtamenti Sacrificium Deo eſt acceptiſſimum.

Etenim hoc Sacramentum non ſolum theſaurus eſt cœleſtium divitiarum, quo, ſi bene utamur, Dei gratiam nobis conciliamus, & amorem, ſed in eo quædam præcipua ratio ineſt, qua ei pro immenſis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam referre poſſimus. At vero hæc Victima, ſi rite, & legitime immoletur, quam grata, & accepta Deo ſit, ex hoc intelligitur. Si enim veteris Legis Sacrificia, de quibus ſcriptum eſt, (a) *Sacrificium, & oblationem noluiſti*, & iterum, (b) *Si voluiſſes Sacrificium, dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis*, Ita placue-

Sacramenti, & Sacrificii diſcrimen innuitur.

Euchariſtia Sacrificium quam ſit Deo gratum. vide Iſ. cap. 56. & 61. Jerem. 33. Auguſt. lib. 20. contr. Fauſt. cap. 21.

a) *Pſal. 39. 7.*
b) *Pſal. 50. 18.*

a) Gen. 8. 21. cuerunt Domino, (a) Scriptura Deum odoratum esse odorem suavitatis, id est grata ei, & accepta fuisse, testetur, quid nobis sperandum de eo Sacrificio, in quo ille ipse immolatur, atque offertur, de quo cœlestis vox bis audita est, (b) *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* Hoc igitur mysterium Parochi diligenter exponent, ut, cum fideles ad rem divinam convenerint, attente, & religiose sacra illa, in quibus intersunt, meditari discant.

b) Matt. 3. 17. & 17. 5.

70. Quæ sint causæ, ob quas Eucharistia a Christo Domino instituta est.

Eucharistiam a Christo esse institutam, cum ut sit Sacramentum, tum ut sit Sacrificium.

In primis igitur docebunt, Eucharistiam duabus de causis institutam esse: altera est, (c) ut cœleste animæ nostræ alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri, & conservare possemus: altera, ut Ecclesia perpetuum Sacrificium haberet, quo peccata nostra expiarentur, & cœlestis Pater sceleribus nostris sæpe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a juste animadversionis severitate ad clementiam traduceretur. Hujus rei figuram, & (d) similitudinem in agno Paschali licet animadvertere, qui, ut Sacrificium, & Sacramentum a filiis Israel offerri, & comedi consueverat. Nec vero, cum Salvator noster Deo Patri seipsum in ara Crucis oblaturus esset, ullam suæ erga nos immensæ charitatis illustriorem significationem dare potuit, quam cum nobis visibile Sacrificium reliquit, quo cruentum illud semel in Cruce paulo post immolandum instauraretur, ejusque memoria usque in finem sæculi, quotidie summa cum utilitate, ab Ecclesia per universum orbem diffusa coleretur.

c) Prov. 9. 2. Joan. 6. 35. 1. Cor. 10. 11. Sess. 22. Conc. Trid. de Sacrificio Missæ c. 1. 2. Dion. l. Eccles. Hier. cap. 3. Ignat. ad Smyrnen.

Similitudo agni Paschi.

d) Exod. 12. 3. 4. Deut. 16.

71. Quo-

71. Quomodo Sacramentum a Sacrificio ſecernatur.

Sacramenti, & Sacrificii diſcrimen.

Differunt autem plurimum inter ſe hæ duæ rationes. Sacramentum enim conſecratione perficitur: omnis vero Sacrificii vis in eo eſt, ut offeratur. Quare ſacra Euchariſtia, dum in pyxide continetur, vel ad ægrotum defertur, Sacramenti, non Sacrificii rationem habet. Deinde etiam ut Sacramentum eſt, iis, qui divinam Hoſtiam ſumunt, meriti cauſam affert, & omnes illas utilitates, quæ ſuperius commemoratæ ſunt: ut autem Sacrificium eſt, non merendi ſolum, ſed ſatisfaciendi quoque efficientiam continet. Nam ut Chriſtus Dominus in paſſione ſua pro nobis meruit, ac ſatisfecit: ſic qui hoc Sacrificium offerunt, quo nobiſcum communicant, Dominicæ paſſionis fructus merentur, ac ſatisfaciunt.

72. Quo tempore iſtud novi Teſtamenti Sacrificium ſit inſtitutum.

Sacrificium novi Teſtamenti quando ſit inſtitutum. Trid. Synod. ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ cap. 1. & can. 1. & 2.

Jam de hujus Sacrificii inſtitutione nullum ambigendi locum ſancta Tridentina Synodus reliquit. Declaravit enim, (a) in extrema Cœna a Chriſto Domino inſtitutum eſſe; ſimulque anathemate eos damnavit, qui aſſerunt, verum, & proprium Sacrificium Deo non offerri, aut offerre nihil aliud eſſe, quam Chriſtum ad manducandum dari.

a) *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11. 2. 19.

73. Non licet Sanctis, aut ulli creaturæ Sacrificium offerri.

Soli Deo Sacrificium in Miſſa offerri ſeſſ. 22. Conc. Trid. c. 3. & can. 5. Aug. l. 20. cont. Fauſt. c. 21. & l. 8. Civit. c. 27. Verba ſunt

Nec vero illud prætermiſit, quin diligenter explicaret, uni Deo Sacrificium fieri. Nam etſi Eccleſia interdum Miſſas in memoriam, & honorem Sanctorum celebrare conſuevit: non tamen illis Sacrificium, ſed uni Deo, qui Sanctos im-

orationis, qua S. Trinitati offertur Sacrificium.

immortali gloria coronavit, offerri docuit. Quare nec Sacerdos unquam dicere solet, *Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule:* sed dum soli Deo immolat, gratias illi agit pro beatissimorum Martyrum insigni victoria; eorumque patrocinium ita implorat: *ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.*

74. Unde doctrina illa Sacrificii, & Sacerdotii novæ legis hauriatur.

Ecclesiæ Catholicæ de Sacrificio doctrina Scripturis confirmatur.

Hæc autem, quæ de hujus Sacrificii veritate a Catholica Ecclesia tradita sunt, ex Domini verbis accepit, cum extrema illa nocte hæc ipsa sacra mysteria Apostolis commendans, (a) *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Eos enim, quemadmodum a S. Synodo definitum est, tunc Sacerdotes instituit, præcepitque, ut ipsi, & qui eis in Sacerdotali munere succeßuri essent, corpus ejus immolarent, & offerrent. Atque id etiam Apostoli verba ad Corinthios scripta satis demonstrant, cum ait (b) *Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum, non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* Ut enim pro Dæmoniorum mensa altare, in quo eis immolabatur, intelligendum est: ita etiam (ut quod Apostolus proponit, probabili argumentatione concludatur) mensa Domini nihil aliud, nisi altare, in quo Sacrificium Domino fiebat, significare potest.

a) *Luc.* 22. 19. 1. *Cor.* 11. 24. *Apostoli quando Sacerdotes sin instituit. Conc. Trid. sess.* 22. *de Sacrif. Missæ ca.* & *can.* 2.

b) 1. *Cor.* 10. 21.

75. Quibus potissimum figuris, & prophetiis istud Sacrificium olim significatum fuerit.

Eucharistiæ Sacrificium figuris, & Prophetiis veteris Testamenti traditum.

Quod si ex veteri testamento hujus Sacrificii figuras, & oracula requiramus, primum quidem de eo Malachias apertissime vaticinatus est

his

verbis : (a) *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Præterea hæc Hoſtia tam ante, quam poſt latam Legem variis Sacrificiorum generibus prænunciata eſt. Etenim bona omnia, quæ iis Sacrificiis ſignificabantur, hæc una Victima, tanquam omnium perfectio, & abſolutio completa eſt. Verumtamen nulla in re ejus imaginem magis expreſſam licet videre, quam (b) in Melchiſedech Sacrificio. Ipſe enim Salvator (c) Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum in extrema Cœna ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit.

a) *Malach.* 1. 10. 11.

b) *Gen.* 14. 18. *Hebr.* 7. 17.

c) *Pſal.* 109. 4.

76. Idem Sacrificium, quod in Cruce fuit oblatum, in Miſſa peragitur.

Unum itaque, & idem Sacrificium eſſe fatemur, & haberi debet, quod in Miſſa peragitur, & quod in Cruce oblatum eſt : quemadmodum una eſt & eadem Hoſtia, Chriſtus videlicet Dominus noſter, qui ſe ipſum in ara Crucis ſemel tantummodo cruentum immolavit. Neque enim cruenta & incruenta Hoſtia, duæ ſunt Hoſtiæ, ſed una tantum ; cujus Sacrificium poſtquam Dominus ita præcepit, (d) *Hoc facite in meam commemorationem*, in Euchariſtia quotidie inſtauratur.

Unus eſt Chriſti Sacrificium, & Eccleſiæ. Vide de Summa Trinit. ca. Firmiter, & Aug. lib. 10. de Civit. Dei c. 20. Levit. 34. 16.

d) *Luc.* 22. 19. 1. *Cor.* 11. 24.

77. Eſt etiam unus utrinque Sacerdos.

Sed unus etiam, atque idem Sacerdos eſt Chriſtus Dominus. Nam miniſtri, qui Sacrificium faciunt, non ſuam, ſed Chriſti perſonam ſuſcipiunt, cum ejus corpus, & ſanguinem confici-

Chriſtus eſt, qui offert, & conſecrat, proprie, Chryſoſt hom. 2. in 2. epiſt. ad Tim. & in hom. de prodit. Judæ.

Ambr. lib. 4. de Sacr. c. 4.

ficiunt. Id quod & ipsius Consecrationis verbis ostenditur. Neque enim Sacerdos inquit, *Hoc est corpus Christi*, sed, *Hoc est corpus meum*, personam videlicet Christi Domini gerens, panis, & vini substantiam in veram ejus corporis, & sanguinis substantiam convertit.

78. Missa ut laudis, ita etiam propitiationis est Sacrificium.

Missam esse non solum laudis, sed propitiationis Sacrificium. Sess. 22. Con. Trid. de Sacrificio Missæ c. 2. & ca. 3. Fructus. Sacrificii Missæ.

Quæ cum ita sint, sine ulla dubitatione docendum est, id, quod etiam sancta Synodus explicavit, sacrosanctum Missæ Sacrificium esse non solum laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii, quod in Cruce factum est; sed vere etiam propitiatorium Sacrificium, quo Deus nobis placatus, & propitius redditur. Quare si puro corde, accensa fide, & intimo scelerum nostrorum dolori affecti hanc sanctissimam Hostiam immolemus, & offeramus, dubitandum non est, quin misericordiam a Domino consecuturi simus, & gratiam in auxilio oportuno. Hujus enim Victimæ odore ita delectatur Dominus, ut gratiæ, & pœnitentiæ donum nobis impertiens peccata condonet.

Ambr. lib. 1. offic. cap. 50. Aug. lib. de civ. cap. 8. 24.

Secreta Dominicæ IX. post Pentecosten. Trid. Synod. sess. 22. cap. 2. can. 3.

Quamobrem & solemnis est illa Ecclesiæ precatio, *Quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, toties opus nostræ redemptionis exercetur:* nimirum uberrimi illi cruentæ Hostiæ fructus per hoc incruentum Sacrificium ad nos manant.

79. Pertingit etiam Sacrificii Missæ fructus ad defunctos.

Deinde vero hujus Sacrificii eam vim esse Parochi docebunt, ut non solum immolanti, & sumenti prosit, (a) sed omnibus etiam fidelibus, sive illi nobiscum in terris vivant, sive

a) Cypr. lib. 1. ep. 9. ad Cler. & plebem Furnis.

jam

jam in Domino mortui nondum plane expiati sint. Neque enim minus ex Apostolorum certissima traditione pro his utiliter offertur, quam pro vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, ac quibusvis calamitatibus, & angustiis.

80. Nulla Missa ex communi usu Ecclesiæ celebrata dicenda est privata.

Ex quo facile perspicitur, omnes Missas communes censendas esse, ut quæ ad communem omnium fidelium utilitatem, & salutem pertineant.

Nulla Missa privata dicenda est, sess. 22. Conc. Trid. de Sacrific. Missæ cap. 6. & can. 8.

81. Quonam hujus Sacrificii cæremoniæ pertineant.

Habet autem hoc Sacrificium multos, eosque maxime insignes, ac solemnes ritus, quorum nullus supervacaneus, aut inanis existimandus est; verum omnes eo spectant, ut & tanti Sacrificii majestas magis eluceat, & salutaribus mysteriis intuendis ad rerum divinarum, quæ in eo Sacrificio occultæ sunt, contemplationem fideles excitentur. Sed de his nihil est ut plura dicamus; tum quia hoc argumentum longiorem explicationem postulare videtur, quam propositæ institutioni conveniat; tum quia innumerabiles pene libellos, & commentarios, qui de hac re a piis, & doctissimis viris conscripti sunt, Sacerdotes in promptu habebunt. Hactenus igitur satis fuerit, earum rerum, quæ ad Eucharistiam, tum qua Sacramentum, tum qua Sacrificium sit, pertinent, potiora capita, juvante Domino, exposuisse.

Ritus Missæ quo pertineant. Sess. 22. Conc. Trid. c. 5. & c. 7. vide etiam Dion. Areop. l. de Eccl. Hier. cap. 3. vide D. Thom. in 3. P. q. 83. art. 5.

DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

CAPUT V.

1. Accurate, ac frequenter doctrina Pœnitentiæ Christianis auribus est inferenda.

De Pœnitentia ex veteribus scripserunt Amb. lib. duos. Aug. sæpe, & lib. de pœnit. remed. & de vera, & falsa pœnitentia. Consule item septem de Pœnitent. dist. in Decreto.

Quemàdmodum humanæ naturæ fragilitas, & imbecillitas omnibus nota est, eamque in seipso quisque facile experitur: ita, quantam habeat necessitatem Pœnitentiæ Sacramentum, ignorare nemo potest. Quod si diligentiam, quæ a Parochis in unoquoque argumento adhibenda est, ex rei, quam tractant, magnitudine, & pondere metiri oportet, omnino fatebimur, eos nunquam in loci hujus explicatione adeo diligentes futuros esse, ut satis videri possit. Quin etiam de hoc Sacramento, quam de Baptismo, eo accuratius agendum est, quod Baptismus semel tantum administratur, nec iterari potest: Pœnitentiæ vero toties locus datur, ejusque repetendæ toties necessitas imposita est, quoties post Baptismum peccare contingat. Ita enim a Tridentina Synodo dictum est Sacramentum Pœnitentiæ non secus lapsis post Baptismum, ac Baptismum nondum regeneratis, ad salutem necessarium esse: vulgataque illa S. Hieronymi sententia ab omnibus, qui deinceps res sacras tradiderunt, magnopere comprobatur, Pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium. Ut enim confracta navi unum vitæ servandæ per-

Luc. 17. 3. Matth. 18. 22. Trid. Syn. sess. 6. de Justific. c. 14. de Pœnit. cap. 2. Tert. in lib. de Pœnit. Hier. in 3. c. Isa. super illud, Ruit enim Hierusalem. Ambr. ad virginem lapsam c. 3. Magist. in 4. sen. dist. 14. litt. A. & de Pœn. l. 1. c. secunda. Ezech. 18. Luc. 13.

fu-

ſugium reliquum eſt, ſi forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere: ita poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam, niſi quis ad Pœnitentiæ tabulam confugiat, ſine dubio de ejus ſalute deſperandum eſt. Hæc autem non ad Paſtores ſolum, ſed ad reliquos etiam fideles excitandos dicta ſint, ne forte in eis rei maxime neceſſariæ incuria reprehendatur. Primum enim communis fragilitatis memores omni ſtudio optare debent, ut divina ope adjuti, ſine caſu, aut prolapſione aliqua in via Domini progredi poſſint. Quod ſi nonnunquam offenderint, tum vero ſummam Dei benignitatem intuentes, qui tanquam (a) bonus paſtor ovium ſuarum vulnera obligare, eiſque mederi ſolet, hoc ſaluberrimum Pœnitentiæ medicamentum nunquam in aliud tempus differendum eſſe cogitabunt.

a) *Joan.* 10. 11. *Ezech.* 34. 10.

2. Quam varia ſit verbi Pœnitentiæ ſignicatio.

Ut autem rem ipſam aggrediamur, prius explicanda eſt varia hujus nominis poteſtas, & notio, ne aliquis ambiguitate vocis in errorem inducatur. Nonnulli enim Pœnitentiam pro ſatisfactione accipiunt: alii a Catholicæ Fidei doctrina longiſſime remoti, cum arbitrentur, Pœnitentiam nullam temporis præteriti rationem habere, nihil aliud, quam novam vitam eſſe definiunt. Docendum eſt igitur, multiplicem eſſe hujus nominis ſignificationem. Primum enim Pœnitentia de iis dicitur, quibus aliquid diſplicet, quod ante placuerit, nulla habita ratione hujus cogitationis, bonum ne, an malum fuerit. Sic omnes pœnitet, (b) quorum triſtitia ſecundum ſæculum eſt, non ſecundum Deum; cujuſmodi Pœnitentia non ſalu-

Ambr. lib. 2. de pœnit. cap. 9.

Verbi Pœnitentia multiplex ſignificatio.

Prima.

b) 2. *Cor.* 7. 10.

Secunda. tem affert, sed mortem. Altera est Pœnitentia, cum quis ex scelere admisso, quod quidem antea placebat, dolorem non Dei, sed sui ipsius

Tertia. causa, concipit. Tertia est, cum non solum admissi sceleris causa intimo animi sensu dolemus, vel ejus doloris externum etiam aliquod signum damus, verum unius Dei causa in eo mærore sumus. Ac singulis quidem Pœnitentiæ vox proprie convenit. Nam cum in (a) sacris Literis Deum pœnitere legimus, id per translationem dici perspicuum est. Eo enim loquendi genere, quod ad hominum mores accommodatum est, sacræ Literæ utuntur, cum Deum mutare aliquid constituisse declarant; quod non aliter facere videatur, quam homines, quos si alicujus rei pœniteat, eam commutare omni studio laborant. Sic ergo scriptum est, (b) pœnituisse eum, quod hominem fecisset: & alio loco (c) quod Saul Regem constituisset.

a) *Gen.* 6. 6. 1. *Reg.* 15. 11. *Psal.* 105. 45. *Jerem.* 26. 3. 13. 19. *Deum improprie alicujus rei pœnitet. Bern. serm.* 4. *super can. D. Thom.* 1. *p. q.* 21. *art.* 9.

b) *Gen.* 6. 6.

c) *Reg.* 15. 11.

3. Quodnam sit inter Pœnitentiæ significatione discrimen.

Actiones pœnitentis attinent locum materiæ in hoc Sacramento. Sess. 14. *Conc. Trid. de Pœnit. c.* 3. *& can.* 4. *Alex. de Ales* 4. *par. qu.* 54. *membr.* 1. *Arist.* 3. *Physic. tex.* 1.

Verum inter has Pœnitentiæ significationes magnum discrimen observare oportet. Prima enim in vitio ponenda est: altera est quædam commoti, & perturbati animi affectio: tertiam tum ad virtutem pertinere, tum Sacramentum esse dicimus; quæ significatio hujus loci propria est. Ac primum quidem de ipsa, ut virtutis parte, agendum est, non solum quia fidelis populus ad omne virtutis genus a Pastoribus institui debet, sed etiam quia hujus virtutis actionem tanquam materiam præbent, in qua Pœnitentiæ Sacramentum versetur; ac nisi

prius,

prius, quæ sit Pœnitentiæ virtus recte intelligatur, Sacramenti etiam vim ignorari necesse est.

4. Quid sit interior Pœnitentia.

Quare in primis monendi, hortandique sunt fideles, ut omni contentione, & studio in intima animi Pœnitentia, quam virtutem dicimus elaborent; sine qua ea, quæ extrinsecus adhibetur, parum admodum profutura est. Intima autem Pœnitentia est illa, cum ad Deum nos ex animo convertimus, & commissa a nobis scelera detestamur, & odio habemus; simulque illud nobis certum, & deliberatum est malam vitæ consuetudinem, corruptosque mores emendare, non sine spe veniæ a Dei misericordia consequendæ. Hanc vero dolor, & tristitia, quæ perturbatio, & affectio est, & passio a multis vocatur, consequitur, veluti comes peccatorum detestationi adjuncta. Quamobrem apud complures ex sanctis Patribus Pœnitentiæ definitio hujusmodi animi cruciatu declaratur.

Duplex est pœnitentia, interior, & exterior. Ambr. serm. de Pœnit. & habetur de Pœnit. dist. 3. cap. Pœnit. & Aug. lib. de vera, & falsa Pœnit. cap. 8.

Greg. hom. 34 in Evang.

5. Fides Pœnitentiæ pars non est.

Verum in eo, quem pœnitet, fides Pœnitentiam antecedat necesse esse. Neque enim potest quisquam se ad Deum convertere, qui fide careat. Ex quo fit, ut nullo modo Pœnitentiæ pars recte dici possit.

Concil. Trid. sess. 14. de Pœnit. cap. 3. & can. 4.

6. Intima animi Pœnitentia virtus est censenda.

Quod autem intima hæc Pœnitentia, ut antea diximus, ad virtutem pertineat, aperte ostendunt multa, (a) quæ de Pœnitentia tradita sunt, præcepta. Lex enim de iis tantum actionibus, quæ suscipiuntur cum virtute, præcipit. Negare præterea nemo potest, quin dolere, quando, quomodo, & quatenus oportet, virtutis sit.

a) *Matth. 3. 2. & 4. 17. Marc. 1. 11. Luc. 15. 3.*

Lex Dei imperat duntaxat actiones virtuti coniunctas.

Dolor triplici ratione virtus censeri potest.

Hoc autem ut recte fiat, Pœnitentiæ virtus præstat. Interdum enim evenit, ut ex admissis sceleribus minorem, quam par est, dolorem homines capiant: quin etiam, ut a Salomone scriptum est, (a) nonnulli sunt, qui cum malefecerint, lætantur. Rursus vero alii ita se mœrori animi, & ægritudini dedunt, ut de salute etiam prorsus desperent: qualis fortasse Cain videri potest, qui ait, (b) *Major est iniquitas mea, quam ut veniam mercar:* & qualis certe Judas fuit, (c) qui Pœnitentia ductus suspendio vitam, & animam amisit. Ut igitur modum in dolore tenere possimus, Pœnitentiæ virtute adjuvamur.

Prima ratio est, si non peccetur defectu.

a) *Prov. 2. 14.*

Secunda, ut non peccetur excessu.

b) *Gen. 4. 13.*

c) *Matt. 27. 5. Actor. 18.*

7. Quomodo is, quem vere pœnitet, affectus esse debeat.

Sed idem etiam ex iis rebus colligi potest, quas sibi tanquam finem proponit is, quem vere peccati pœnitet. Primum autem hoc ei propositum est, ut peccatum aboleat, omnemque animæ culpam, & maculam abstergat. Alterum est, ut pro sceleribus admissis Deo satisfaciat: quod quidem ad justitiam referri perspicuum est. Nam etsi inter Deum, & homines propria justitiæ ratio intercedere non potest, cum tam longo intervallo inter se distent; aliquam tamen esse justitiam constat, cujusmodi est inter Patrem, & filios, inter Dominum, & servos. Tertium est, ut homo in Dei gratiam redeat, in cujus offensionem, & odium propter peccati fœditatem incurrit. Hæc vero omnia satis declarant, Pœnitentiam ad virtutem spectare.

Tertia ratio, si bono fine sit susceptus, quod fit tripliciter Chrys. de Panit. & habet. de Pœn. dist. 3. c. Perfecta. Quomodo iustitia inter Deum, & homines esse possit ex Arist. in 5. Ethic. c. ult. docet Stot. 4. dist. 14. q. 2. lit. H.

s. Qui-

8. Quibus veluti gradibus ad divinam illam Pœnitentiæ virtutem aſcendatur.

Sed docendum eſt etiam, quibus gradibus ad hanc divinam virtutem liceat aſcendere. Primum itaque Dei miſericordia nos prævenit, cordaque noſtra ad ſe convertit. Quod cum precaretur Propheta, (a) *Converte*, inquit, *nos Domine ad te, & convertemur.*

Quæ de Pœnitentiæ virtute hic traduntur, habentur de iuſtificatione in Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.

a) *Thre. 5. 21. Primus gradus gratia prævenientis miſericordia Dei.*

Deinde hoc lumine illuſtrati, per fidem ad Deum animo tendimus. (b) *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, ut Apoſtolus teſtatur, *quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

Secundus gradus fides.

b) *Hebr. 11. 6. Tertius gradus timor.*

Præterea motus timoris conſequitur, & ſuppliciorum acerbitate propoſita, animus a peccatis revocatur. Atque huc videntur ſpectare illa Iſaiæ verba, (c) *Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus.* Huc deinde accedit (d) ſpes impetrandæ a Deo miſericordiæ, qua erecti vitam, & mores emendare conſtituimus. Poſtremo charitate corda noſtra accenduntur, ex qua liberalis ille (e) timor probis, & ingenuis filiis dignus oritur : atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei majeſtatem lædamus, peccandi conſuetudinem omnino deſerimus. Hiſce igitur quaſi gradibus ad hanc præſtantiſſimam Pœnitentiæ virtutem pervenitur.

c) *Iſa. 26. 17. Quartus gradus ſpes.*

d) *Matth. 9. Quintus gradus charitas.*

e) *Eccleſ. 1. 27. Alex. de Ales 4. par. ſummæ qu. 56. mem. 1. & 2.*

9. Qui ſit præcipuus virtutis Pœnitentiæ fructus.

Quæ prorſus divina, & cœleſtis virtus exiſtimanda eſt, cui ſcilicet Regnum cœlorum ſacræ Literæ pollicentur. Nam apud ſanctum Matthæum ſcriptum eſt, (f) *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum :* & apud

Fructus Pœnitentiæ præcipuus eſt vita æterna.

f) *Matth. 4. 17.*

a) *Ezech.* 18. 21. Ezechielem, (a) *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet:* tum alio loco, (b) *Nolo mortem impii: sed ut convertatur impius a via sua, & vivat.* Quod quidem de æterna, & beata vita intelligendum esse plane constat.

b) *Ezech.* 33. 11.

10. *Quid de externa Pœnitentia sentiendum sit, quaque de causa Christus eam in numerum Sacramentorum referri voluerit.*

Quid exterior Pœnitentia. *D. Thom. in 3. p. q. 34. art. 1. v. 11.*

De externa vero Pœnitentia docendum est, eam esse, in qua Sacramenti ratio consistit, habereque externas quasdam res sensibus subjectas, quibus declarantur ea, quæ interius in anima fiunt. In primis autem explanandum fidelibus videtur, quare factum sit, ut Christus Dominus Pœnitentiam in numerum Sacramentorum referri voluerit. Hujus autem rei illa omnino causa fuit, ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, cum ait, (c) *Si impius egerit Pœnitentiam, &c.* minus dubitare liceret. Vehementer enim pendere animo de intima Pœnitentia opus esset, cum de suo cuique judicio in iis, quæ agit, merito timendum sit. Ut igitur Dominus huic nostræ sollicitudini subveniret, Pœnitentiæ Sacramentum instituit, quo per Sacerdotis absolutionem peccata nobis remissa esse confideremus, conscientiæque nostræ ob fidem, quæ Sacramentorum virtuti merito habenda est, pacatiores redderentur. Neque enim aliter accipienda est vox Sacerdotis peccata nobis legitime condonantis, quam Christi Domini, qui ait

c) *Ezech.* 18. 21. *Prima ratio est, ut fides nostra de remissione peccatorum, eorum judicio, quorum est discernere inter lepram, & lepram, magis confirmaretur, & conscientiæ nostræ pacatiores redderentur.*

Para-

Paralytico (a) *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Deinde vero, cum nemo salutem, nisi per Christum, ejusque passionis beneficio consequi possit, consentaneum, nobisque utilissimum fuit, ejusmodi Sacramentum institui, cujus vi, & efficientia Christi sanguis ad nos defluens peccata post Baptismum admissa elueret; atque ita reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum referre profiteremur.

a) *Matth. 9. 2. Secunda ratio est, ut hominibus in promptu esset instrumentum, quo peccata post Baptismum contracta in sanguine Christi eluerentur. Concil. Trid. Sess. 14. cap. 1.*

11. *Quo pacto Pœnitentia verum sit novæ Legis Sacramentum.*

Quod vero Pœnitentia Sacramentum sit, Pastores ita facile ostendent. Ut enim Baptismus Sacramentum est, quia (b) peccata omnia, ac præsertim quod origine contractum fuit, delet: eadem ratione Pœnitentia, (c) quæ peccata omnia post Baptismum voluntate, vel actione suscepta tollit, vere, & proprie Sacramentum dicendum est. Deinde, quod caput est, cum illa, quæ extrinsecus tum a pœnitente, tum a Sacerdote fiunt, declarent ea, quæ interius efficiuntur in anima, quis neget Pœnitentiam vera, & propria Sacramenti ratione præditam esse? Siquidem *Sacramentum sacræ rei signum est*: peccator autem, quem pœnitet, rerum, & verborum notis plane exprimit, se animum a peccati turpitudine abduxisse: itemque ex iis, quæ a Sacerdote geruntur, & dicuntur, misericordiam Dei peccata ipsa remittentis facile cognoscimus. Quanquam hoc aperte indicant illa Salvatoris verba, (d) *Tibi dabo claves Regni cœlorum: & quodcunque solveris super ter-*

Sess. 14. Concil. Trid. de Pœnit. c. 1. & can. 1.

b) *Act. 2. 38.*

c) *Act. 8. 22.*

Dilucide exponitur, quomodo Pœnitentia sit sacra rei signum. Aug. lib. 8. de Civ. Dei c. 10.

Actio sacerdotis absolventis nititur auctoritate verbi Dei.

d) *Matth. 16. 19.*

terram, erit solutum & in cœlis. Absolutio enim Sacerdotis verbis enunciata remissionem illam peccatorum signat, quam in anima efficit.

12. Pœnitentiæ Sacramentum iterari potest.

Sess. 14. Conc. Trid. de Pœnit. cap. 2.

Neque vero solum fideles docendi sunt, Pœnitentiam in numero Sacramentorum habendam esse, sed eorum etiam, quæ iterari possunt. Quærenti enim Petro, num septies venia peccati danda esset, Dominus respondit (a) *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Quare si cum ejusmodi hominibus agendum sit, qui summæ Dei bonitati, & clementiæ diffidere videantur, confirmandus erit illorum animus, atque ad spem divinæ gratiæ erigendus. Quod quidem facile consequentur tum hujus loci, & aliorum tractatione, qui in sacris Literis permulti occurrent, tum vero iis rationibus, & argumentis, quæ ex sanctorum Chrysostomi libro de lapsis, & Ambrosii libris de Pœnitentia petere licebit.

a) *Matth. 18. 22. Quomodo desperantes consolandi sint.*

Ambr. de Pœnit. libr. 1. cap. 1. & 2. vide Aug. in lib. de vera, & fal. Pœn. c. 5.

13. Materia Pœnitentiæ quæ, & qualis.

De materia Sacram. Pœn. Tres actus pœnitentis, qui sunt loco materiæ, quomodo eiusdem Sacramenti partes esse dicantur.

Jam quoniam nihil fideli populo notius esse debet, quam hujus Sacramenti materia; docendum est, in eo maxime hoc Sacramentum ab aliis differre, quod aliorum Sacramentorum materia est res aliqua naturalis, vel arte effecta: Sacramenti vero Pœnitentiæ quasi materia sunt actus pœnitentis, nempe *Contritio, Confessio, & Satisfactio,* ut a Tridentina Synodo declaratum est; qui, quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, & plenam, ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur. Neque vero hi actus quasi ma-

Trid. Synod. sess. 14. de Pœn. c. 3. & can. 4.

materia a ſancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant; ſed quia ejus generis materia non ſint, quæ extrinſecus adhibeatur, ut Aqua in Baptiſmo, & Chriſma in Confirmatione. Quod autem ab aliis dictum eſt, peccata ipſa hujus Sacramenti materiam eſſe nihil plane diverſum dici videbitur, ſi diligenter attendamus. Ut enim ignis materiam ligna eſſe dicimus, quæ vi ignis conſumuntur; ita peccata, quæ Pœnitentia delentur, recte hujus Sacramenti materia vocari poſſunt.

Peccata ipſa quomodo Sacramenti materia dici poſſint.

14. Quæ ſit Sacramenti Pœnitentiæ forma.

Sed formæ etiam explicatio Paſtoribus prætermittenda non eſt, quod ejus rei cognitio excitet fidelium animos ad percipiendam ſumma cum religione hujus Sacramenti gratiam. Eſt autem forma, *Ego te abſolvo*: quam non ſolum ex illis verbis licet colligere, (a) *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*; ſed ex eadem Chriſti Domini doctrina ab Apoſtolis tradita accepimus. Ac quoniam Sacramenta ſignificant, quod efficiunt; & illa verba, *Ego te abſolvo*, oſtendunt, peccatorum remiſſionem hujus Sacramenti adminiſtratione effici; planum eſt, hanc eſſe Pœnitentiæ perfectam formam. Sunt enim peccata tanquam (b) vincula, quibus conſtrictæ animæ tenentur, & ex quibus Pœnitentiæ Sacramento laxantur. Quod quidem non minus vere de illo etiam homine Sacerdos pronunciat, qui prius ardentiſſimæ Contritionis vi, accedente tamen Confeſſionis voto, peccatorum veniam a Deo conſecutus ſit.

De forma Sacramenti pœnitentiæ ſeſſ. 14. Conc. Trid. de pœnit. c. 3.

a) *Matt.* 18. 18.

b) *Prov.* 5. 18. *Iſa.* 5. 18. *Alex. de Ales* 4. *part. qu.* 77. *mem.* 6.

15. Quo

15. Quo fructu ad formam Sacramenti preces aliæ adjiciantur.

Adduntur præterea complures preces, non quidem ad formam neceſſariæ, ſed ut ea removeantur, quæ Sacramenti vim, & efficientiam, illius culpa, cui adminiſtratur, impedire poſſent.

16. Quantum differat poteſtas Sacerdotum Chriſti in dijudicanda peccati lepra a poteſtate Sacerdotum veteris Legis.

Quamobrem peccatores Deo ingentes gratias agant, qui tam amplam poteſtatem in Eccleſia Sacerdotibus tribuerit. Neque enim, ut olim in veteri Lege (a) Sacerdotes teſtimonio ſuo aliquem a lepra liberatum eſſe duntaxet renunciabant, ita nunc in Eccleſia ea tantum poteſtas Sacerdotibus facta eſt, ut aliquem a peccatis eſſe abſolutum declarent; ſed vere tanquam Dei miniſtri abſolvunt, id quod Deus ipſe (b) gratiæ, (c) & juſtitiæ author, & parens efficit.

a) *Lev. 13. 9. & 14. 2. Deus eſt, qui miniſterio Sacerdotis abſolvit. Vide Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6.*

b) *Pſal. 83. 12.*
c) *Rom. 8. 33.*

17. Quo habitu, & quibuſve ritibus ſuam actionem commendare pœnitentes debeant.

Diligenter vero ritus etiam, qui ad hoc Sacramentum adhibentur, fideles obſervabunt. Ita enim fiet, ut animo magis hæreant, quæ hoc Sacramento conſecuti ſunt, nimirum ſe tanquam ſervos clementiſſimo Domino, vel filios potius optimo parenti reconciliatos eſſe; & ſimul facilius intelligant, quid eos facere oporteat, qui velint (velle autem omnes debent) ſe tanto beneficii gratos, & memores probare. Nam quem peccatorum pœnitet, is ſe humili, ac demiſſo animo ad pedes Sacerdo-

Humilitas pœnitentis coram Sacerdote declaranda.

dotis dejicit; ut cum se tam humiliter gerat, facile possit agnoscere, superbiæ radices evellendas esse, (a) a qua omnia scelera, quæ defiet, ortum habuerint, & enata sint; in Sacerdote autem, qui in eum legitimus judex sedet, Christi Domini personam, & potestatem veneretur. Sacerdos enim, quemadmodum in aliis, ita in Pœnitentiæ Sacramento administrando Christi munus exequitur. Deinde peccata sua pœnitens ita enumerat, ut se maxima, & acerbissima animadversione dignum esse fateatur, supplexque delictorum veniam petit; quæ sane omnia vetustatis suæ certissima testimonia a sancto Dionysio habent. a) *Eccl.* 10. 15.

D. Dion. Areop. in Epi. ad Demophil.

18. Quos præcipue fructus ex Sacramento Pœnitentiæ homines capiant.

Sed nihil profecto tam proderit fidelibus, nihilque majorem illis alacritatem Pœnitentiæ suscipiendæ afferet, quem si a Parochis sæpe explicatum fuerit, quantam ex ea utilitatem capiamus. Vere enim de Pœnitentia illud dici posse intelligent, ejus quidem radices amaras, fructus vero suavissimos esse. Pœnitentiæ itaque omnis in eo vis est, ut nos in Dei gratiam restituat, cum eoque summa amicitia conjungat. Hanc vero reconciliationem interdum in hominibus piis, qui hoc Sacramentum sancte, & religiose percipiunt, maxima conscientiæ pax & tranquillitas cum summa spiritus jucunditate consequi solet. Nullum est enim tam grave, & nefarium scelus, quod Pœnitentiæ Sacramento non quidem semel, sed iterum, & sæpius non deleatur. Qua de re ita Dominus per Prophetam inquit: (b) *Si impius egerit Pœnitentiam*

Primus fructus est benevolentia divina reconciliatio

Conc. Trid. sess. 14. c. 3.

Secundus fructus est pax, & tranquillitas animi.

Tertius fructus peccati quantumvis gravis remissio.

b) *Ezech.* 18. 21.

tiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. Et S. Joannes: (a) *Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra,* & paulo poſt: (b) *Si quis peccaverit,* inquit, (nullum videlicet peccati genus excipiens) *advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

a) 1. Joan. 1. 59.

b) 1. Joan. 2. 1.

19. Qua ratione quædam peccata dicantur remitti non poſſe.

Tacitæ obiectionis diſlutio.

Quod autem in (c) Scripturis legimus, quoſdam a Domino miſericordiam non eſſe conſecutos, quamvis eam vehementer imploraverint, id vero idcirco factum eſſe intelligimus, quod eos vere, atque ex animo delictorum non pœnitebat. Quare cum hujuſmodi ſententiæ in ſacris Literis, vel apud SS. Patres occurrunt, quibus affirmare videntur (d) aliqua peccata remitti non poſſe, ita eas interpretari oportet, ut difficilem admodum eſſe veniæ impetrationem intelligamus. Ut enim morbus aliquis ea re inſanabilis dicitur, quod ægrotus ita affectus ſit, ut ſalutaris medicinæ vim oderit: ſic quoddam eſt peccati genus, quod non remittitur, nec condonatur, propterea quod proprium ſalutis remedium, Dei gratiam repellit. In hanc ſententiam a D. Auguſtino dictum eſt: *Tanta labes eſt illius peccati, ut deprecandi humilitatem ſubire non poſſit, etiamſi peccatum ſuum mala conſcientia & agnoſcere, & annuntiare cogatur.* Quæ quidem verba ita ſane intelligenda ſunt,

c) Ut de Antiocho. 2. Mach. 9. 13. de Eſau Heb. 12. 17. 1. Reg. 15. Peccata quædam non remitti quomodo intelligatur.

d) Matth. 12. 31. 32. De quibus dicitur Pſal. 128. Fiant ſicut fœnum, &c. Ambr. lib. 2. de Pœnit. c. & 4. & lib. 2. de Cain & Abel, cap. 9. D. Aug. lib. 1. de ſer. Domini in monte cap. 22.

sunt, ut alibi se declarans Augustinus inquit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam; quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto non est desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.

20. Nullus condonationem peccatorum citra Pœnitentiam obtinere potest.

Sed, ut ad Pœnitentiam revertamur, hæc adeo propria ejus vis est, ut peccata deleat, ut sine Pœnitentia remissionem peccatorum impetrare, aut ne sperare quidem ullo modo liceat. Scriptum est enim: (a) *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis:* quod quidem de gravioribus, & mortiferis peccatis dictum a Domino est: etsi aliquo etiam Pœnitentiæ genere indigent leviora peccata, quæ venialia vocantur. Sanctus enim Augustinus inquit: *Cum quædam sit Pœnitentia, quæ quotidie in Ecclesia pro peccatis venialibus agitur; illa sane frustra esset, si peccata venialia absque Pœnitentia dimitti possent.*

Venialia peccata non requirunt necessario Pœnitentiam Sacramentalem.

a) Luc. 13. 3. Conc. Trid. sess. 14. can. 7.

D. Aug. lib. 50. hom. 50. cap. 8. Conc. Tolet. IV. cap. 9. & D. IV. in 3. p. qu. 87.

21. Quot sint partes integrales Pœnitentiæ.

Sed quoniam de iis rebus, quæ aliquo modo in actionem cadunt, non satis est universe loqui, curabunt Pastores, singillatim ea tradere, ex quibus veræ, & salutaris Pœnitentiæ ratio a fidelibus percipi queat. Est autem hujus Sacramenti proprium, ut præter formam, & materiam, quæ omnibus Sacramentis communia sunt, partes etiam, ut antea diximus, illas habeat, quæ tanquam totam, integramque Pœnitentiam constituant, *Contritionem* scilicet, *Confessionem*, & *Satisfactionem*. De quibus D. Chrysostomus his verbis loquitur: *Pœnitentia cogit pec-*

Tres Pœnitentiæ partes integrales, quarum si aliqua desit, perfecta non est. Conc. Trid. sess. 14. de Pœn. cap. 3. & can. 4. & 1. Reg. 16. 11. item 2. Reg. 12. 24. & 3. Reg. 21. 27. Joan. 3. 5. Psal. 50. 19. Act. 19. 18. Jac. 5. 16. Matth. 3. 8. D. Chrysost. hom. 11. quæ est de Pœnit.

peccatorum omnia libenter sufferre ; in corde ejus contritio, in ore Confessio, in opere tota humilitas, vel fructifera Satisfactio. Hæ autem partes ex earum partium genere esse dicuntur, quæ ad aliquod totum constituendum necessariæ sunt : quoniam quemadmodum hominis corpus ex pluribus membris constat, manibus, pedibus, oculis, & aliis hujusmodi partibus, quarum aliqua fide sit, merito imperfectum videatur, perfectum vero, si nulla desideretur ; eodem etiam modo Pœnitentia ex hisce tribus partibus ita constituitur, ut quamvis, quod ad ejus naturam attinet, *Contritio, & Confessio*, quibus homo justus efficitur, satis sit ; tamen nisi tertia etiam pars, id est *Satisfactio* accedat, aliquid ei omnino ad perfectionem desit, necesse sit. Quare adeo hæ partes inter se connexæ sunt, ut Contritio confitendi, & satisfaciendi consilium, & propositum inclusum habeat. Confessionem Contritio, & satisfaciendi voluntas, Satisfactionem vero duæ reliquæ antecedant.

Partes Pœnitentiæ quomodo connexæ.

22. *Quomodo hæ tres Pœnitentiæ partes colligantur.*

Tres Pœnitentiæ partes ex tribus peccandi modis colliguntur. D. Thom. in 3. p. q. 90. art. 2.

Harum autem trium partium eam rationem afferre possumus, quod animo, verbis, & re ipsa peccata in Deum committantur. Quare consentaneum fuit, ut nos ipsos Ecclesiæ clavibus subjicientes, quibus rebus Dei sanctissimum Numen a nobis violatum esset, iisdem etiam ejus iram placare, & peccatorum veniam ab eo impetrare conaremur.

Sed idem etiam alio argumento confirmari potest. Etenim Pœnitentia est veluti quædam delictorum compensatio ab ejus voluntate profecta,

fecta, qui deliquit, ac Dei arbitrio, in quem peccatum commissum est, constituta. Quare & voluntas compensandi requiritur, in quo maxime Contritio versatur; & pœnitens Sacerdotis judicio, qui Dei personam gerit, se subjiciat, necesse est, ut pro scelerum magnitudine pœnam constituere in eum possit: ex quo tum Confessionis, tum Satisfactionis ratio, & necessitas perspicitur.

23. Quid in hac materia proprie sit Contritio.

Quoniam vero harum partium vim, & naturam tradere fidelibus oportet, prius incipiendum est a Contritione, eaque diligenter explicanda. Neque enim ad ullum temporis punctum, cum in memoriam præterita peccata redeunt, vel cum aliquid offendimus, Contritione animus debet vacare. Hanc Patres in Concilio Tridentino ita definiunt: *Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Et paulo post, de Contritionis motu subjicitur: *Ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Ex hac itaque definitione intelligent fideles, Contritionis vim in eo tantum positam non esse, ut quis peccare desinat, aut propositum ei sit novum vitæ genus instituere, aut ipsum jam instituat; sed in primis male actæ vitæ odium, & expiationem suscipiendam esse. Id vero maxime confirmant illi sanctorum Patrum clamores, quos in sacris Literis frequenter profusos esse legimus. (a) *Laboravi*, inquit David, *in gemitu meo, lavabo*

De contritione prima Pœnitentiæ parte Concil. Trid. sess. 14. de Pœnitentia cap. 4. & can. 5. Fulgent. de remiss. peccat. cap. 12. Chrys. de compunct. cordis lib. 1. & 2. Concil. Trid. ibidem, & sess. 6. c. 6. & 14.

a) *Psal. 6. 7. Vide et Ps. 50. 6. Ezech. 18. 31.*

a) *Psal.* 6. 10. *per singulas noctes lectum meum:* &, (a) *Exaudivit*
b) *Isa.* 38. 15. *Dominus vocem fletus mei:* & rursus alius, (b) *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Quas certe, & alias hujusmodi voces vehemens quoddam anteactæ vitæ odium, & peccatorum detestatio expressit.

24. Cur Contritio dolor a Patribus Concilii nominata sit.

Vera Contritio non corporis sensu, sed dolore animi est metienda. August. lib. 50. hom. 50. cap. 1.

Quod autem Contritio dolore definita est, monendi sunt fideles, ne arbitrentur, eum dolorem corporis sensu percipi. Contritio enim est voluntatis actio. Et sanctus Augustinus testatur, dolorem Pœnitentiæ comitem esse, non Pœnitentiam. Verum peccati detestationem, & odium doloris vocabulo Patres significarunt: tum quia sacræ Literæ ita
c) *Psal.* 12. 2. utuntur, inquit enim David: (c) *Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* tum quia dolor in inferiori animæ parte, quæ vim concupiscendi habet, ex ipsa Contritione oritur: ut non incommode Contritio dolore definita fuerit, quod dolorem efficiat, ad eumque declarandum pœnitentes vestem etiam mutare soliti sint. De quo Do-
d) *Matt.* 11. 21. *Luc.* 10. 3. *Gen.* 37. 34. 3. *Reg.* 21. 27. 4. *Reg.* 6. 30. *Judith* 4. 9. *Joan.* 38. minus apud sanctum Matthæum inquit: (d) *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere Pœnitentiam egissent.*

25. Quare peccati detestatio vulgo a Theologis Contritio appelletur.

Vide Alex. de Ales 4. p. q. 67. mem. 1. 2.

Recte autem Contritionis nomen peccati detestationi, de qua loquimur, ad significandam vim doloris impositum est, ducta similitudi-

ne

ne a rebus corporeis, quæ minutatim saxo, aut duriore aliqua materia confringuntur; ut eo vocabulo declararetur, corda nostra, quæ superbia obduruerunt, Pœnitentiæ vi contundi, atque conteri. Quare nullus alius dolor vel ex parentum, & filiorum obitu, vel cujusvis alterius calamitatis causa susceptus hoc nomine appellatur; sed illius tantum doloris proprium est nomen, quo ex amissa Dei gratia, atque innocentia afficimur.

Dolor aliunde proveniens non dicitur Contritio.

26. Quibus præterea vocabulis eadem peccati detestatio declarari soleat.

Verum aliis quoque vocabulis eadem res declarari solet. Nam & contrio cordis dicitur, quia cordis nomen frequenter sacræ (a) Literæ pro voluntate usurpant. Ut enim a corde motionum corporis principium sumitur; ita voluntas reliquas omnes animæ vires moderatur, ac regit. Vocatur etiam a sanctis Patribus *cordis compunctio*, qui libros de contritione conscriptos, *de compunctione cordis* inscribere maluerunt. Etenim quemadmodum ferro tumida ulcera secantur, ut inclusum virus possit erumpere: ita corda quasi scalpello Contritionis adhibito inciduntur, ut peccati mortiferum virus queant ejicere. Quare & Sciscio cordis a Joele propheta appellata est: (b) *Convertimini*, inquit, *ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra.*

Eadem peccata detestatio alias cordis Contritio dicitur.

a) *Gen. 6. 5. Job. 1. 5. Psal. 43. 19. 5. Matth. 5. & 26. 6. & 15. & 18.*

Cordis compunctio.

Chrys. in lib. de Compunctione cordis.

Isid. de Summo bono lib. 2. c. 12.

Cordis scissio.

b) *Joel. 2. 12. 13.*

27. Cur dolor de peccatis vocabulo Contritionis inclusus, maximus, & vehementissimus esse debeat.

Summum vero, & maximum dolorem ex peccatis, quæ commissa sunt, suscipiendum es-

Seraph. Doctor Bonaventura, in 4. dist. 16. art. 1. q. 1. & 2.

Prima ratio. Ex Auguſt. in lib. 14. Civit. c. 7. 8. & 9.

ſe, ita ut nullus major excogitari poſſit, facile erit hiſce rationibus demonſtrare. Nam cum perfecta contritio ſit charitatis actio, (a) quæ ab eo timore, qui filiorum eſt, proficiſcitur, patet eundem Contritionis, & charitatis modum ſtatuendum eſſe. At quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectiſſimus eſt amor, hinc fit, ut Contritio vehementiſſimum animi dolorem conjunctum habeat. Ut enim maxime diligendus eſt Deus; ita quæ nos a Deo alienant, maxime deteſtari debemus: in quo etiam illud obſervandum eſt, eodem loquendi genere charitatis, & Contritionis magnitudinem in ſacris literis ſignificari. De charitate dictum eſt, (b) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* Rurſus, quod ad Contritionem attinet, clamat Dominus per Prophetam, (c) *Convertimini ad me in toto corde veſtro.*

a) *Joan.* 4. 18.

b) *Deut.* 6. 5. *Matth.* 22. 27. *Marc.* 12. 29. *Luc.* 10. 27.

c) *Joel.* 2. 12.

Secunda ratio. Ariſt. lib. 2. Priorum cap. 28.

Præterea, ſi uti Deus ſummum bonum eſt inter omnia, quæ diligenda ſunt, ita etiam peccatum ſummum eſt malum inter omnia, quæ odiſſe homines debent; illud ſequitur, ut quam ob cauſam Deum ſumme diligendum eſſe confitemur, ob eandem rurſus peccati ſummum odium nos capiat neceſſe ſit. Omnibus vero rebus Dei amorem anteponendum eſſe, ita ut ne vitæ quidem conſervandæ cauſa peccare liceat, aperte nos docent illa Domini verba (d) *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus,* & (e) *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam.*

d) *Matt.* 10. 37 *Luc.* 14. 25.

e) *Matt.* 16. 25

Sed illud etiam animadvertendum eſt, ut quemadmodum, ſancto Bernardo teſte, nullus finis, & modus charitati præſcribitur (*Modus enim,*

Pondera ly. ſine modo, quoad actus elicitos, non imperatos, ſecundum illud Rom. 12. *Obſecro &c.*

enim, inquit ille, *diligendi Deum est ipsum diligere sine modo*;) ita peccati detestationi nullus modus definiatur.

Tertia ratio. S. Bernard. lib. de diligendo Deo circa med.

Sit præterea non solum maxima, sed vehementissima, atque adeo perfecta, omnemque ignaviam, & socordiam excludat. Etenim in Deuteronomio scriptum est (a) *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*, & apud Hieremiam, (b) *Quæretis me, & invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro, & inveniar a vobis, ait Dominus.*

Dolor de peccatis non tantum debet esse maximus, sed etiam vehementissimus.

a) *Deut.* 4. 29. *Sap.* 1. 13.

b) *Hier.* 29. 13.

28. *Contritio vera esse non definit, etiam si sensibilis dolor de peccatis non fuerit absolutus.*

Quanquam, si id minus consequi nobis liceat, ut perfecta sit, vera tamen, & efficax Contritio esse potest. Sæpe enim usuvenit, ut quæ sensibus subjecta sunt, magis, quam spiritualia, nos afficiant. Quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine doloris sensum capiunt. Idem etiam judicium faciendum est, si lacrymæ doloris acerbitatem non consequantur: quæ tamen in Pœnitentia summopere optandæ, & commendandæ sunt. Præclara est enim ea de re sancti Augustini sententia: *Non sunt*, inquit, *in te Christianæ pietatis viscera, si luges corpus, a quo recessit anima, animam vero, a qua recessit Deus, non luges.* Atqui huc spectant illa Salvatoris nostri verba, quæ supra allata sunt: (c) *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere Pœnitentiam egissent.* Tametsi ad eam rem comproban-

Vera, & utilis Contritio etiam esse potest, si non tantum dolorem sentiamus de peccatis, quam de rebus externis stante scilicet naturæ imbecillitate. Conc. Trid. sess. 14. de Pœn. c. 5. S. Aug. ser. 41. de Sanctis.

c) *Matt.* 11. 21.

dam satis esse debent clarissima (a) Ninivitarum, (b) Davidis, (c) Peccatricis, (d) Apostolorum Principis exempla, qui omnes plurimis lacrymis Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt.

a) *Joan.* 3. 5. 6. 7. *Matth.* 12. 41. *Luc.* 11. 32.
b) 2. *Reg.* 13. *Psal.* 50.
c) *Luc.* 7. 37. 38.
d) *Matth.* 26. 27.

29. *Peccata capitalia singillatim in Contritione detestanda sunt.*

Maxime autem hortandi, & monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium Contritionis dolorem adhibere studeant. Ita enim Ezechias Contritionem describit, cum ait: (e) *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Etenim recogitare omnes annos est singillatim peccata excutere, ut ea ex animo doleamus. Sed apud Ezechielem quoque scriptum legimus: (f) *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet.* Atque in hanc sententiam sanctus Augustinus inquit: *Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in varietate, in persona.*

e) *Isa.* 38. 15.

f) *Ezech.* 18. 21. *August. lib. de vera, & falsa Pœnit. cap.* 14. *& habetur de Pœn. dist.* 5. *c. Consideret.*

30. *Sufficit universe quandoque peccata sua detestari.*

Non desperandum est de Dei bonitate, etiamsi a solutam peccatorum Contritionem non sentiamus.

Neque tamen hac in re desperent fideles de summa Dei bonitate, & clementia. Is enim cum nostræ salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit; sed peccatorem paterna charitae complectitur, simul atque ille se collegerit, & universa peccata sua detestatus, quæ deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat, ad Dominum se converterit. Ita enim nos per Prophetam jubet sperare, cum inquit: (g) *Impie-*

g) *Ezech.* 33. 12.

tas

tas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.

31. *Quæ ad veram Contritionem sint in primis necessaria.*

Primum ficta est Pœnitentia, in qua de quibusdam peccatis tantum dolemus.

Ex his igitur colligi poterunt, quæ ad veram Contritionem maxime sunt necessaria, de quibus fidelem populum accurate oportebit docere, ut quisque intelligat, qua ratione comparare eam possit, regulamque habeat, qua dijudicet, quantum absit ab ejus virtutis perfectione. Primum enim necesse est peccata omnia, quæ admisimus, odisse, & dolere; ne si quædam tantum doleamus, ficta, & simulata, neque salutaris Pœnitentia a nobis suscipiatur. Nam, ut a sancto Jacobo Apostolo dictum est: (a) *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

a) *Jac. 2. 10.*

Secundum.

Alterum est, ut ipsa Contritio confitendi, & satisfaciendi voluntatem conjunctam habeat; de quibus postea suo loco agetur. Tertium est, ut pœnitens vitæ emendandæ certam, & stabilem cogitationem suscipiat. Hoc vero Propheta aperte his verbis nos docuit: (b) *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*, & paulo post, (c) *cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium, & justitiam, ipse animam suam vivificabit*, & paucis interjectis, (d) *Convertimini*, inquit, *& agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in*

Conc. Trid. sess. 14. cap. 4.

b) *Ezech. 18. 22. 21.*

c) *Ibidem 27.*

d) *Ibidem 30.*

vuinam iniquitas : projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Idem
a) *Joan. 8. 11.* etiam Christus Dominus (a) mulieri, quæ in adulterio deprehensa est, præscripsit: *Vade*, inquit, *& jam amplius noli peccare.* Item Paralytico illi, quem ad Probaticam Piscinam
b) *Joan. 5. 14.* curaverat, (b) *Ecce*, ait, *sanus factus es, jam noli peccare.*

32. Dolorem præteritæ culpæ, & cavendæ in posterum propositum Contritioni necessarium esse ostenditur.

Tertium. Sed natura quoque ipsa, & ratio plane ostendunt, duo illa ad Contritionem in primis esse necessaria, dolorem scilicet peccati admissi, & propositum, cautionemque, ne quid hujusmodi in posterum committatur. Nam qui amico reconciliari velit, quem injuria aliqua affecerit, & doleat oportet, quod in eum injuriosus & contumeliosus fuerit; & diligenter reliquo tempore provideat, ne qua in re amicitiam læsisse videatur. Quæ duo obedientiam adjunctam habeant, necesse est: hominem enim legi, sive naturali, & divinæ, sive humanæ, quibus subjectus est, parere convenit. Quare, si quid pœnitens alteri per vim, aut per fraudem abstulit, restituat, oportet: itemque alicujus aut commodi, aut officii compensatione illi satisfaciat, cujus dignitatem, aut vitam dicto, factove violavit. Tritum enim est
S. Aug. epist. 54. ad Macedon. & habetur 14. q. 6. cap. 1. & in 6. de reg. Juris. c. Peccatum. 1. omnium sermone, quod apud sanctum Augustinum legimus, *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

33. In-

33. Indulgendum eſt aliis, ſi nobis volumus indulgeri.

Neque vero inter cætera, quæ ad Contritionem maxime pertinent, minus diligenter, & neceſſario curandum eſt, ut, quidquid injuriarum ab altero acceperis, id totum remittatur, ac condonetur. Ita enim Dominus, & Salvator noſter monet, atque denunciat: (a) *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra: ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Hæc ſunt, quæ fidelibus in Contritione obſervanda ſunt: cætera, quæ ad hanc rem a Paſtoribus colligi facile poterunt, efficient quidem: ut in ſuo genere Contritio ſit magis perfecta, & abſoluta; verum adeo neceſſaria exiſtimanda non ſunt, ut ſine his veræ, & ſalutaris Pœnitentiæ ratio conſtare non poſſit.

Quartum.

a) *Matth.* 6 15. & 18. 35. *Marc.* 11. 25. *Eccl.* 2. 3. *Luc.* 11.

34. Quæ ſit propria Contritionis vis, & utilitas.

Sed quoniam non ſatis eſſe Paſtoribus debet, ſi ea doceant, quæ ad ſalutem videntur pertinere, niſi etiam omni cura, & induſtria laborent, ut fideles ad eam ipſam rationem, quæ illis præſcripta eſt, vitam, actioneſque ſuas dirigant; vehementer proderit Contritionis vim, & utilitatem ſæpius proponere. Nam, cum pleraque alia pietatis ſtudia, (b) veluti beneficentia in pauperes, jejunia, preces, & alia id genus ſancta, & honeſta opera, hominum culpa, a quibus proficiſcuntur, a Deo interdum repudientur: ipſa certe Contritio nunquam illi grata, & accepta eſſe non poteſt. Nam inquit Pro-

Prima utilitas eſt, quod ſit certiſſima peccatorum medicina.

b) *Prov.* 15. 8. *Iſa.* 27. 58. 61. 8.

a) *Pſal.* 50. 19. pheta : (a) *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.*

Altera utilitas eſt, quod ſit facilis, expedita, & mox animæ ægrotantis medicina.

Quin etiam ſtatim ut eam mentibus noſtris concepimus, peccatorum remiſſionem nobis a Deo tribui, alio loco ejuſdem Prophetæ verba illa declarant : (b) *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Atque ejus rei figuram in (c) decem leproſis animadvertimus, qui a Salvatore noſtro ad Sacerdotes miſſi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati ſunt. Ex quo licet cognoſcere, veræ Contritionis, de qua ſupra dictum eſt, eam vim eſſe, ut illius beneficio omnium delictorum veniam ſtatim a Domino impetremus.

b) *Pſal.* 31. 5.

c) *Luc.* 17. 14. *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4.

35. Qua ratione ad perfectionem Contritionis veniatur.

Plurimum etiam valebit ad fidelium mentes excitandas, ſi Paſtores rationem aliquam tradiderint, qua ſe quiſque ad Contritionem exercere poſſit. Monere autem oportet, ut omnes conſcientiam ſuam frequenter excutientes videant, num quæ a Deo, ſive Eccleſiaſticis ſanctionibus præcepta ſunt, ſervaverint. Quod ſi quis alicujus ſceleris reum ſe eſſe cognoverit, ſtatim ſeipſum accuſet, ſupplexque a Domino veniam expoſcat; & ſpatium tum confitendi, tum ſatisfaciendi ſibi dari poſtulet; in primiſque divinæ gratiæ præſidio ſe adjuvari petat, ne in poſterum eadem illa peccata admittat, quæ admiſiſſe vehementer pœnitet. Curandum erit præterea Paſtoribus, ut in peccatum ſummum fidelium odium concitetur; tum quia ſumma eſt illius fœditas, & turpitudo;

Chryſoſt. homil. 2. *in Pſal.* 50.

tum

tum quia graviſſima damna, & calamitates nobis affert. Nam (a) Dei benevolentiam, a quo maxima bona accepimus, longeque majora expectare, & conſequi licebit, a nobis alienat, & ſummorum dolorum cruciatibus perpetuo afficiendos ſempiternæ morti nos addicit. Hactenus de Contritione: nunc ad Confeſſionem, quæ eſt altera Pœnitentiæ pars, veniamus.

a) *Pſal.* 50. 7. *Eccl.* 12. 7. *Sap.* 14. 9. *alibi ſæpe.*

De Confeſſionis Sacramentalis altera parte.

36. Quæ ſit Confeſſionis præſtantia, quamque fuerit ad Chriſtianam ſalutem neceſſaria ejus inſtitutio.

Quantum vero curæ, & diligentiæ in ea explicanda Paſtores ponere debeant, ex eo facile intelligent, quod omnibus fere piis perſuaſum eſt, quicquid hoc tempore ſanctitatis, pietatis, & religionis in Eccleſia ſummo Dei beneficio conſervatum eſt, id magna ex parte Confeſſioni tribuendum eſſe: ut nulli mirandum ſit, humani generis Hoſtem, cum fidem Catholicam funditus evertere cogitaret, per miniſtros impietatis ſuæ, & ſatellites hanc veluti Chriſtianæ virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum eſſe. Primum itaque docendum eſt, Confeſſionis inſtitutionem nobis ſummopere utilem, atque adeo neceſſariam fuiſſe. Ut enim hoc concedamus, Contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem, & incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſſit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet. Quare neceſſe fuit, ut clementiſſimus Dominus faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleret. Quod

Confeſſionis præſtantia primum colligitur ex eius neceſſitate ad ſalutem conſequendam.

Trid. Synod. ſſ. 14. de Pœnit. cap. 4.

Quæ Contritio citra Confeſſionem peccata deleat.

Vi Confeſſionis ſalutis conſequendæ ratio efficitur facilior.

qui-

quidem admirabili consilio effecit, (a) cum Claves regni cœlestis Ecclesiæ tradidit.

a) *Matthæ* 16. 19. & 18. 18. *Joan.* 20. 23. & 21. 15.

37. Confessio Contritionem perfecit.

Ambr. in ser. 1. *de Quadrag. & habetur de Pœn. dist.* 1. *c. Ecce nunc tempus. Aug. lib.* 2. *de adult. coniug. cap.* 9. *Chrys. lib. de Sacerdot.*

Etenim ex fidei Catholicæ doctrina omnibus credendum, & constanter affirmandum est, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi Clavium scelera omnia remitti, ac condonari; ut merito a sanctissimis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiæ Clavibus aditum in cœlum aperiri. De quo nemini dubitandum est, cum a Concilio Florentino decretum legamus, Pœnitentiæ effectum esse absolutionem a peccatis.

Florent. Conc. in decr. Eugenii IV.

Secundo Confessionis excellentia inde colligitur, quod sit certissimum ad mores emendandos instrumentum. De Pœn. d. 6. *c. Sacerdos, & de pœn. & remiss. cap. Omnis utriusque sexus.*

Verum ex eo præterea licet cognoscere, quantam afferat Confessio utilitatem, quod iis, quorum est corrupta vitæ consuetudo, nihil tam prodesse ad mores emendandos experimur, quam si interdum occultas animi sui cogitationes, facta, dictaque omnia prudenti, & fideli amico patefaciant, qui eos opera, & consilio juvare possit. Quare ad eandem rationem maxime salutare existimandum est iis, qui scelerum conscientia agitantur, ut Sacerdoti tanquam Christi Domini Vicario, cui perpetui silentii severissima lex proposita est, animæ suæ morbos, & vulnera aperiant. Statim enim parata sibi medicamenta invenient, quæ non solum præsentis ægritudinis sanandæ, verum ita præparandæ animæ cœlestem quandam vim habeant, ut deinceps facile futu-

turum non sit in ejusdem morbi, & vitii genus recidere.

Neque vero illa Confessionis utilitas prætermittenda, quæ ad vitæ societatem, & conjunctionem magnopere pertinet. Constat enim, si Sacramentalem Confessionem e Christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis, & nefandis sceleribus futura esse, quæ postea, & alia etiam multo graviora homines peccati consuetudine depravati palam committere non verebuntur. Etenim confitendi verecundia delinquendi cupiditati, & licentiæ tanquam frænos injicit, & improbitatem coercet. Sed jam Confessionis utilitate expositа, quæ sit ejus natura, & vis, Pastoribns tradendum erit.

Tertio hinc intelligimus Confessionis utilitatem, quod vitæ humanæ societatem, publicamque honestatem conservet.

38. Confessionis Sacramentalis descriptio, & natura.

Eam igitur definiunt esse peccatorum accusationem, quæ ad Sacramenti genus pertinet, eo susceptam, ut virtute Clavium veniam impetremus. Recte autem accusatio dicitur, quod peccata ita commemoranda non sunt, quasi scelera nostra ostentemus, ut ii faciunt, (a) qui lætantur, cum male fecerint; nec omnino ita enarranda, quasi rem aliquam gestam otiosis auditoribus delectandi causa exponamus: verum accusatorio animo ita enumeranda sunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus. Veniæ autem impetrandæ causa peccata confitemur: quoniam hoc judicium longe dissimile est forensibus capitalium rerum quæstionibus, in quibus confessioni pœna, & supplicium, non culpæ liberatio, & errati venia constituta est. In eandem fere sententiam,

Quid sit Confessio, vide Alex. de Ales 4. p. q. 76. mem. 1. Scot. 4. sent. d. 17. q. 1.

Peccata accusatorio animo in Confessione sunt enumeranda.

a) *Prov. 2. 14. S. Coryfost. hom. 20. in Genes.*

quam-

quamvis aliis verbis, sanctissimi Patres videntur Confessionem definiisse; veluti cum sanctus Augustinus inquit, *Confessio est, per quam morbus latens spe veniæ aperitur*; & sanctus Gregorius, *Confessio est peccatorum detestatio:* quarum utraque, quod in superiori definitione continetur, facile ad eam referri poterit.

Aug. serm. 8. de verb. Dom. in lib. de vera, & falsa pœn. c. 10. Greg. hom. 40. in Evang. & lib. 10. moral. c. 15.

39. Qua ex causa, & quando instituta sit a Christo Confessio.

Sed jam, quod omnium maximi faciendum est, docebunt Parochi, ac sine ulla dubitatione fidelibus tradent, hoc Sacramentum a Christo Domino, (a) qui bene omnia, & unius salutis nostræ causa fecit, ob ejus summam bonitatem, & misericordiam institutum esse. Apostolis enim post Resurrectionem in unum locum congregatis insufflavit, dicens: (b) *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Concil. Trid. sess. 14. de Pœn. c. 5. & can. 6. Alex. de Ales 4. p. q. 76. mem. 3. art. 2. Matth. 8.

a) *Mar. 8. 37.*

b) *Joan. 20. 22. Aug. in lib. 50. Hom. hom. 40. habetur de pœn. d. 1. cap. Agite.*

40. Ex quibus aliis Scripturæ locis Confessionem a Christo institutam esse colligatur.

Atque idem significare visus est Dominus, cum Apostolis id negotii dedit, (c) ut Lazarum a mortuis excitatum a vinculis solverent, quibus constrictus erat. Nam sanctus Augustinus eum locum ita explanat: *Ipsi*, inquit, *Sacerdotes plus jam possunt proficere, plus confitentibus parcere: quibus enim crimen remittunt, Dominus remittit*, scilicet per ipsos Apostolos: *Lazarum, quem de monumento jam suscitaverat, obtulit Discipulis solvendum, ostendens potestatem solvendi esse concessam sacerdotibus.* Quo etiam pertinet, quod iis, (d) qui a lepra in itinere curati

Joan. 11.

c) *S. Aug. lib. de vera, & falsa pœn. cap. 10. & serm. 8. de ver. Dom. vide item in Joan. tract. 29. & tract. 49. & in Psal. 101. conc. 1.*

d) *Luc. 17. 14. 15.*

rati sunt, præceperat, ut Sacerdotibus se ostenderent, illorumque judicium subirent.

41. *Quomodo ex verbis Domini necessario Confessio Sacerdoti facienda colligatur, & quod sint Judices Apostolorum successores.*

Cum igitur Dominus potestatem retinendi, & remittendi peccata Sacerdotibus tribuerit, perspicuum est, ipsos etiam ea de re (a) Judices constitutos fuisse. At quoniam, ut sancta (b) Tridentina Synodus sapienter admonuit, de qualibet re verum judicium fieri, atque in repetendis criminum pœnis justitiæ modus teneri non potest, nisi plane cognita, & perspecta causa fuerit; ex eo sequitur, ut pœnitentium Confessione singillatim peccata omnia Sacerdotibus patefacienda sint. Hæc igitur Pastores docebunt, quæ a sancta Tridentina Synodo decreta, ac perpetuo a Catholica Ecclesia tradita sunt. Si enim sanctissimos Patres attente legimus, nusquam non apertissima testimonia occurrent, quibus confirmetur hoc Sacramentum a Christo Domino institutum esse, & Confessionis Sacramentalis legem, quam illi *Exomologesin*, & *Exagoreusin* Græco vocabulo appellant, tanquam Evangelicam accipiendam esse. Quod si etiam veteris Testamenti figuras exquirimus, sine dubio ad peccatorum Confessionem videntur pertinere varia illa (c) Sacrificiorum genera, quæ ad expianda varii generis peccata a Sacerdotibus fiebant.

a) *Aug. lib. 20. de Civ. Dei cap. 9. Greg. hom. 26. in Evang. Ambr. lib. 2. de Cain. cap. 4. & hab. de pœnit. dist. 1. cap. Verbum Dei.*

b) *Conc. Trid. de pœn. sess. 14. cap. 5. can. 7. De exomologesi scripserunt Clem. Rom. in Ep. 1. ad Jacobum fratrem Domini Cypr. de lapsis, & in epist. 10. & 55. ad Cornelium. Basil. q. 288. in reg. brevioribus Leo Pap. ep. 89. ad Toted.*

42. *Quo fructu ad Sacramentalem Confessionem Ecclesia certas quasdam cæremonias adjunxerit.*

Sed quemadmodum Confessionem a Domino Salvatore institutam esse fideles docendi sunt,

c) *Sacrificia pro peccato figuræ fuerunt nostræ Confessionis quæ habentur. Lev. 4. per totum 5. 6. 7. 8. 9. 12. 15. & 16. & Num. 5. 6. 7. 8. 9. 12. 14. 15. &*

pluribus aliis in locis. Hieron. ep. 30. in epitaph. Fabiolæ. & alii quos supra citavimus sec. 18.

sunt, ita etiam monere eos oportet, quosdam ritus, & solemnes cæremonias Ecclesiæ auctoritate additas esse, quæ etsi ad Sacramenti rationem non spectant, ejus tamen dignitatem magis ante oculos ponunt, & confitentium animos pietate accensos ad Dei gratiam facilius consequendam præparant. Cum enim aperto capite ad pedes Sacerdotis abjecti, demisso in terram vultu, supplices manus tendentes, aliaque hujusmodi Christianæ humilitatis signa dantes, quæ ad Sacramenti rationem necessaria non sunt, peccata confitemur; ex his perspicue intelligimus, tum in Sacramento cœlestem vim agnoscendam, tum a nobis divinam misericordiam summo studio requirendam, atque efflagitandam esse.

43. Salutem citra Confessionem recuperare non possunt, qui peccatis sunt obnoxii capitalibus.

Hæc etiam attigit. sess. 22. Trid. Synod. de pœnit. cap. 5. & can. 7. Potestas ad solvendum cur clavi comparetur.

Jam vero nemo existimet, Confessionem a Domino quidem institutam, sed ita tamen, ut ejus usum necessarium esse non edixerit. Etenim sic statuant fideles, oportere eum, qui mortali scelere premitur, Confessionis Sacramento ad spiritualem vitam revocari. Quod quidem pulcherrima translatione a Domino aperte significatum videmus, cum hujus Sacramenti administrandi potestatem (a) Clavem regni cœlorum appellavit. Ut enim locum aliquem munitum, & sublimem ingredi nemo potest sine ejus opera, cui claves commissæ sunt: sic intelligimus, neminem in cœlum admitti, nisi fores a Sacerdotibus, quorum fidei Claves Dominus tradidit, aperiantur. Aliter enim nullus plane Clavium usus in Eccle-

a) *Matt.* 16. 19.

sia

sia esse videbitur; ac frustra is, cui Clavium potestas data est, quempiam cœli aditu prohibebit, si tamen alia via introitus patere queat. Hoc vero præclare a sancto Augustino cognitum est, cum inquit: *Nemo sibi dicat, occulte ago apud Dominum Pœnitentiam; novit Deus, qui mihi ignoscat, quid in corde ago. Ergo sine causa dictum,* (a) *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo? ergo sine causa Claves datæ sunt Ecclesiæ Dei?* Atque in eandem sententiam sanctus Ambrosius in libro de Pœnitentia scriptum reliquit, cum Novatianorum hæresim convelleret, qui soli Domino potestatem remittendi peccata reservandam asserebant. *Ecquis Deum,* inquit, *magis veneratur, qui mandatis illius obtemperat, an qui resistit? Deus nos jussit ejus ministris obtemperare, quibus cum pareamus, honorem soli Deo deferimus.*

D. Aug. lib. 50. homil. 40. & habetur de Pœnit. dist. 1. c. Agite. Item. in 4. sent. dist. 17. lit. A.

a) *Matth. 18.*

S. Ambr. lib. 1. de Pœnit. cap. 2.

Novatianorum hæresis.

44. Quo ætatis, & anni tempore confitendum sit.

Sed cum minime dubitari possit, Confessionis Legem ab ipso Domino latam, & constitutam esse; sequitur, ut videndum sit, quinam, quo ætatis & anni tempore ei parere debeant. Primum itaque ex Concilii Lateranensis canone, cujus initium est, *Omnis utriusque sexus*, perspicitur, neminem Confessionis lege adstrictum esse ante eam ætatem, qua rationis usum habere potest. Neque tamen ea ætas certo aliquo annorum numero definita est; sed illud universe statuendum videtur, ab eo tempore Confessionem puero indictam esse, cum inter bonum & malum discernendi vim habet, in ejusque mentem dolus cadere potest. Nam cum ad id vitæ tempus

Trid. Synod. de Pœnit. c. 58. & can. 8. Levit. 16. & 23. Later. Concil. cap. 21. & de pœn. & remiss. Omnis utriusque sexus. Scot. in 4. d. 17. q. 1. lit. K.

quisque pervenerit, in quo te salute æterna deliberandum est, tum primum Sacerdoti peccata confiteri debet, cum aliter salutem sperare nemini liceat, qui scelerum conscientia premitur. Quo vero potissimum tempore confiteri oporteat, eo canone, de quo antea diximus, sancta Ecclesia decrevit. Jubet enim semel saltem quotannis fideles omnes peccata sua confiteri.

45. Quoties Christiani hoc beneficio uti debeant.

Morituris in primis necessaria est Confessio.

Verum, si quid salutis nostræ ratio postulet, consideremus, profecto quoties vel mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat (veluti cum Sacramenta administramus, aut percipimus) toties Confessio prætermittenda non est. Atque idem omnino servare oportet, cum veremur, ne nos alicujus culpæ, quam admiserimus, oblivio capiat. Neque enim peccata confiteri possumus, quæ non meminimus; neque peccatorum veniam a Domino impetramus, nisi ea Pœnitentiæ Sacramentum per Confessionem deleat.

46. Omnia peccata sigillatim in Confessione aperienda.

De conditionibus & circumstantiis ad Confessionem requisitis. Primo esse debet integra. Trid. Syn. sess. 14. de Pœn. c. 5. & c. 7.

Sed quoniam multa in Confessione observanda sunt, quorum alia ad Sacramenti naturam pertinent, alia non ita necessaria sunt; de his accurate agendum erit. Neque enim desunt libelli, & commentarii, ex quibus facile est horum omnium explicationem depromere. Illud autem in primis doceant Parochi, in Confessione curandum esse, ut integra,

gra, & absoluta sit. Etenim omnia mortalia peccata Sacerdoti aperire oportet. Nam venialia, quæ nos a Dei gratia non divellunt, & in quæ frequentius labimur, tametsi recte, atque utiliter, quod piorum usus demonstrat, confitemur, tamen sine culpa prætermitti, multisque aliis rationibus expiari possunt; at mortifera peccata, ut jam diximus, singula enumeranda sunt, quamvis etiam occultissime lateant, & ejus generis sint, quæ duobus tantum extremis Decalogi capitibus interdicuntur. Sæpe enim evenit, ut ea gravius animam vulnerent, quæ occulte admittuntur, quam illa, quæ aperte, ac palam peccare homines solent. Ita vero a sancta Tridentina Synodo definitum, atque a Catholica Ecclesia semper traditum est, quemadmodum sanctorum Patrum testimonia declarant. Est enim apud sanctum Ambrosium in hunc modum: *Non potest quis justificari a peccato, nisi ante confessus fuerit peccatum.* Sanctus etiam Hieronymus in Ecclesiasten idem plane confirmat; inquit enim, *Si quem serpens Diabolus occulte momorderit, & nullo conscio, eum peccati veneno infecerit, si tacuerit, & Pœnitentiam non egerit, nec vulnus suum fratri, vel magistro voluerit confiteri; Magister, qui linguam habet ad curandum, ei prodesse non poterit.* Præterea sanctus Cyprianus in sermone de lapsis apertissime hoc docet his verbis: *Quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti sint, quoniam tamen de eo cogitaverunt, id ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, Exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt salutarem medelam parvis licet,*

Peccata venialia qua ratione dimittantur, vide D. Aug. in Enchir. c. 71. citat. de Pœn. dist. 3. de quotidianis. & in Conc. Tolet. IV. cap. 9.

Omnia & singula peccata necessario confitenda docet.

S. Ambr. lib. de Parad. c. 14. & l. 2. de Pœn. c. 7. Hier. super illud c. 10. Eccl. Si mordeat serpens, &c.

Lib. de lapsis circa fin. Greg. hom. 20. super Ezech.

& modicis vulneribus exquirunt. Denique hæc omnium Ecclesiæ Doctorum communis vox est, atque sententia.

47. Peccatorum circumstantiæ, dum quis confitetur, sunt patefaciendæ.

Syn. Trid. de Pœnit. sess. 14. c. 5. & can. 7. Aug. de vera, & falsa Pœn. c. 14. & de Pœn. d. 5. c. Consideret.

Sed in Confessione summa illa cura, & diligentia adhibenda est, quam in rebus gravissimis ponere solemus; omneque studium ita eo conferendum, ut sanemus animæ vulnera, & peccati radices evellamus. Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valde augent, vel minuunt. Quædam enim circumstantiæ adeo graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet: quare hæc omnia confiteri semper oportet. Si quis enim hominem interemerit, explicandum est, utrum ille sacris initiatus, an profanus fuerit: itemque si cum muliere concubuit, Matrimonii ne lege libera, aut alterius uxore, aut propingua, aut alicujus voti sponsione Deo consecrata, aperiat necesse est. Hæc enim diversa peccatorum genera constituunt; ita ut primum quidem simplex fornicatio, alterum adulterium, tertium incestus, quartum sacrilegium a divinarum rerum Doctoribus appelletur. Furtum etiam in peccatis numerandum est. Verum si quis aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quam is qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præsertim vero qui sacram pecuniam abstulit. Quæ etiam ratio ad locum, & ad tempus pertinet: quorum exempla notiora sunt ex multorum libris, quam

Alex. de Ales 4. p. qu. 77. mem. 3.

Vide D. Thom. in 2. 2. q. 154. art. 1.

De circumstantia temporis vide sect. 29. in fine. Scot. 4. dist. 17. q. 1. lit. N. Circumstantiæ non gravantes possunt reticeri.

quam ut a nobis commemorentur. Hæc igitur, ut diximus, enumeranda sunt : quæ vero pravitatem rei magnopere non augent, sine crimine omitti possunt.

48. Confessio, in qua sponte aliquid gravius reticetur, iteranda est.

Sed ad Confessionem adeo necessarium est, ut, quod antea diximus, integra sit, & absoluta, ut si quis, dedita opera, alia quidem ex iis, quæ explicari debent, prætermittat, alia vero tantummodo confiteatur, non solum ex ea Confessione is nullum commodum consequatur, sed etiam novo scelere se obstringat. Neque ejusmodi peccatorum enumeratio Confessionis nomine, in qua Sacramenti ratio insit, appellanda est : quin potius pœnitenti Confessionem repetere est necesse, seque ipsum illius peccati reum facere, quod Sacramenti sanctitatem simulatione Confessionis violaverit.

Confessio, in qua aliquid sponte reticetur, quam sit noxia. Trid. Synod. sess. 14. de Pœn. c. 5.

49. Confessio, in qua per oblivionem, vel incuriam levem aliquid omissum est, non iteranda.

At vero, si alia de causa Confessioni aliquid defuisse videatur, vel quia Pœnitens nonnulla crimina oblitus fuerit, vel quia conscientiæ suæ latebras non ita accurate perquisierit, cum tamen illud in animo haberet, ut integre omnia peccata confiteretur, nihil opus ei erit Confessionem iterare : satis autem habebit, si quando peccata, quæ oblitus erat, in memoriam reduxerit, ea Sacerdoti alio tempore confiteri. In quo tamen animadvertendum est, ne forte nimis dissolute, & remisse conscientiam nostram scrutati simus, adeo-

Negligentia magna, & voluntaria iterationem Confessionis postulat.

que negligenter peccata admissa memoria repetere studuerimus, ut ea ne recordari quidem voluisse merito videri possimus. Id enim si factum fuerit, Confessionem iterare omnino oportebit.

50. Nuda, simplex, & aperta debet esse Confessio.

Nude, & remotis ambagibus aperienda sunt peccata.

Præterea curandum est, ut Confessio nuda, simplex: & aperta sit, non artificiose composita, quod a nonnullis fit, qui potius vitæ suæ rationem exponere, quam peccata confiteri videntur. Ea enim Confessio esse debet, quæ nos tales Sacerdoti aperiat, quales nos ipsos novimus, certaque pro certis, ac dubia pro dubiis demonstret. Quod si vel peccata non recensentur, vel alieni a re, quam tractamus, sermones inseruntur, perspicuum est, Confessionem hac virtute carere.

51. Prudens, & verecunda debet esse Confessio.

Prudens sit & verecunda Confessio.

Vehementer etiam commendandi sunt, qui prudentiam, & verecundiam in explicandis rebus adhibent. Neque enim nimis multis verbis agendum est, sed, quæ ad cujusque peccati naturam, & rationem pertinent, brevi oratione, quæ modestiam conjunctam habeat, aperienda sunt.

52. Confessio per internuncium, aut per literas fieri non potest.

Secreta sit Confessio. & extra periculum revelandi. Matth. 8. 4. Luc. 10. Rom. 10.

Illud vero etiam tum confitenti, tum Sacerdoti maxime laborandum est, ut eorum sermo in Confessione secreto habeatur. Quare fit, ut nemini omnino neque per nuncium, neque per literas, quoniam ea ratione nihil jam occulte agi potest, peccata confiteri liceat.

53. Ex-

53. Expedit homini Chriſtiano ſæpius confiteri.

Sed nulla res fidelibus adeo curæ eſſe debet, quam ut frequenti peccatorum Confeſſione animam ſtudeant expiare. Etenim cum aliquis mortifero ſcelere urgetur, nihil ei magis ſalutare eſſe poteſt ob multa, quæ impendent, vitæ pericula, quam ſtatim peccata ſua confiteri. Nam, ut ſibi quiſque diuturnum vitæ ſpatium polliceri queat, turpe profecto eſt, cum in eluendis corporis, aut veſtium ſordibus tam diligentes ſimus, non eadem ſaltem diligentia curare, ne animæ ſplendor turpiſſimis peccati maculis obſoleſcat.

Utilitas frequentata Confeſſionis.

54. Quotuplici poteſtate hujus Sacramenti miniſter præditus eſſe debeat.

Sed jam de miniſtro hujus Sacramenti dicendum eſt. Eum autem Sacerdotem eſſe, qui ordinariam, aut delegatam abſolvendi poteſtatem habeat, ex Eccleſiaſticis ſanctionibus ſatis apparet. Habeat enim oportet non ſolum Ordinis, verum etiam Juriſdictionis poteſtatem, qui hoc munere fungi debet. Illuſtre vero hujus miniſterii teſtimonium præbent illa Domini verba apud S. Joannem: (a) *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Neque enim omnibus, ſed Apoſtolis tantum hæc dicta fuiſſe conſtat; quibus in hac functione Sacerdotes ſuccedunt: idque etiam maxime conſentaneum eſt, nam cum omne gratiæ genus; quæ hoc ſacramento tribuitur, a Chriſto capite ad membra derivetur, merito debent corpori Chriſti myſtico, id eſt fidelibus illud adminiſtrare, qui ſoli verum ejuſdem corpus conficiendi poteſtatem habent;

De legitimo & idoneo Confeſſionis ſacramentalis miniſtro. Trid. Syn. ſeſſ. 14. c. 5. & 6. de Pœn. can. 10.

a) *Joan. 20. Ordinis poteſtas unde probetur. Trid. Syn. c. 7. ſeſſ. ead. Juriſdictionis poteſtas unde probetur. Conc. Antioch. Chalced. & alia.*

cum præſertim fideles hoc ipſo Pœnitentiæ Sacramento ad ſacram Euchariſtiam ſumendam apti, idoneique reddantur. Verum quanta olim religione in antiquiſſima Eccleſia jus ordinarii Sacerdotis conſervatum fuerit, ex veteribus Patrum decretis facile intelligitur, quibus cautum eſt, ne quis Epiſcopus, aut Sacerdos in alterius Parochia aliquid gerere auderet ſine ipſius auctoritate, qui illi præeſſet, aut niſi magna neceſſitas cogere videretur. Ita vero ab Apoſtolo ſancitum eſt, cum Tito præcepit, (a) ut in ſingulis civitatibus Sacerdotes conſtitueret, qui ſcilicet doctrinæ, & Sacramentorum cœleſti pabulo fideles alerent, & educarent.

a) *Tit.* 1. 5.

55. Poteſt quivis Sacerdos quemcunque peccatorem in neceſſitate abſolvere.

Quanta cuiuſque Sacerdotis in periculo mortis circa abſolutionem poteſtas. Trid. Syn. de Pœn. ſeſſ. 14. *cap.* 7.

Quanquam, ſi mortis periculum imminet, & proprii Sacerdotis facultas non datur, ne hac occaſione aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum fuiſſe Concilium Tridentinum docet, ut unicuique Sacerdoti liceret non ſolum omni peccatorum generi, cujuſcunque poteſtatis ſit, peccata condonare, ſed etiam ab excommunicationis vinculo ſolvere.

56. Qualis cuique de ſua ſalute ſollicito deligendus ſit Confeſſionis miniſter.

Eruditio, & prudentia in Confeſſario neceſſaria. Aug. lib. de vera, & falſa P. c. 10. *& hab. Pœn. d.* 1. *cap. Quem pœnitet Confeſſarius Judicis, & medici perſonam ſuſtinet.*

Jam, præter Ordinis, & Juriſdictionis *poteſtatem*, quæ prorſus neceſſaria ſunt, opus eſt in primis, ut hujus Sacramenti miniſter tum ſcientia, & eruditione, tum prudentia præditus ſit: judicis enim & medici ſimul perſonam gerit. Ac, quod ad primum attinet, ſatis conſtat, non vulgarem ſcientiam neceſſariam eſſe, qua & peccata inveſtigare, & ex variis peccatorum gene-

generibus, quæ gravia, quæ levia ſint, pro cujuſque hominis ordine, & genere judicare poſſit. Ut autem medicus eſt, ſumma quoque prudentia indiget. Etenim diligenter providendum eſt, ut ea remedia ægroto adhibeantur, quæ ad illius animam ſanandam, & in poſterum contra morbi vim muniendam aptiora eſſe videantur. Ex quo poterunt fideles intelligere, cuivis maximo ſtudio curandum eſſe, ut eum ſibi Sacerdotem deligat, quem vitæ integritas, doctrina, prudens judicium commendet; qui, & quantum in eo officio, cui præeſt, ponderis, & momenti ſit, & quæ cuique ſceleri pœna conveniat, & qui vel ſolvendi, vel ligandi ſint, optime noverit.

Trid. Syn. ſeſſ. 14. de Pœn. c. 6. can. 9. S. Baſil. in reg. brev. q. 229. & Conc. Later. c. 21. & de Pœn. & remiſ. c. Omnis utriuſque. Qualis confeſſarius deligendus.

57. Nunquam quæ inter confitendum ſunt audita, verbo aut ſigno patefacere licet.

Sed quoniam nemo eſt, qui non vehementer cupiat ſcelera, & turpitudinem ſuam occultari; monendi ſunt fideles, nihil eſſe, quod timeant, ne ea, quæ ipſi Confeſſione patefecerint, a Sacerdote ulli unquam indicentur, neve aliquod ex ea periculi genus ſibi ullo tempore creari poſſit. Sacræ enim ſanctiones graviſſime in eo Sacerdotes animadverti voluerunt, qui peccata omnia, quæ aliquis eis confeſſus fuerit, perpetuo, & religioſo ſilentio compreſſa non tenuerit. Quare in Concilio Lateranenſi Magno ita legimus: *Caveat omnino Sacerdos, ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.*

Confeſſarii quanta debeat eſſe taciturnitas. Scot. in 4. diſt. 21. q. 2. De Pœnit. diſt. 6. c. Sacerdos. & de Pœn. & remiſ. c. Omnis. ex Conc. Lateran. c. 21.

58. Quæ ſint præcipue obſervanda Sacerdoti aliorum Confeſſiones excipienti.

Sed jam rerum ordo poſtulat, cum de miniſtro dictum ſit, ut quædam præcipua capita ex-

plicentur, quæ ad Confeſſionis uſum, & tractationem non parum ſunt accommodata. Magna enim fidelium pars eſt, quibus vulgo nihil longius videri ſolet, quam ut dies illi, qui Eccleſiaſtica lege Confeſſioni præfiniti ſunt, effluant: tantum abſunt a Chriſtiana perfectione, ut vix peccatorum ſuorum meminerint, quæ Sacerdoti patefacienda eſſent; nedum cætera diligenter curent, quæ ad divinam gratiam conciliandam vim habere maximam perſpicuum eſt. Quare, cum illorum ſaluti omni ſtudio ſuccurrendum ſit, hoc primum Sacerdotes in pœnitente diligenter obſervabunt, ſi veram peccatorum ſuorum Contritionem habeat, certumque illi ſit, ac deliberatum in poſterum a peccatis abſtinere. Quod ſi ita animo affectum eſſe animadverterint, moneant, & vehementer hortentur, ut pro tanto, & tam ſingulari beneficio maximas Deo gratias agat, ab eoque cœleſtis gratiæ præſidium petere nunquam deſinat, quo munitus, ac tectus facile poterit pravis cupiditatibus reſiſtere, ac repugnare.

De his, quæ ad Confeſſionis uſum per Sacerdotem circa Pœnitentem ſunt obſervanda.

Docendus eſt etiam, ut nullum patiatur eſſe diem, quin aliquid de paſſionis Domini noſtri myſteriis meditetur, ad eumque imitandum, & ſumma charitate amandum ipſe ſe excitet, atque inflammet. Hac enim meditatione aſſequetur, ut ab omnibus Dæmonis tentationibus in dies ſe tutiorem eſſe ſentiat. Neque enim ulla eſt alia cauſa, cur tam cito vel leviter ab hoſte impugnati animo, & viribus ſuccumbamus, quam quod ex cœleſtium rerum meditatione divini amoris ignem concipere non ſu-

Pſal. 22.

de-

demus, quo mens recreari, atque erigi possit. Sin autem Sacerdos intellexerit, eum, qui velit confiteri, adeo peccata sua non dolere, ut vere contritus dicendus sit, conetur magno Contritionis desiderio eum afficere; ut deinde hujus præclari doni cupiditate incensus, illud a Dei misericordia petere, & efflagitare in animum inducat.

59. Quomodo se gerere debeat Confessarius erga eos, qui sua peccata excusant.

In primis autem reprimenda est quorundam superbia, qui scelera sua excusatione aliqua vel defendere, vel minora facere nituntur. Nam exempli causa, cum aliquis fateatur, se ira vehementius commotum fuisse, statim hujus perturbationis causam in alium confert, a quo prius sibi injuriam factam esse queritur. Monendus itaque est, hoc elati animi, & hominis peccati sui magnitudinem vel despicientis, vel plane ignorantis signum esse; tum vero ejusmodi excusationis genus ad augendum potius, quam ad minuendum peccatum pertinere. Nam qui ita factum suum probare contendit, hoc videtur profiteri, se tunc patientia usurum esse, cum a nemine lædetur: quo quidem nihil homine Christiano indignius esse potest. Etenim cum illius vicem maxime dolere debuerit, qui injuriam fecit, tamen non peccati pravitate commovetur, sed fratri irascitur; ac, cum ei præclara occasio oblata fuerit, ut Deum patientia colere, & fratrem mansuetudine sua corrigere possit, salutis materiam ad perniciem suam convertit.

Monendus est confitens, peccata sua ut non excuset. Psal. 40.

60. Quo-

60. *Quomodo his consulet Confessarius, qui peccata sua confiteri erubescunt, vel imperati eum adeunt.*

Pernicioſior autem eſt illorum culpa exiſtimanda, qui ſtulta quadam verecundia impediti peccata ſua confiteri non audent. Iis igitur hortando animos addere oportet, monendique ſunt, nihil eſſe, quod vitia ſua aperire vereantur, nullique mirum videri debere, ſi intelligat homines peccare; qui quidem communis eſt omnium morbus, & in humanam imbecillitatem proprie cadit.

Alii ſunt, qui vel quod raro peccata ſua confiteri ſolent, vel quod nullam curam, & cogitationem in perveſtigandis ſuis ſceleribus poſuerunt, nec commiſſa Confeſſione expedire, nec unde ejus officii initium ducendum ſit, ſatis ſciunt. Quos certe acrius objurgare opus eſt, atque in primis docere, priuſquam ad Sacerdotem aliquis adeat, omni ſtudio curandum eſſe, ut peccatorum ſuorum Contritione commoveatur; id vero præſtari nullo modo poſſe, niſi ea reminiſcendo ſingillatim recognoſcere ſtudeat. Quare ſi Sacerdos hujuſmodi homines prorſus imparatos cognoverit, humaniſſimis verbis a ſe dimittet; hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod ſpatium ſumant, ac deinde revertantur. Quod ſi forte affirmaverint, ſe in eam rem omne ſtudium, & diligentiam ſuam contuliſſe, quoniam Sacerdoti maxime verendum eſt, ne ſemel dimiſſi amplius non redeant, audiendi erunt; præſertim ſi emendandæ vitæ ſtudium aliquod præ ſe ferant, adducique poſſint, ut negligentiam ſuam accuſent, quam ſe alio tempore diligenti,

&

& accurata meditatione compenſaturos promittant. In quo tamen magna cautio adhibenda eſt, ſi enim audita Confeſſione judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in deteſtandis dolorem pœnitenti omnino defuiſſe, abſolvi poterit; ſin autem utrumque in eo deſiderari animadverterit, auctor illi, & ſuaſor erit, ut majorem curam, quod antea dictum eſt, in excutienda conſcientia adhibeat, hominemque, ut blandiſſime poterit, tractatum dimittet.

61. *Pudori quorundam quomodo conſulendum.*

Sed quoniam interdum contingit, ut mulieres alicujus ſceleris in priori Confeſſione oblitæ iterum ad Sacerdotem non audeant redire, quod vereantur, ne vel in ſuſpicionem magnæ improbitatis populo veniant, vel ſingularis religionis laudem quærere exiſtimentur; ſæpe tum publice, tum privatim docendum eſt, neminem tanta memoria eſſe, qui omnia ſua facta, dicta, & cogitata meminiſſe queat: quapropter fideles nulla re deterrendos eſſe, quominus ad Sacerdotem revertantur, ſi in memoriam alicujus criminis redierint, quod antea fuerit prætermiſſum. Hæc igitur, atque alia hujus generis multa in Confeſſione a Sacerdotibus obſervanda erunt. Nunc ad tertiam Pœnitentiæ partem, quæ ſatisfactio appellatur, veniendum eſt.

62. *Quid in genere, quidque in materia Confeſſionis ſignificet Satisfactio.*

Primum itaque Satisfactionis nomen, & vis exponenda eſt. Hinc enim Catholicæ Eccleſiæ hoſtes amplam occaſionem diſſidii, & diſcor-

ſcordiæ cum maxima Chriſtiani populi pernicie arripuerunt. Eſt autem Satisfactio rei debitæ integra ſolutio. Nam, quod ſatis eſt, ei nihil videtur deeſſe. Quare cum de gratiæ reconciliatione loquimur, idem ſatisfacere ſignificat, quod alteri tantum præſtare, quantum irato animo ad ulciſcendam injuriam ſatis eſſe poſſit: atque ita Satisfactio nihil aliud eſt, quam injuriæ alteri illatæ compenſatio. Quod autem ad hunc locum pertinet, Satisfactionis nomen divinarum rerum Doctores ad declarandam eam compenſationem uſurparunt, cum homo pro peccatis commiſſis Deo aliquid perſolvit.

Quid Satisfactio ut ad pœnitentiam pertinet, vide caput ſatisfactio de pœnit. diſt. 3. & Doct. in illud, & D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 2. art. 1. q. 1.

63. Quot ſint gradus ejus Satisfactionis, quæ compenſationem aliquam peccati includit.

Quo in genere quoniam multi gradus eſſe poſſunt, hinc fit, ut Satisfactio varie accipiatur. Ac prima quidem, & præſtantiſſima illa eſt, qua, pro ſcelerum noſtrorum ratione, etiamſi Deus ſummo jure nobiſcum velit agere, quicquid a nobis debeatur, cumulate perſolutum eſt. Hæc vero ejuſmodi eſſe dicitur, quæ nobis Deum propitium, & placatum reddidit: eamque uni Chriſto Domino acceptam ferimus, qui in Cruce pretio pro peccatis noſtris ſoluto pleniſſime Deo ſatisfecit. Neque enim ulla res creata tanti eſſe potuit, quæ nos tam gravi debito liberaret: atque, ut ſanctus Joannes teſtatur, (a) *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Hæc igitur plena, & cumulata eſt Satisfactio, ſcelerum omnium rationi, quæ in hoc ſæculo commiſſa ſunt, pariter, æqualiterque re-

Satisfactionis ſpiritualis varii gradus, & multiplex acceptio. vide D. Thom. in 3. p. q. 38. art. 2.

a) *1. Joan. 2. 2. vide idem Joan. 1. 29. 2. Cor. 3. 19. Eph. 1. & 5. Hebr. 9. 11. 12. 13.*

reſpondens: cujus pondere hominum actiones apud Deum plurimum valent, ac ſine eo nullâ prorſus æſtimatione dignæ haberentur. Atque huc Davidis verba videntur ſpectare, qui poſtquam ſecum ipſe reputans illud protuliſſet, (a) *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* nihil præter hanc Satisfactionem, quam Calicis nomine expreſſit, dignum tot tantiſque beneficiis invenire potuit: quare ſubjecit, (b) *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.*

a) *Pſal.* 115. 12.

b) *Ibidem* 13.

Alterum Satisfactionis genus eſt ea, quæ & Canonica appellatur, & certo temporis ſpatio definita perficitur. Quare antiquiſſimæ Eccleſiæ uſu receptum eſt, ut cum pœnitentes a peccatis ſolvuntur, pœna aliqua eis irrogetur, cujus pœnæ ſolutio Satisfactio vocari conſuevit.

Eodem vero nomine quodlibet etiam pœnæ genus ſignificatur, quam pro peccatis, non quidem a Sacerdote conſtitutam, ſed ſponte noſtra ſuſceptam, atque a nobis ipſis repetitam ſuſtinemus.

64. *Quid ſit hæc Satisfactio, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinet.*

Verum hæc ad Pœnitentiam, ut Sacramentum eſt, minime pertinet, ſed illa tantum Sacramenti pars cenſenda eſt, quam diximus ex præcepto Sacerdotis Deo pro peccatis dependi, hoc adjuncto, ut ſtatutum cum animo, & deliberatum habeamus peccata in poſterum omni ſtudio vitare. Id enim (c) nonnulli definierunt: *Satisfacere eſt Deo debitum honorem impendere*, quod autem nemo debitum honorem Deo

Trid. Synod. ſeſſ. 14. de pœnit. c. 8. & 9. & can. 13.

c) *Anſel. lib. 1. Cur Deus homo c. 11.*

poſ-

possit tribuere, nisi qui peccata omnino vitare

a) D. Aug. de Eccl. dogma. c. 54. & hab. de pœn. dist. 3. c. Sequuntur.

constituat, satis apparet: (a) & *Satisfacere, est peccatorum causas excidere, & eorum suggestioni aditum non indulgere.* In quam sententiam alii senserunt, Satisfactionem esse purgationem, qua eluitur, quicquid sordium propter peccati maculam in anima resedit, atque a pœnis tempore definitis, quibus tenebamur, absolvimur. Quæ cum ita sint, facile erit fidelibus persuadere, quam necessarium sit, ut pœnitentes in hoc Satisfactionis studio se exerceant.

65. Non semper cum remissione pœnæ æternæ, quæ consequitur condonationem culpæ, pœna temporalis remittitur.

Pœna æterna cum remissione culpa semper remittitur, temporalis non item. Trident. Synod. sess. 14. de pœn. cap. 8. can. 12. & 15.

Docendi enim sunt, duo esse, quæ peccatum consequuntur, maculam, & pœnam. Ac quamvis semper culpa dimissa, simul etiam æternæ mortis supplicium apud Inferos constitutum condonetur; tamen non semper contingit, quemadmodum a Tridentina Synodo declaratum est, ut Dominus peccatorum reliquias, & pœnam certo tempore definitam, quæ peccatis debetur, remittat. Cujus rei

b) Gen. 3. 17.

c) Num. 12. 14. & 22.

d) Exod. 32. 33. 34. Num. 14. 2. 22. Psal. 93. 8.

e) 2. Reg. 12. 12. 13. D. Thom. 3. p. q. 86. art. 4. & 5.

f) Psal. 50. 4.

perspicua sunt exempla in Sacris Literis, (b) Geneseos tertio capite, (c) Num. XII. & XXII. & (d) aliis permultis locis. Sed illud Davidis clarissimum, & maxime illustre intuemur, cui etsi Nathan dixerat, (e) *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*, is tamen gravissimas pœnas ultro subiit, Dei misericordiam his verbis dies, nocteque imploraus: (f) *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.*

Qui-

Quibus verbis illud petitum est a Domino, ut non solum crimen, sed pœnam etiam criminis debitam condonaret, atque a peccati reliquiis purgatum in pristinum decoris, & integritatis statum restitueret. Atque hæc cum summis precibus peteret, eum tamen Dominus (a) tum filii ex adulterio suscepti, (b) tum Absalonis, quem unice diligebat, defectione, & (c) morte mulctavit, aliisque pœnis, & calamitatibus affecit, quas illi antea intentarat. In Exodo etiam (d) etsi Dominus Moysis precibus exoratus Populo Idololatræ pepercerat, tamen minatus est, se tanti flagitii graves pœnas repetiturum esse: ipseque Moyses testatus est, fore, ut illud Dominus severissime in tertiam, & quartam usque generationem ulciscereturr. Hæc vero a sanctis Patribus in Ecclesia Catholica semper tradita esse, ipsorum auctoritate apertissime comprobatur.

a) 2. *Reg.* 12. 38.
b) 2. *Reg.* 15.
c) 2. *Reg.* 18. 14.
d) *Exod.* 32. 11. *Ambr. lib.* 1. *de Pœn. c.* 16. *&* 2. *c.* 5.

66. Quare non tantum indulgeat Deus homini per Sacramentum Pœnitentiæ, quantum per Baptismum.

Verum qua de causa factum sit, ut pœna omnis Pœnitentiæ Sacramento æque, ac Baptismo non condonetur, præclare a sancta Tridentina Synodo explicatum est his verbis: *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter a Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter vero, qui semel a peccati, & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono,* (e) *scientes templum Dei violare,* (f) *& Spiritum sanctum contristare non formidaverint.*

Pluribus de causis omnis pœna Sacramento Pœnitentiæ, ut in Baptismo, non remittitur. Trid. Syn. eadem sess. 14. *c.* 8. *Prima ratio.*

e) 1. *Cor.* 3. 17.
f) *Eph.* 4. 30.

Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla Satisfactione peccata dimittantur, *Secunda ratio.*

ut occasione accepta peccata leviora putantes, (a) veluti injurii, & contumelioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur, (b) theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in poſterum pœnitentes efficiunt.

a) *Hebr.* 10. 19.

b) *Rom.* 2. 5.

Tertia ratio.

Accedit, ut tanquam teſtificationes quædam ſint doloris, quem ex commiſſis peccatis capimus: qua ratione Eccleſiæ ſatisfit, quæ noſtris ſceleribus graviter offenſa eſt. Nam, ut ſanctus Auguſtinus ait, (c) *Cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit. Verum, quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel alia quæcunque ſigna procedit; recte ab iis, qui Eccleſiæ præſunt, tempora Pœnitentiæ conſtituuntur, ut Eccleſia, in qua peccata ipſa remittuntur, ſatisfiat.*

c) *Pſal.* 50. 19. *S. Aug. Ench. c.* 65. *& hab. de pœn. diſt.* 1. *c. In actione & Mag. in* 4. *Sen. diſt.* 20.

67. *Quomodo ex pœnis nobis inflictis alii juventur.*

Quarta ratio.

Præterea Pœnitentiæ noſtræ exempla alios docent, quomodo ipſi vitam inſtituere, & pietatem ſequi debeant. Cum enim pœnas pro peccatis nobis irrogatas cæteri homines intuentur, & ſummam cautionem ſibi in omni vita adhibendam, & mores priſtinos corrigendos eſſe intelligunt. Quare ſapientiſſime illud ab Eccleſia obſervatum eſt, ut cum ab aliquo publice flagitium commiſſum eſſet, publica etiam Pœnitentia ei indiceretur, ut cæteri timore perterriti deinceps peccata diligentius vitarent: quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora eſſent, interdum fieri ſolitum erat. Sed in publicis, ut diximus, hoc

Publica crimina publice expiari olim mos fuit. Vide Aug. lib. 5. *de Civ. cap.* 26. *& de vera, & fal. pœn. c.* 11.

hoc perpetuum fuit, ut qui ea commiserant, antequam publicam Pœnitentiam suscepissent, non absolverentur. Interim vero Pastores pro eorum salute Deum rogabant, atque, ut ipsi etiam pœnitentes idem facerent, eos hortari non desinebant. Quo in genere summa fuit sancti Ambrosii cura, & sollicitudo, cujus lacrymis fertur, quam plurimos, qui duro animo ad Pœnitentiæ Sacramentum accesserant, ita emollitos esse, ut veræ Contritionis dolorem conceperint. Verum postea tantum de veteris disciplinæ severitate remissum est, atque ita charitas refrixit, ut jam plerique ex fidelibus ad peccatorum veniam impetrandum nullum intimum animi dolorem, atque gemitum cordis necessarium putent, sed illud satis esse arbitrentur, si speciem tantum dolentis habeant.

D. *Ambr. lib. 1. de unica pœn. c. 10. quod habetur de pœnit. dist. 3. c. Reperiuntur.*

68. Per Pœnitentiam Christo assimilamur.

Deinde vero hujusmodi pœnarum perpessione consequimur, ut capitis nostri Jesu Christi, (a) in quo passus est ipse, & tentatus, similitudinem, & imaginem geramus. *Nihil enim tam deforme videri potest*, ut a sancto Bernardo dictum est, *quam, sub spinoso capite delicatum esse membrum.* Nam teste Apostolo (b) *cohæredes sumus Christi, si tamen compatimur*; &, quod alio loco scripsit, (c) *si commortui sumus, & convivemus; si sustinebimus, & conregnabimus.*

Quinta ratio.

a) *Hebr. 2. 18.*

D. *Bernar. serm. 5. de omnibus Sanctis.*

b) *Rom. 8. 17.*

c) *2. Tim. 2. 11. 12.*

69. Quomodo post Dei misericordiam in peccato justitiæ etiam locus sit.

Divus etiam Bernardus duo affirmat in peccato reperiri, maculam animæ, & plagam; ac turpitudinem quidem ipsam Dei misericordia tol-

D. *Bernard. in serm. de cœna Domini. Vide item D. Thom. in 3. p. q. 86. art. 4. & 5.*

tolli ; verum ſanandis peccatorum plagis valde neceſſariam eſſe eam curam, quæ in remedio Pœnitentiæ adhibetur. Quemadmodum enim ſanato vulnere cicatrices quædam remanent, quæ & ipſæ curandæ ſunt : ita in anima culpa condonata ſuperſunt peccatorum reliquiæ purgandæ. Idem plane D. Chryſoſtomi ſententia confirmat, cum ait: *Non ſatis eſt ſagittam corpore extrahi ; ſed plaga quoque a ſagitta inflicta ſananda eſt : ſic etiam in anima poſt acceptam peccati veniam Pœnitentia curanda eſt plaga relicta.* Frequentiſſime enim a ſancto Auguſtino docemur, duo hæc in Pœnitentia animadvertenda eſſe, Dei miſericordiam, & juſtitiam ; miſericordiam, qua peccata, & pœnas æternas illis debitas condonat ; juſtitiam, qua pœnis tempore definitis hominem punit.

D. Chryſoſt. hom. 80. ad pop. Antio.

S. Auguſt. in Pſal. 50. ſuper illud, Ecce enim veritatem. Scot. 4. diſt. 14. q. 4. lit. I.

70. Per Pœnitentiam pœnas a Deo nobis præparatas effugimus.

Poſtremo Pœnitentiæ pœna a nobis ſuſcepta Dei animadverſionem, ſuppliciaque in nos conſtituta antevertit. Ita enim docet Apoſtolus, cum ait: (a) *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur : dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Quæ cum fidelibus explicata fuerint, vix fieri poterit, quominus ad Pœnitentiæ opera maxime excitentur.

Duo in pœnit. animadvertenda. Sexta ratio.

a) 1. Cor. 11. 31. 32.

71. Unde noſtra opera ſint tum meritoria, tum etiam ſatisfactoria.

Ejus autem quanta vis ſit, ex eo colligitur, quod tota a Chriſti Domini paſſionis merito pendet. A quo etiam honeſtis actionibus

Paſſioni Chriſti merito opera noſtra ſunt meritoria & ſatisfactoria.

bus duo illa maxima bona consequimur: alterum est, ut immortalis gloriæ præmia mereamur, ita ut (a) calix etiam aquæ frigidæ, quam in ejus nomine dederimus, mercede non careat: alterum, ut pro peccatis nostris satisfaciamus.

Trid. Synod. sess. 14. de pœn. c. 8. can. 12. 14. & sess. 6. de Justific. c. 16.

a) *Matth. 10. 42. Marc. 9. 41.*

72. Christi Satisfactionem, & meritum nostra Satisfactio non obscurat.

Neque vero id perfectissimam, & cumulatissimam Christi Domini Satisfactionem obscurat, sed illud potius contra evenit, ut multo clariorem, & illustriorem reddat. Eo enim copiosior Christi gratia videtur esse, quod non solum ea nobiscum communicantur, quæ ipse solus, sed illa etiam, quæ, tanquam caput in membra, suis sanctis, & justis hominibus promeruit, ac persolvit. Qua ratione fieri perspicuum est, ut justæ, & honestæ piorum actiones tantum ponderis, & dignitatis habeant: Christus enim Dominus tanquam (b) caput in membra, & (c) vitis in palmites, gratiam suam in eos, qui sibi per charitatem conjuncti sunt, continenter diffundit. Quæ quidem (d) gratia bona opera nostra semper antecedit, comitatur, & consequitur, & sine qua mereri, aut satisfacere Deo nullo modo possumus. Atque ita fit, ut justis nihil deesse videatur, cum operibus, quæ Dei virtute efficiunt, & divinæ legi pro humana, mortalique conditione satisfacere, & vitam æternam, quam scilicet, si Dei gratia ornati e (e) vita decesserint, consequentur, mereri possint. Nota est enim illa Salvatoris vox; (f) *Qui autem biberit ex hac aqua, quam*

Merita Sanctorum quomodo etiam aliis prosint. Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. Greg. in c. 9. l. 8. Reg. br. q. 12.

b) *Eph. 4. 16.*
c) *Joan. 15. 4. 5. 6. 7. 8. Hac ad verbum transumpta sunt ex sess. 6. c. 16. Trid. Syn.*
d) *Gratia Dei bona opera prævenit, consequitur, & comitatur Concil. Aurel. can. 18. Fulg. lib. 1. de Mo. c. 11. & 12. Vitam æternam cum Dei gratia mereri possumus. Psal. 33. & 36.*
e) *1. Cor. 15. 18. & 2. Cor. 3. 17. & 2. Tim. 4. 8. & Hebr. 6. 10. Justi quomodo divinæ legi satisfaciant.*
f) *Joan. 4. 13. 14.*

Opera impiorum licet non sint Deo grata, sunt tamen satisfactoria. Hier. 6. Scot. 4. dist. 15. qu. 1. lit. O. & 17. q. 1. lit. P. Alex. 4. p. q. 75. mem. 1. in fine.

ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

73. Ad hoc ut opus aliquod veram vim satisfaciendi habeat, quæ sint potissimum necessaria.

Sed duo præcipue in Satisfactione requiruntur, primum est, ut is, qui satisfacit, justus sit, ac Dei amicus: opera enim, (a) quæ sine fide, & (b) charitate fiunt, nullo modo Deo grata esse possunt: alterum, ut ejusmodi opera suscipiantur, quæ natura sua molestiam, & dolorem afferant: cum enim præteritorum scelerum compensationes sint, atque ut (c) S. Martyr Cyprianus inquit, redemptrices peccatorum, omnino necesse est, ut aliquid acerbitatis habeant. Quanquam non semper illud consequitur, ut qui se in illis molestis actionibus exercent, doloris sensum habeant. Sæpe enim vel patiendi consuetudo, vel accensa in Deum charitas efficit, ut quæ perpessu gravissima sunt, ne sentiantur quidem. Neque tamen idcirco fit, quominus ea ipsa opera satisfaciendi vim habeant: siquidem hoc proprium est filiorum Dei, ita ejus amore, & pietate inflammari, ut acerbissimis laboribus cruciati aut nihil fere incommodi sentiant, aut omnia lætissimo animo perferant.

a) *Rom. 14. 13. Hebr. 11. 5.*

b) *1. Cor. 13. 3. Hoc Parochi docere debent, ne peccatores desperent.*

c) *Cypr. lib. 1. ep. 3. post medium. quæ est 55. in ordine.*

74. Quot sint opera Satisfactionis.

Trid. Syn. sess. 14. de pœn. can. 12. Leo ser. 1. de Jejun. 10. Mens. Bernard. in sent. sect. 11.

Verum omne Satisfactionis genus Pastores docebunt ad hæc tria præcipue conferendum esse, orationem, jejunium, & eleemosynam: quæ quidem tribus bonis, animæ, corporis, & iis, quæ externa commoda dicuntur, quæ omnia a Deo accepimus, respondent. Nihil vero aptius, & convenientius ad extirpandas

omni-

omnium peccatorum radices esse potest. Nam cum (a) *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis sit, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ;* nemo non videt, hisce tribus morbi causis totidem medicinas, priori scilicet jejunium, alteri eleemosynam, tertiæ orationem, rectissime opponi. Præterea, si eos etiam, qui peccatis nostris offenduntur, spectemus, facile erit intelligere, cur ad hæc tria potissimum omnis Satisfactio referatur. Hi vero sunt Deus, proximus, & nos ipsi. Quare Deum oratione placamus, proximo eleemosyna satisfacimus, nos ipsos vero jejunio castigamus. a) *Joan.* 2. 16.

75. *Afflictiones, quæ extrinsecus hominibus immittuntur, sunt etiam satisfactoriæ.*

Sed quoniam multæ, variæque ærumnæ, & calamitates, dum in hac vita sumus, nos premunt; illud maxime fideles docendi sunt, eos, qui patienti animo, quicquid laboriosi, & incommodi Deus immiserit, ferant, amplam satisfaciendi, & merendi materiam nactos esse: qui autem invitii, & repugnantes pœnam hujusmodi sustineant, omni Satisfactionis fructu privari, sed Dei tantum peccata justo judicio ulciscentis animadversionem, & supplicium perferre. *Concil. Trid. sess.* 14. *c.* 9. *& can.* 13.

76. *Unus pro alio satisfacere, non autem confiteri, aut conteri potest.*

In eo vero summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere; quod quidem hujus partis Pœnitentiæ maxime proprium est. Ut enim, quod ad Con- *Alex. de Ales* 4. *p. q.* 84. *mem.* 1. *art.* 2. *D. Thom. in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 3. *De pœn. dist.* 1. *c. Quem pœn.*

tritionem, & Confectonem attinet, nemo pro altero dolere, aut confiteri potest; ita qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere. Quare
a) *Gal. 6. 8.* fit, ut quodam pacto (a) alter alterius onera portare videatur. Nec vero de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo Sanctorum communionem confitemur. Nam cum omnes eodem Baptismo abluti Christo renascamur, eorundem Sacramentorum participes simus, in primis vero ejusdem corporis, & sanguinis Christi Domini cibo, & potu recreemur; hoc apertissime
b) *Rom. 12. 4. 5. 1. Cor. 12. Eph. 4. 7.* demonstrat, (b) nos omnes esse ejusdem corporis membra. Quemadmodum igitur neque pes suæ tantum, sed etiam oculorum utilitatis causa munere suo fungitur; neque rursus, quod oculi videant, ad illorum propriam, sed ad communem omnium membrorum utilitatem referendum est: ita communia inter nos Satisfactionis officia existimari debent.

77. Non omnis Satisfactionis virtus aliis communicari potest.

Neque tamen id sine ulla exceptione verum est, si commoda omnia, quæ ex ea capiuntur, spectemus. Nam Satisfactionis opera medicinæ etiam, & curationes quædam sunt, quæ pœnitenti ad sanandos pravos animi affectus præscribuntur: quo quidem utilitatis fructu eos, qui per se non satisfaciunt, prorsus carere perspicuum est. Hæc igitur de tribus Pœnitentiæ partibus, Contritione, Confessione, & Satisfactione copiose, & dilucide explicanda erunt.

Arist. in 2. Eth. cap. 3. Alex. de Ales 4. p. q. 84. mem. 2. art. 2.

78. Il-

78. Illi impendenda non eſt abſolutio, qui rem ablatam reſtituere non promittit.

Sed illud in primis a Sacerdotibus obſervari oportet, ut audita peccatorum Confeſſione, antequam pœnitentem a peccatis abſolvant, diligenter curent, ut ſi quid ille forte de re, aut de exiſtimatione proximi detraxerit, cujus peccati damnandus merito eſſe videatur, cumulata Satisfactione compenſet. Nemo enim abſolvendus eſt, niſi prius, quæ cujuſque fuerint, reſtituere polliceatur. At quoniam multi ſunt, quibus, etſi prolixe pollicentur, ſe officio ſatis eſſe facturos, tamen certum eſt, ac deliberatum nunquam promiſſa exolvere, omnino ii cogendi ſunt, ut reſtituant: ſæpeque illud Apoſtoli eis inculcandum eſt, ut (a) *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti.*

Alex. de Ales 4. pa. ſumma Theologiæ q. 86. & alii Theologi.

a) *Epheſ. 4. 28.*

79. Cujuſmodi ſatisfactio Pœnitenti ſit imponenda.

In irroganda autem Satisfactionis pœna Sacerdotes nihil ſibi ſuo arbitratu ſtatuendum eſſe, ſed omnia juſtitia, prudentia, & pietate dirigenda, exiſtimabunt. Atque ut hac regula peccata metiri videantur, & pœnitentes ſcelerum ſuorum gravitatem magis agnoſcant, operæ pretium erit eis interdum ſignificare, quæ pœnæ quibuſdam delictis, ex veterum Canonum præſcripto, qui Pœnitentiales vocantur, conſtitutæ ſint. Igitur univerſæ Satisfactionis modum culpæ ratio temperabit. Sed ex omni Satisfactionum genere maxime convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot, & defi-

Juxta peccatorum qualitatem imponenda Satisfactio. Trid. Syn. ſeſſ. 14. de Pœn. c. 8. & can. 15. & de Pœn. diſt. 3. c. Menſuram, & alia.

Veterum Canonum rigor ſubinde inculcandus. Vide, quæ tod. c. ſec. 66. notavimus.

Quæ Satisfactio præcipue imponenda.

nitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, & præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant. Hortari vero etiam eos oportet, ut sæpe eadem Satisfactionis opera a Sacerdote indicta ultro suscipiant, ac repetant; atque ita mores suos componant, ut iis omnibus, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent, diligenter absolutis, tamen virtutis Pœnitentiæ studia nunquam intermittant. Quod si interdum etiam ob publicam offensionem publica Pœnitentia præscribenda fuerit, quamvis eam pœnitens refugiat, ac deprecetur, non erit facile audiendus: verum persuadere ei oportebit, ut quæ tum sibi, tum aliis salutaria futura sunt, libenti, atque alacri animo suscipiat. Hæc de Pœnitentiæ Sacramento, singulisque ejus partibus ita docenda erunt, ut non solum ea fideles perfecte intelligant, sed etiam juvante Domino, re ipsa pie, & religiose præstare animum inducant.

Publicam Pœnitentiam deprecanti non mox acquiescendum est. Vide sect. 67.

DE

DE EXTREMÆ UNCTIONIS SACRAMENTO.

CAPUT VI.

1. Quare Paſtores animarum ſæpius apud populum de Extremæ Unctionis Sacramento agere debeant.

Cum ſancta Scripturarum oracula ita doceant, (a) *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*; tacite Parochi admonentur, nullum tempus prætermittendum eſſe fidelem populum cohortandi, ut in aſſidua mortis meditatione verſetur. Quoniam autem Extremæ Unctionis Sacramentum non poteſt ſupremi illius diei memoriam conjunctam non habere, facile intelligitur, ſæpe de eo agendum eſſe, non ſolum ob eam cauſam, quod illarum rerum myſteria, quæ ad ſalutem pertinent, aperire, & explicare maxime convenit; ſed etiam quia fideles, (b) moriendi neceſſitatem omnibus propoſitam eſſe, animo repetentes, pravas cupiditates coercebunt. Quare fiet, ut in ipſa mortis expectatione minus ſe perturbari ſentiant; ſed immortales Deo gratias agant, qui, ut Baptiſmi Sacramento aditum nobis ad veram vitam patefecit, ita etiam, ut ex hac mortali vita decedentes, expeditiorem ad cœlum viam haberemus, Extremæ Unctionis Sacramentum inſtituit.

Noviſſima ſæpe meditanda. Conſulatur ſectio poſtrema 7. art. Symb. Apoſt.

a) *Eccl. 7. 40. Deut. 32. 7. Pſal. 28. 10.*

Pſal. 88. 6.

b) *Rom. 5. 12. Heb. 9. 27.*

2. Quam

2. *Quam ob rem iſtud Sacramentum Extrema Unctio appelletur.*

Ut igitur quæ ad eam explicationem magis neceſſaria ſunt, eodem fere ordine, qui in aliis Sacramentis ſervatus eſt, exponantur; primum illud tradendum erit, hoc Sacramentum idcirco Extremam Unctionem appellatum eſſe, quod hæc omnium ſacrarum Unctionum, quas Dominus Salvator noſter Eccleſiæ ſuæ commendavit, ultimo adminiſtranda ſit. Quare hæc ipſa Unctio a majoribus noſtris Sacramentum etiam Unctionis infirmorum, & Sacramentum exeuntium dicta eſt: quibus vocabulis fideles in memoriam noviſſimi illius temporis facile redire poſſunt.

Vid. tit. de Sacr. Unct. in decretalibus.

3. *Quomodo Extremæ Unctioni propria Sacramenti ratio conveniat.*

Quod autem Extremæ Unctioni propria Sacramenti ratio conveniat, in primis explanandum eſt. Id vero maxime perſpicuum fieri poteſt, ſi verba, quibus ſanctus Jacobus Apoſtolus hujus Sacramenti legem promulgavit, attendamus. *Infirmatur quis in vobis*, (a) inquit, *inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Nam quod peccata condonari Apoſtolus affirmat, in eo declarat Sacramenti vim, & naturam. Hanc vero Catholicæ Eccleſiæ de Extrema Unctione perpetuam doctrinam fuiſſe, cum alia plura Concilia teſtantur, tum a Tridentina Synodo hoc ita declarutum eſt, ut in eos omnes anathematis pœnam conſtituerit, qui aliter docere, aut ſentire

Trid. Syn. ſeſſ. 14. de Ext. Unct.

a) *Jacob. 5. 14. Marc. 6. 13. Conc. Conſtant. Florent. Cabilonenſe ca. 48. Vormatienſe cap. 72.*

tire audeant. Ac Innocentius quoque I. hoc Sacramentum fidelibus maxime commendat. *Eug. cap. 8.*

4. Cum hic plures fiant Unctiones, an plura etiam ibidem dici Sacramenta debeant.

Conſtanter itaque docendum eſt a Paſtoribus, verum Sacramentum eſſe, nec plura, ſed unum, quamvis per plures Unctiones adminiſtretur, quarum ſingulis proprie preces, ac peculiaris forma adhibenda eſt. Unum vero eſt non partium continuatione, quæ dividi non poſſint, ſed perfectione: cujuſmodi ſunt cætera omnia, quæ ex pluribus rebus conſtant. Nam quemadmodum domus, quæ ex multis, & diverſis rebus compoſita eſt, una tantum forma perficitur: ita hoc Sacramentum, etſi ex pluribus rebus, & verbis conſtituitur, unum tamen ſignum eſt, & unius rei, quam ſignificat, efficientiam habet. Docebunt præterea Parochi, quæ ſint hujus Sacramenti partes, elementum, inquam, & verbum. Hæc enim a ſancto (b) Jacobo prætermiſſa non ſunt, in quibus ſingulis ſua myſteria licet animadvertere. *Vide Scot. 4. d. 23. ad 1. arg.* b) *Jacob. 5. 14.*

5. Quæ ſit Extremæ Unctionis materia.

Ejus igitur elementum, ſive materia, quemadmodum Concilia, ac præcipue Tridentinum, decrevere, eſt oleum ab Epiſcopo conſecratum, liquor ſcilicet, non ex quavis pingui, & craſſa materia, ſed ex olearum baccis tantummodo expreſſus. Aptiſſime autem hæc materia illud ſignificat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit: ita Sacramenti virtus animæ triſtitiam, ac dolorem minuit. Oleum præterea ſanitatem reſti- *Conc. Trid. ſeſſ. 14. de Sacram. Extr. Unctionis. c. 1. Amor. ſuper Beati immaculati, ſer. 14. Theolophilactus, Marc. 6.*

restituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quæ omnia, quid in ægroto divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant. Hæc de materia satis sint.

6. Qua forma perficiatur hoc Sacramentum.

Forma vero Sacramenti est verbum, & solemnis illa precatio, quam Sacerdos ad singulas Unctiones adhibet, cum inquit: *Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid oculorum, sive narium, sive tactus vitio deliquisti.* Quod autem hæc vera sit, & propria hujus Sacramenti forma, sanctus Jacobus Apostolus significat, cum ait: (a) *Et orent super eum, & oratio fidei salvabit infirmum.* Ex quo licet cognoscere, formam precationis modo proferendam esse, tametsi, quibus potissimum verbis concipienda sit, Apostolus non expresserit. Verum hoc ad nos fideli Patrum traditione permanavit, ita ut omnes Ecclesiæ eam formæ rationem retineant, qua omnium Mater, & Magistra sancta Ecclesia Romana utitur. Nam etsi aliqui nonnulla verba immutant, cum pro, *Indulgeat tibi Deus*, ponunt *Remittat*, vel *Parcat*; interdum etiam, *Sanet, quidquid commisisti:* tamen, quia nulla fit sententiæ immutatio, constat, eandem ab omnibus formam religiose servari.

Conc. Trid. ut supra.

a) *Jac. cap. 5. 15.*

Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra d. 12. c. Non decet. & de sum. Trin. c. Damnamus.

7. Cur hujus Sacramenti forma precationis modo contineatur.

Nec vero quisquam miretur, cur factum sit, ut aliorum Sacramentorum forma vel absolute significet, quod efficit, ut cum dicimus, *Ego te baptizo*, aut, *Signo te signo Crucis*, vel tanquam

Bonav. in 4. d. 23. a. 1. q. 4.

ab

ab imperantibus pronuncietur, ut cum in Sacramento Ordinis administrando dicitur, *Accipe potestatem:* hæc sola vero Extremæ Unctionis forma precatione quadam absolvatur. Id enim optimo jure constitutum est: nam cum hoc Sacramentum propterea adhibeatur, ut præter spiritualem gratiam, quam tribuit, sanitatem etiam restituat ægrotis: tamen, quia non semper sequitur, ut ægri a morbis convalescant, ob eam causam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti vis constanti & perpetuo ordine efficere non solet. Adhibentur autem ritus proprii in hujus quoque Sacramenti administratione: sed eorum maxima pars precationes continet, quibus Sacerdos ad ægroti salutem impetrandam utitur. Nullum enim est aliud Sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur: ac recte quidem, quoniam eo potissimum tempore fideles piis obsecrationibus adjuvandi sunt. Quare & alii omnes, quos tum adesse contigerit, & præcipue Parochi debent orare Deum ex animo, & ejus misericordiæ laborantis vitam, & salutem omni studio commendare.

Extrema Unctione non tantum animus, sed etiam corpus interdum curatur. Synod. Trid. sess. 14. de Extrema Unctione cap. 2. & can. 2.

Cur in hoc Sacramento tot preces adhibeantur.

8. Quinam hujus Sacramenti sit auctor.

Verum cum demonstratum sit, Extremam Unctionem vere, & proprie in Sacramentorum numero habendam esse, illud etiam sequitur, ejus institutionem a Christo Domino profectam esse: quæ postea a sancto (a) Jacobo Apostolo fidelibus proposita, & promulgata est. Quamquam idem Salvator hujus Unctionis specimen quoddam dedisse visus est, cum Discipulos suos binos, & binos ante faciem suam misit.

Trid. Syn. sess. ead. in Doct. de Sacr. Extremæ Unctionis cap. 1. & probat. D. Th. in 4. d. 23. art. 1. q. 3.

a) *Jacob. 5. 14.*

De

De illis enim apud Evangeliſtam ita ſcriptum eſt: (a) *Exeuntes prædicabant, ut Pœnitentiam agerent, & Dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*, quam quidem Unctionem non ab Apoſtolis inventam, ſed a Domino præceptam, non naturali aliqua virtute præditam, ſed myſticam, potius ad ſanandos animos, quam ad corpora curanda inſtitutam fuiſſe, credendum eſt. Quam rem ſancti Dionyſius, Ambroſius, Chryſoſtomus, & Gregorius Magnus aſſeruut; ut nullo modo dubitandum ſit, quin hoc unum ex ſeptem Catholicæ Eccleſiæ Sacramentis ſumma cum religione accipere oporteat.

a) *Marc.* 6. 13. *Extrem. Unctionis uſus Apoſtolis a Domino eſt imperatus. D. Bern. in vita Malach. Conc. Meld. cap.* 1.

Dionyſ. lib. de Eccl. Hierar. c. 6. *Ambr. de his qui myſteriis initiantur Coryſ. lib.* 3. *de Sacerdotio.*

9. Extrema Unctio quibus adminiſtranda ſit.

Sed docendi ſunt fideles, quamvis hoc Sacramentum ad omnes pertineat, quædam tamen hominum genera excipi, quibus adminiſtrandum non ſit. Ac primum excipiuntur, qui ſano, & firmo corpore ſunt. Iis enim Extremam Unctionem tribuendam non eſſe, & Apoſtolus docet, cum inquit, (b) *Infirmatur quis in vobis?* & ratio oſtendit: ſiquidem ob eam rem inſtituta eſt, non modo ut animæ, ſed etiam ut corpori medicinam afferat. Cum igitur illi tantum, qui morbo laborant, curatione indigeant, idcirco iis etiam, qui adeo periculoſe ægrotare videntur, ut, ne ſupremus illius vitæ dies inſtet, metuendum ſit, hoc Sacramentum præberi debet. In quo tamen graviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim, ad uberiorem Sacramenti gra-

Primo firmi, & ſani excluduntur. D. Th. in 4. *d.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *qu.* 1.

b) *Jacob.* 5. 14.

gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, & religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur. Quare Parochis animadvertendum est, ut eo potissimum tempore cœlestem medicinam adhibeant, illam quidem semper vi sua admodum salutarem, cum eorum etiam pietate, & religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerint.

Sano periculum mortis adeunti non detur Extrema Unctio.

Nemini igitur, qui gravi morbo affectus non sit, Sacramentum Unctionis dare licet, tametsi vitæ periculum adeat, vel quia periculosam navigationem paret, vel quia prælium initurus sit, a quo illi certa mors impendeat, vel etiam si capitis damnatus ad supplicium raperetur. Omnes præterea, qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt: & pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare hujus Sacramenti remedio opus sit: amentes item, & furiosi, nisi interdum rationis usum haberent, & eo potissimum tempore pii animi significationem darent, peterentque, ut sacro oleo ungerentur, nam qui ab ipso ortu nunquam mentis, & rationis compos fuit, ungendus non est: secus vero, si ægrotus, cum mente adhuc integra hujus Sacramenti particeps fieri voluisset, postea in insaniam, & furorem incidit.

Secundo pueri, & insani non sunt inungendi Bon. Card. in 4 dist. 22. art. 2. q. 2.

10. Quæ corporis partes hic debeant inungi.

Trid. Syn. de Extrema Unctione sess. 14. c. 3. & can. 3.

Non sunt autem omnes corporis partes ungendæ, sed eæ tantum, quas veluti sensuum instrumenta natura homini attribuit; oculi propter visionem, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, vel

sermonem, manus propter tactum, qui tametsi toto corpore æquabiliter fusus est, in ea tamen parte maxime viget. Hunc autem ungendi ritum universalis Ecclesia retinet, atque etiam hujus Sacramenti naturæ optime convenit; medicamenti enim est instar. Ac quoniam in corporis morbis, quamvis universum corpus male affectum sit, tamen illi tantum parti curatio adhibetur, a qua tanquam a fonte, & origine, morbus manat; idcirco non totum corpus, sed ea membra, in quibus potissimum sentiendi vis eminet, renes etiam, veluti libidinis, & voluptatis sedes, unguntur, tum pedes, qui nobis ingressus, & ad locum movendi principium sunt.

Scot. 4. sent. dist. 23. quæst. unica.

11. Extrema Unctio iterari potest.

In quibus illud observari oportet, in una, eademque ægrotatione, cum æger in eodem vitæ periculo positus est, semel tantum ungendum esse. Quod si post susceptam hanc Unctionem æger convaluerit, quoties postea in id vitæ discrimen inciderit, toties ejusdem Sacramenti subsidium ei poterit adhiberi. Ex quo patet, in eorum Sacramentorum numero, quæ iterari solent, reponendam esse.

In una, eademque, ægrotatione non est iteranda Unctio. D. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art. 4.

12. Qua religione, & præparatione debeat istud Sacramentum suscipi.

Quoniam vero omni studio curare oportet, ne quid Sacramenti gratiam impediat, ei vero nihil magis adversatur, quam alicujus peccati mortiferi conscientia; servanda est Catholicæ Ecclesiæ perpetua consuetudo, ut ante Extremam Unctionem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum administretur.

Primo Unctionem præcat Eucharistiæ, & Pœnitentiæ Sacramentum.

Ac

Ac deinde ægroto Parochi perſuadere ſtudeant, ut ea fide ſe ungendum Sacerdoti præbeat, qua olim qui ab Apoſtolis ſanandi erant, ſe ipſos offerre conſueverant. In primis autem animæ ſalus, deinde corporis valetudo, cum illa adjunctione, ſi ea ad æternam gloriam profutura ſit, expetenda eſt. Nec vero dubitare fideles debent, quin ſanctæ illæ, & ſolemnes preces a Deo audiantur, quibus ſacerdos non ſuam, ſed Eccleſiæ, & Domini noſtri Jeſu Chriſti perſonam gerens utitur. Qua una maxime re cohortandi ſunt, ut hujus ſaluberrimi olei Sacramentum ſancte, & religioſe ſibi adminiſtrandum curent, cum & acrior pugna inſtare, & vires cum animi, tum corporis deficere videantur.

Secundo eſt firma fide ſuſcipienda.

Tertio tempeſtive eſt adhibenda.

13. Quo miniſtrante hoc Sacramentum percipiendum ſit.

Jam vero, quis Extremæ Unctionis miniſter ſit, ab eodem Apoſtolo, qui Domini Legem promulgavit, didicimus. Inquit enim, (a) *Inducat Presbyteros:* quo nomine non eos ſignificat, qui ætate provectiores ſunt, quemadmodum ſapienter Trident. Synodus exponit, aut qui in populo principem locum obtinent, ſed Sacerdotes, qui ab ipſis Epiſcopis per manuum impoſitionem rite ordinati ſunt. Sacerdoti igitur hujus Sacramenti adminiſtratio commiſſa eſt. Neque tamen ex ſanctæ Eccleſiæ decreto cuivis Sacerdoti, ſed proprio Paſtori, qui juriſdictionem habeat, ſive alteri, cui ille ejus muneris fungendi poteſtatem fecerit, hoc Sacramentum adminiſtrare licet. Illud vero maxime animadvertendum eſt, Sacerdotem in

a) *Jac. 5. 14. Trid. Syn. ſeſſ. 14. de Extrema Unctio. c. 3. & can. 4. vide item D. Thom. in 4. d. 23. q. 1. art. 2. Bonav. in 4. diſt. 23. art. 2. q. 1.*

ea administratione, quemadmodum etiam in aliis Sacramentis fit, Christi Domini nostri, & sanctæ Ecclesiæ ejus sponsæ personam sustinere.

14. Qui fructus hujus Sacramenti usu ad homines redeant.

Trid. Synod. ib. cap. 2. Prima utilitas est, quod peccata venialia deleat. Vide Conc. Trid. s. 2. de Extrem. Unct. & can. 2. sess. 14.

Explicandæ sunt etiam accuratius utilitates, quas ex hoc Sacramento capimus, ut si nihil aliud fideles ad ejus usum possit allicere, ipsa saltem utilitate ducantur, cum ita comparatum sit, ut omnia fere nostris commodis metiamur. Docebunt igitur Pastores, hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis quidem leviora, & ut, communi nomine appellantur, venialia remittit. Exitiales enim culpæ Pœnitentiæ Sacramento tolluntur. Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed Baptismus tantum, & Pœnitentia vi sua hoc efficiunt.

Secundo animum confirmat. Quo tempore hoc Sacramentum sit suscipiendum. Trid. Syn. ibid. cap. 3.

Altera est sacræ Unctionis utilitas, quod animam a languore, & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, & a cæteris omnibus peccati reliquiis liberat. Tempus autem huic curationi opportunissimum existimandum est, cum gravi morbo afflictamur, & vitæ periculum impendet, Etenim homini natura insitum est, ut nihil in rebus humanis æque, ac mortem pertimescat. Auget autem magnopere hunc timorem præteritorum scelerum memoria: cum præsertim gravissima conscientiæ nostræ accusatio nos urgeat. Ut enim scriptum est, (a) *venient in peccatorum suorum cogitationem timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.*

a) Sap. 4. 20.

Dein-

Deinde illa cura, & cogitatio vehementer angit, quod paulo poſt (a) ſtare oporteat ante Tribunal Dei, a quo de nobis juſtiſſima pro eo, ac meriti fuerimus, ſententia ferenda ſit. Sæpe autem evenit, ut fideles hoc terrore perculſi, ſe miris modis exagitari ſentiant. Nihil autem ad mortis tranquillitatem magis conducit, quam ſi triſtitiam abjiciamus, & læto animo (b) Domini adventum expectemus, paratique ſimus, (c) depoſitum noſtrum, quandocunque illud a nobis repetere voluerit, libenter reddere. Ut igitur hac ſollicitudine fidelium mentes liberentur, animuſque pio, & ſancto gaudio repleatur, Extremæ Unctionis Sacramentum efficit.

a) *Rom.* 14. 10. 2. *Cor.* 5. 10.

b) *Tit.* 2. 13.

c) 2. *Tim.* 1. 12

15. Quomodo in animæ exitu Dæmones nobis inſidientur.

Præterea aliud etiam, quod merito omnium maximum videri poteſt, ex eo conſequimur. Nam etſi humani generis Hoſtis, (d) quoad vivimus, nunquam deſinit de interitu, & exitio noſtro cogitare: nullo tamen tempore, ut nos omnino perdat, ac, ſi fieri poſſit, ſpem nobis divinæ miſericordiæ eripiat, vehementius omnes nervos contendit, quam cum ſupremum vitæ diem appropinquare animadvertit. Quamobrem fidelibus arma, & vires hoc Sacramento ſubminiſtrantur, quibus Adverſarii vim, & impetum frangere, & illi fortiter repugnare poſſint. Allevatur enim, & erigitur ægri animus divinæ bonitatis ſpe; eaque confirmatus morbi incommoda omnia fert levius, ac ipſius Dæmonis (e) calcaneo inſidiantis artificium, & calliditatem facilius eludit.

d) 1. *Petr.* 5. 8. *Tertio adverſus Diaboli inſultus nos muuit. vide Cyril. Alex. in lib. de exitu animæ. Greg. lib.* 24. *mor. c.* 17. *&* 18. *Joan. Clim. in lib. de* 30. *gradib. gratiæ.*

e) *Gen.* 3. 15. *Pſal.* 48. *&* 15.

16. Quomodo ex hoc Sacramento possit corporis sanitas accedere.

Quarto sanitas corporis, si ita expediat redditur.

Accedit postremo, si quidem profutura sit, etiam corporis sanitas. Quod si ægroti eo tempore eam minus consequuntur, id quidem non Sacramenti vitio, sed ob eam potius causam evenire credendum est, quod eorum magna pars, vel qui sacro oleo perunguntur, vel a quibus administratur, fides infirmior est; testatur enim (a) Evangelista, Dominum apud suos multas virtutes non fecisse propter incredulitatem illorum. Quanquam etiam recte dici potest, Christianam Religionem, ex quo altius tanquam radices egit in animis hominum, minus jam hujusmodi miraculorum adminiculis indigere, quam olim nascentis Ecclesiæ initio necessaria esse viderentur. Sed tamen hoc loco fides magnopere excitanda erit. Utcunque enim, quod ad corporis valetudinem attinet, Dei consilio, & voluntate ceciderit, certa spe niti fideles debent, se hujus sacri olei virtute spiritualem sanitatem consecuturos esse; futurumque, ut, si eos vita decedere contingat, præclaræ illius vocis fructum percipiant, qua scriptum est (b) *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Hæc de Extremæ Unctionis Sacramento breviter quidem dicta sunt: verum, si hæc ipsa rerum capita a Pastoribus latius: & ea, qua decet, diligentia explanata erunt, dubitandum non est, quin fideles ex hac doctrina maximum pietatis fructum percipiant.

a) *Matt.* 13. 58 *Marc.* 6. 7. *Greg. hom.* 29. *in Evangelia.*

Fides, & spes ægrotantium hoc Sacramento susceptio est erigenda.

b) *Apoc.* 14. 13.

DE

DE ORDINIS SACRAMENTO.

CAPUT VII.

1. Cur Parochi magna diligentia Sacramenti Ordinis doctrinam populo exponere debeant.

Si quis aliorum Sacramentorum naturam, & rationem diligenter consideraverit, facile perspiciet, ea omnia ab Ordinis Sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici, & administrari nullo modo queant, partim solemni cæremonia, & religioso quodam ritu, ac cultu carere videantur. Quare necesse est, ut Pastores, institutam Sacramentorum doctrinam persequentes, eo diligentius etiam de Ordinis Sacramento sibi agendum arbitrentur. *Omnia alia Sacramenta ab Ordinis Sacramento pendent.*

Proderit autem maxime hæc explicatio, primum quidem illis ipsis, deinde aliis, qui Ecclesiasticæ vitæ rationem ingressi sunt, postremo etiam fideli populo: ipsis, quod dum in hujus argumenti tractatione versantur, (a) ad eam gratiam excitandam, quam hoc Sacramento adepti sunt, magis commoventur: aliis, qui in sortem Domini vocati sunt; partim ut eodem pietatis studio afficiantur, partim vero ut earum rerum cognitionem percipiant, quibus instructi viam sibi ad ulteriores gradus facilius munire possint: reliquis autem fidelibus, primum quidem ut intelligant, quo honore digni sint Ecclesiæ ministri: deinde, quoniam sæpe contingit, ut multi adsint, vel qui spe li- *Utilitas doctrinæ de Ordinis Sacramento.*

a) 2. *Tim.* 1. 7.

beros ſuos adhuc infantes Eccleſiæ miniſterio deſtinarint, vel qui ſua ſponte, & voluntate illud vitæ genus ſequi velint, quos certe minime ignorare æquum eſt, quæ præcipue ad hanc rationem pertinent.

2. Nulla dignitas Sacerdotii Ordine in terris excellentior.

Vide Ignatium in Epiſtol. ad Smyr. Ambr. lib. 5. ep. 32. Chryſ. hom. 60. ad pop. Antioch. & in Matth. homil. 83. Greg. Naz. or. 17. ad ſuos cives Nazian. Exod. c. 22. 28.

Primum itaque fidelibus tradendum eſt, quanta ſit hujus inſtituti, ſi ſummum ejus gradum, hoc eſt Sacerdotium ſpectemus : nobilitas, & excellentia. Nam cum Epiſcopi, & Sacerdotes tanquam Dei interpretes, & internuncii quidam ſint, qui ejus nomine divinam Legem, & vitæ præcepta homines edocent, & ipſius Dei perſonam in terris gerunt; perſpicuum eſt, eam eſſe illorum functionem, qua nulla major excogitari poſſit. Quare merito non ſolum (a) Angeli, ſed (b) Dii etiam, quod Dei immortalis vim, & Numen apud nos teneant, appellantur. Quamvis autem omni tempore ſummam dignitatem obtinuerint, tamen novi Teſtamenti Sacerdotes cæteris omnibus honore longe antecellunt. Poteſtas enim tum corpus, & ſanguinem Domini noſtri conficiendi, & offerendi, tum peccata remittendi, quæ illis collata eſt, humanam quoque rationem, atque intelligentiam ſuperat, ne dum ei aliquid par, & ſimile in terris inveniri queat.

a) *Malach. 7.*
b) *Ex. 22. 28.*

3. Qui divinitus ad Sacerdotium, miniſteriaque Eccleſiaſtica vocati cenſeantur.

c) *Joan. 3. 17. & 5. 23. 24.*
d) *Joan. 20. 21. Matth. 28. 19.*

Deinde vero, quemadmodum (c) Salvator noſter a Patre, (d) Apoſtoli autem, & Diſcipuli in univerſum mundum a Chriſto Domino miſ-

missi sunt: ita quotidie Sacerdotes eadem, qua illi potestate præditi, (a) ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi mittuntur. Hujus igitur tanti officii onus nemini temere imponendum est, sed iis tantum, qui illud vitæ sanctitate, doctrina, fide, prudentia sustinere possint, (b) Nec vero *quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Vocari autem a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiæ Ministris vocantur. Nam qui in hoc ministerium seipsos arroganter inferunt, atque intrudunt, de his Dominum intellexisse docendum est, cum inquit, (c) *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant:* quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miserius, nihil Ecclesiæ Dei calamitosius esse potest.

a) *Eph.* 4. 14. *Quales deligendi ad Sacerdotium, latius tractatur sect.* 26. *istius capitis. Trid. Syn. sess.* 23. *de Ordine c.* 3. *& can.* 7.

b) *Heb.* 5. 4. *vide* 2. *Paral.* 26. 16 *Vocari a Deo qui dicantur.*

c) *Jer.* 23. 21. *Vide eiusdem cap.* 14. 14. *&* 27. 15. *& cap.* 29. 9.

4. Quinam judicandi sint perperam ad Ordines sacros accedere, & aliunde in Ecclesiam ingredi.

Sed quoniam in omni actione suscipienda magnopere refert, quem sibi quisque finem constituat, (optimo enim fine posito, recte omnia consequuntur) de hoc in primis, qui sacris initiari volunt, admonendi sunt, ut nihil sibi tanto munere indignum proponant: qui quidem locus eo diligentius tractandus erit, quo gravius hoc tempore ea in re peccare fideles solent. Alii enim eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut quæ ad victum, vestitumque necessaria sunt, parent; ita ut præter quæstum nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgo cæteri homines in quovis sordidi artificii genere, spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli senten-

Quanta circumspectione ad sacros Ordines accedendum. Quastus causa ad Sacerdotium aspirare sacrilegium est.

a) 1. Cor. 9. 9. 10. 11. Deut. 18. 1. 2. c. 25. 4.

b) 1. Tim. 3. 8. *Honorum, aut divitiarum spe ad Sacerdotium proceare perniciosissimum est.*

tia, (a) natura, & divina Lex jubeat, ut qui altari servit, ex altari vivat; tamen (b) quæstus, & lucri causa ad altare accedere maximum sacrilegium est. Alios honorum cupiditas, & ambitio ad Sacerdotalem Ordinem ducit. Alii vero, ut divitiis affluant, initiari volunt; cujus quidem rei illud argumento est, quod nisi opulentum aliquod Ecclesiasticum Beneficium eis deferatur, nullam Sacri Ordinis cogitationem habent. Hi vero sunt, quos Salvator noster (c) Mercenarios appellat: & quos (d) Ezechiel dicebat, semetipsos, & non oves pascere: quorum turpitudo, & improbitas non solum Sacerdotali Ordini magnas tenebras offundit, ita ut jam nihil fere a fideli populo haberi possit contemptius, & abjectius; verum etiam efficit, ut ipsi nihil amplius ex Sacerdotio consequantur, quam Judas ex Apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit. Illi autem (e) ostio in Ecclesiam introire merito dicuntur, qui a Deo legitime vocati, Ecclesiastica munera ejus unius rei causa suscipiunt, ut Dei honori inserviant.

c) Jo. 10. 12.

d) Ezech. 34. 8. *Ambitione, & avaritia eorum, qui vere sunt mercenarii quantum evilescit Sacerdotium.*

e) Joan. 10. 12. *Qui ad Ecclesiasticas functiones per ostium adeant.*

5. Qui per Ordines Sacros se Ecclesiæ dedicarunt, qua parte cæteros e populo superare, & excellere debeant.

Grandis infelicitas, si talis fuerit Sacerdos, qualis populus, Oseæ 4.

Neque tamen hoc ita accipiendum est, quasi eadem Lex æque omnibus non sit imposita. Homines enim ob eam rem conditi sunt, ut Deum colant: quod præcipue fideles, qui Baptismi gratiam consequuti sunt, (f) ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus præstare debent. Verum qui Ordinis Sacramento initiari volunt, hoc sibi proponant opus est,

f) Deut. 7. 5. Matth. 22. 37. Luc. 10. 27.

ut

ut non ſolum Dei gloriam in omnibus rebus quærant (quod quidem cum omnibus, tum maxime fidelibus commune eſſe conſtat) ſed etiam, ut alicui certo Eccleſiæ miniſterio addicti, (a) in ſanctitate, & juſtitia illi ſerviant. Nam ut in exercitu omnes quidem milites Imperatoris legibus parent, ſed inter eos tamen alius Centurio, alius Præfectus eſt, alii alia munera obeunt: ita quamvis omnes fideles pietatem, & innocentiam omni ſtudio ſectari debeant (quibus rebus maxime Deus colitur) eos tamen, qui Ordinis Sacramento initiati, præcipua quædam munera, & functiones in Eccleſia exequi oportet. Nam (b) & ſacra pro ſe ipſis, & pro omni populo faciunt: & (c) divinæ Legis vim tradunt, ad eamque prompto, & alacri animo ſervandam fideles hortantur, & inſtituunt: (d) & Chriſti Domini Sacramenta, quibus omnis gratia impertitur, & augetur, adminiſtrant: &, ut uno verbo complectamur, a reliquo populo ſegregati, in omnium longe maximo, & præſtantiſſimo miniſterio ſe exercent. His igitur explicatis, accedant Parochi ad ea explicanda, quæ propria hujus Sacramenti ſunt; ut intelligant fideles, qui in Eccleſiaſticum Ordinem cooptari volunt, ad quodnam officii genus vocentur, quantaque ipſi Eccleſiæ, ejuſque miniſtris poteſtas divinitus tributa ſit.

a) *Luc.* 1. 74. 75

b) *Hebr.* 5. 3.

c) *Lev.* 10. 11. *Deut.* 17. 8. 9. & 21. 6. *Vid. Conc. Tol.* 11. *c.* 2. & *Carth.* 4. *c.* 20. & *Conc. Trid. ſeſſ.* 5. *c.* 2. *de refor.* & *ſeſſ.* 24. *cap.* 4.

d) 1. *Cor.* 4. 1.

6. Quotuplex ſit poteſtas Eccleſiaſtica.

Ea autem duplex eſt, Ordinis, & Jurisdictionis. Ordinis poteſtas ad verum Chriſti Domini corpus in ſacroſancta Euchariſtia refertur: Jurisdictionis vero poteſtas tota in Chriſti corpore myſtico verſatur. Ad eam enim

Conc. Trid. ſeſſ. 24. *c.* 6. & 7.

ſpe-

ſpectat Chriſtianum populum gubernare, & moderari, & ad æternam, cœleſtemque beatitudinem dirigere.

7. Ordinis poteſtas ad quæ ſe extendat.

D. Thom. in 4. diſt. 24. q. 1. a. 1. Verum Ordinis poteſtas non ſolum conſecrandæ Euchariſtiæ vim, & poteſtatem continet, ſed ad eam accipiendam hominum animos præparat, & idoneos reddit, cæteraque omnia complectitur, quæ ad Euchariſtiam quovis modo referri poſſunt. Ejus vero plura ex ſacris Literis teſtimonia afferri poſſunt: ſed illa præclara, & graviſſima ſunt, quæ apud ſanctos Joannem, & Matthæum leguntur. Inquit enim Dominus, (a) *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et: (b) *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Quæ quidem loca a Paſtoribus ex ſanctorum Patrum doctrina, & auctoritate explanata, maximum veritati lumen afferre poterunt.

a) Joan. 20. 21. Act. 13. 3. & 14. 21. 1. Tim. 2. 7. 2. Tim. 1. 2. Hebr. 13. 7.

b) Matt. 18. 18

8. Chriſti Sacerdotium Legis naturæ, vel etiam Moyſis Sacerdotio ſublimius eſt.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. Ubi eſt lex, ibi & Sacerdotium. Seſſ. 23. Trid. Syn. de Ordin. cap. 1. Hæc autem poteſtas plurimum illi præſtat, quæ in naturæ Lege certis hominibus, qui res ſacras curarent, tributa eſt. Nam & illa ætas, quæ ſcriptam Legem anteceſſit, ſuum Sacerdotium, ſuamque ſpiritualem poteſtatem habuerit, neceſſe eſt, cum Legem habuiſſe ſatis conſtet. Hæc duo enim ita conjuncta eſſe teſtatur Apoſtolus, (c) ut eorum altero translato, ſimul etiam alterum transferri neceſſe ſit.

c) Hebr. 7. 12. Abel fuit Sacerdos, omneſque

Cum

Cum igitur naturali inſtinctu homines agnoſcerent, Deum colendum eſſe, conſequens erat, ut in quavis Republica aliqui ſacrorum, & divini cultus procurationi præficerentur, quorum poteſtas aliquo modo ſpiritualis diceretur. *primogenitos fuiſſe Sacerdotes, ſcribit Hieron. in Tradit. hebr.*

Eadem etiam poteſtate populus Iſraeliticus non caruit: quæ tametſi dignitate ſuperior fuit, quam illa, qua in lege naturæ Sacerdotes præditi erant, (a) longe tamen inferior, quam Legis Evangelicæ ſpiritualis poteſtas exiſtimanda eſt. Hæc enim cœleſtis eſt, omnemque Angelorum etiam virtutem ſupererat: neque a Sacerdotio Moſaico, ſed a Chriſto Domino, (b) qui non ſecundum Aaron Sacerdos fuit, ſed ſecundum Ordinem Melchiſedech, ortum habet. Is enim, qui ſumma poteſtate gratiam tribuendi, & peccata remittendi præditus fuit, hanc poteſtatem, quamvis virtute definitam, & Sacramentis adſtrictam, Eccleſiæ ſuæ reliquit. Quare ad eam exercendam certi miniſtri inſtituti ſunt, & ſolemni religione conſecrati: quæ quidem Conſecratio Ordinis Sacramentum, vel ſacra Ordinatio vocatur.

a) *Hebr.* 8. 11.

b) *Pſal.* 109. 4. *Hebr.* 5. & 7. 17.

9. *Quid ſit Ordo, & cur functio Eccleſiaſtica Ordo vocetur.*

Placuit autem ſanctis Patribus hoc vocabulo uti, quod latiſſimam ſignificationem habet, ut dignitatem, & excellentiam miniſtrorum Dei indicarent. Eſt enim Ordo, ſi propriam ejus vim, & notitiam accipiamus diſpoſitio ſuperiorum, & inferiorum rerum, quæ inter ſe ita aptæ ſunt, ut una ad alteram referatur. Cum itaque in hoc miniſterio multi ſint gradus, & variæ functiones, omnia vero certa ratione diſtri- *Similem definitionem Ordinis habet Aug. in lib. 19. Civ. Dei c. 13.*

distributa sint, & collocata ; recte & commode Ordinis nomen ei impositum videtur.

10. Ordo veri nominis est Sacramentum.

Conc. Trid. sess. 23. de Ordine c. 1. & c. 3. & 4. & 5.

Quod autem inter cætera Ecclesiæ Sacramenta sacra Ordinatio numeranda sit, sancta Tridentina Synodus ratione illa, quæ sæpius repetita est, comprobavit. Nam cum Sacramentum sit rei sacræ signum, id vero quod Consecratione extrinsecus fit, gratiam, & potestatem significet, quæ illi tribuitur, qui consecratur ; omnino sequi perspicuum est, Ordinem vere, ac proprie Sacramentum dicendum esse. Quare Episcopus ei calicem cum vino, & aqua, & patenam cum pane porrigens, qui Sacerdos ordinatur, inquit : *Accipe potestatem offerendi Sacrificium*, &c. quibus verbis semper docuit Ecclesia, dum materia exhibetur, potestatem consecrandæ Eucharistiæ, charactere animo impresso, tradi, cui gratia adjuncta sit, ad illud munus rite, & legitime obeundum.

a) 2. *Tim.* 1. 6. *Vide Theoph. In eundem locum.*

Quod Apostolus his verbis declarat : (a) *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum ; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.*

11. Quare in Ecclesia plures sint instituti ministrorum Ordines.

Trid. Syn. de Ordin. can. 2. 6.

Jam vero, ut sacræ Synodi verbis utamur, cum divina res sit tanti Sacerdotii administratio, consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures essent, & diversi ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, atque hi quidem ita distributi,

buti, ut qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent.

12. Quot ſint Ordines miniſtrorum Eccleſiæ, quaque ratione communiter diſtribuantur.

Docendum igitur erit, hoſce omnes Ordines ſeptenario numero contineri, ſemperque ita a Catholica Eccleſia traditum eſſe; quorum nomina hæc ſunt, Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos. Hunc autem miniſtrorum numerum recte ita definitum eſſe, probari poteſt propter ea miniſteria, quæ ad ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, & Euchariſtiam vel conficiendam, vel adminiſtrandam, cujus cauſa præcipue ſunt inſtituta, neceſſaria videntur. Ex his alii majores, qui etiam ſacri dicuntur, alii minores ſunt. Majores, vel ſacri ſunt, Ordo Sacerdotalis, Diaconatus, & Subdiaconatus: ad minores referuntur Acolyti, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii: de quorum ſingulis pauca dicenda ſunt, ut habeant Paſtores, unde eos potiſſimum inſtituant, quos noverint aliquo Ordine initiandos eſſe.

Functio omnis Eccleſiaſtica, qua ſacra Ordinatione inſtituitur, ſeptenario numero concluditur. Horum Ordinum meminerunt Dion. lib. Hier. Eccl. c. 3. Conc. Carth. IV. c. 6. Ign. in Ep. ad Ant. Caius P. in ſua Epiſt. Conc. Roman. ſub Sylveſtro, & al. Quomodo hæc Ordinum ſufficientia colligatur, vide D. Bonav. 4. diſt. 24. art. 2. qu. 4. Hier. Ep. 2. ad Nep. & habetur 12 q. 1. c. Clericus.

13. Quid clericalis Tonſura, Clericique nomen ſibi velint.

Incipiendum eſt autem a prima Tonſura, quam quidem docere oportet quandam præparationem eſſe ad Ordines accipiendos. Ut enim homines ad Baptiſmum Exorciſmis, ad Matrimonium ſponſalibus præparari ſolent: ita, cum tonſo capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur. Declaratur enim, qualis eſſe debeat, qui ſacris imbui cupit. Nam Clerici nomen, quod

Quam integra debeat eſſe Clericorum vita, diſerte oſtenditur ſeſſ. 14. Concil. Trid. decr. de refor. in præmio, & ſeſſ. 22. de reform. c. 1.

ei

ei primum tunc imponitur, ab eo deductum est, quod Dominum sortem, & hæreditatem suam habere incipiat; veluti qui in Hebræorum populo, divino cultui mancipati erant; quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partem in terra Promissionis distribui, cum inquit, (a) *Ego pars, & hæreditas tua.* Ac quamvis omnibus fidelibus id commune sit, præcipua tamen ratione iis conveniat necesse est, qui se Dei ministerio consecrarunt.

a) *Num.* 18. 20. *Deut.* 10. 9. & 18. 2.

14. Quare Clerici rotunda corona in capite insigniantur.

Quod Clericorum capita tondeantur, ex Apostolica traditione manavit.

Tondentur vero capilli ad coronæ speciem, & similitudinem, quam perpetuo conservare oportet; &, ut quisque in altiori deinceps Ordinis gradu collocatur, sic ejus orbis forma latior circumscribi debet. Quod quidem ex Apostolorum traditione acceptum esse docet Ecclesia; cum de hujusmodi tondendi more sancti Dionysius Areopagita, Augustinus, Hieronymus, vetustissimi, & gravissimi Patres meminerint.

Dionys. de Eccl. Hier. c. 10.

Primum autem omnium ferunt Apostolorum Principem eam consuetudinem induxisse ad memoriam coronæ, quæ ex spinis contexta Salvatoris nostri capiti fuit imposita; ut quod impii ad Christi ignominiam, & cruciatum excogitarunt, eo Apostoli ad decus, & gloriam uterentur, simulque significarent, curandum esse a ministris Ecclesiæ, ut omnibus in rebus Christi Domini nostri speciem, & figuram gerant.

Quamquam nonnulli asserant, hac nota regiam dignitatem declarari, quæ iis maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, videtur convenire. Quod enim Petrus Apostolus fideli popu-

populo tribuit, (a) *Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta*, peculiari quadam, & magis propria ratione ad Ecclesiasticos ministros pertinere facile intelligimus. a) 1. Petr. 2. 9.

Etsi non desunt, qui vel perfectioris vitæ professionem a Clericis susceptam circuli figura, quæ omnium perfectissima est, significari existiment; vel externarum rerum contemptionem, animique ab omnibus humanis curis vacuitatem declarari putent, quod capilli, supervacaneum quidam, in corpore tondeantur. *Arist. 3. Physic. text. 75.*

15. Quæ sit Ostiariorum functio.

Post primam Tonsuram ad Ostiarii Ordinem primus gradus fieri consuevit. Ejus munus est, Templi claves, & januam custodire, & aditu Templi arcere eos, quibus ingredi interdictum erat. Ad sanctum etiam Missæ Sacrificium assistebat, curaturus, ne quis propius, quam par esset, ad sacram aram accederet, & Sacerdotem rem divinam facientem interpellaret. Alia etiam ministeria illi commissa erant, ut ex ritibus, qui in ejus Consecratione adhibentur, perspici potest. Nam Episcopus claves ex altari acceptas ei tradens, quem Ostiarium vult constituere, *Sic age*, inquit, *quasi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Magnam autem in antiqua Ecclesia hujus Ordinis dignitatem fuisse, ex eo intelligitur, quod his temporibus in Ecclesia servari animadvertimus. Nam Thesaurarii officium, qui erat idem Sacrarii custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter honestiores Ecclesiæ functiones etiam nunc habetur. *De hoc munere agit Concil. Tol. c. 9. & habetur dist. 23. c. Ostiarius.* *Quanta dignitas Ostiariorum. Thesaurarii, & custodes Sacrarii inter Ostiarios sunt enumerandi. De hoc munere vide locos supra citatos.*

16. Quodnam sit in Ecclesia Lectoris officium.

Quomodo autem fuerit Ordo Lectorum, vel unus Arsenius D. Athanasii Lector, e quo tam multa Ecclesiastici historiographi scribunt, docere potest. Sed iis etiam antiquiores. Cyp. Ep. 33. & Tert. de præscript. c. 61. Lectorum meminerunt. De iisdem agunt auctores supra memorati.

Secundus Ordinis gradus est Lectoris munus. Ad cum pertinet in Ecclesia veteris, & novi Testamenti libros clara voce, & distincta recitare, præsertim vero eos, qui inter nocturnam Psalmodiam legi solent. Ejus quoque partes erant, prima Christianæ Religionis rudimenta fidelibus tradere. Episcopus itaque præsente populo in ejus Ordinatione librum quo descripta sunt, quæ ad hanc functionem pertinent, illi tradens, inquit: *Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, & utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene ministrarunt ab initio.*

17. Exorcistis quid ex officio incumbat.

Petrus item, qui cum Marcellino sub Diocletiano passus est, ab hoc munere Exorcista dictus est. Idem, qui sup. & Cyp. Ep. 55. eius gradus meminerunt.

Tertius Ordo est Exorcistarum, quibus potestas data est nomen Domini invocandi in eos, qui ab immundis Spiritibus obsidentur. Quare Episcopus, cum eos instituit, librum, in quo Exorcismi continentur, eis porrigit, usus ea formula verborum: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem manus imponendi super Energumenos, sive Baptizatos, sive Catechumenos.*

18. Quæ sint Acolyti partes.

Quidam autem ex veteribus vocant eos Acolytos, quasi Latine dicas, non prohibitos: alii vocant Acolythos, quasi pedissequos aliorum maiorum ministrorum.

Acolytorum quartus est gradus, & ultimus eorum omnium, qui minores, & non sacri appellantur. Eorum munus est ministros majores, Subdiaconos, & Diaconos in altaris ministerio assectari, eisque operam dare. Præterea lumina deferunt, & asservant, cum Missæ Sacrificium celebratur, præcipue vero cum Evangelium legitur: ex quo & Ceroferarii alio nomine vocati sunt. Cum itaque ordinantur,

hic

hic ritus ab Episcopo servari consuevit. Primum quidem, postquam eos officii sui diligenter admonuit, lumina eorum singulis tradit in hunc modum: *Accipe ceroferarium cum cereo, & scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini:* deinde item urceolos vacuos, quibus aqua, & vinum in Sacrificio ministratur: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.*

19. Quodnam sit Subdiaconi ministerium, ac cujusmodi ritus in ejus Consecratione adhibeantur.

A minoribus Ordinibus, iisdemque non sacris, de quibus hactenus dictum est, ad majores, & sacros legitimus aditus, & ascensus patet. In eorum primo gradu Subdiaconus collocatur, cujus munus est, ut nomen ipsum declarat, Diacono ad altare inservire. Sacra enim lintea, vasa, panem, & vinum, ad Sacrificii usum necessaria, parare debet. Nunc Episcopo, & Sacerdoti aquam præbet, cum manus in Missæ Sacrificio abluunt. Epistolam etiam, quæ olim a Diacono in Missa recitabatur, Subdiaconus legit, ac tanquam testis ad sacrum assistit, prohibetque, ne Sacerdos sacra faciens a quopiam perturbari possit. Hæc autem, quæ ad Subdiaconi ministerium spectant, ex solemnibus cæremoniis, quæ in illius Consecratione adhibentur, licet cognoscere. Primum enim Episcopus legem perpetuæ continentiæ huic Ordini impositam esse admonet; edicitque, neminem in Subdiaconorum Ordinem cooptandum esse, cui ultro hanc legem accipere non sit propositum: deinde post

De Subdiaconis præter auctores supra citatos scribit Cyp. ep. 24. & ep. 42.

Subdiacono lex perpetuæ continentiæ imponitur. Dist. 27. c. Presbyteris, item can. Apost. 25. Conc. Carth. II. can. 2. & V.

can. 3. & Rom. sub Sylvestro I. can. 2. Arelat. II. can. 2. Aurel. III. can. 2. Eliber. can. 33. & multa alia. Leo in ep. 82. ad Anastasium.

solemnem Litaniarum precationem, quæ Subdiaconi munera, & functiones sint, enumerat, atque exponit. His peractis, eorum singuli, qui ordinantur, ab Episcopo quidem calicem, & sacram patenam accipiunt; ab Archidiacono vero (ut intelligatur, Subdiaconum Diaconi officio subservire) urceolos aqua, & vino plenos, una cum lebete, & linteolo, quo manus absterguntur, dicente Episcopo: *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Adduntur præterea aliæ preces. Ad extremum, cum Episcopus sacris vestibus Subdiaconum ornavit, ad quarum singulas propria verba, & cæremoniæ adhibentur, tradit ei Epistolarum librum, ac dicit: *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.*

20. Quod sit Diaconi munus.

De Diaconis scribunt Luc. in Actis c. 6. Paul. Phil. 1. 1. 1. Tim. 3. 8. 12. Ambr. lib. 1. offic. cap. 41. Nota quod loquitur de sanguine, qui est Thesaurus Ecclesiæ: nam Diaconi dispensabant pecunias Ecclesiæ. Act. 6. Leo in serm. de S. Laur.

Secundum autem sacrorum Ordinum gradum Diaconus obtinet, cujus ministerium latius patet, sanctiusque semper habitum est. Ad eum enim pertinet Episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique, & Sacerdoti sacra facienti, vel alia Sacramenta administranti præsto esse, & in Missæ Sacrificio Evangelium legere. Olim vero fidelium animos sæpius excitabat, ut sacra attenderent, sanguinem etiam Domini ministrabat, in quibus Ecclesiis ea consuetudo erat, ut fideles Eucharistiam sub utraque specie sumerent. Diacono præterea Ecclesiasticorum bonorum dispensatio commissa erat, ut unicuique ad victum necessaria submini̇straret.

Ad

Ad Diaconum etiam pertinet, tanquam Episcopi oculum, perveſtigare, quinam in urbe pie, & religioſe, quive ſecus vitam traducant; qui ad Sacrificium, & Concionem ſtatis temporibus conveniant, qui rurſus non conveniant: ut cum de omnibus Epiſcopum certiorem fecerit, ille vel privatim unumquemque hortari, & admonere, vel palam corrigere, & objurgare poſſit, uti ſe magis profecturum eſſe intellexerit. Catechumenorum etiam nomina recitare debet, & eos, qui Ordinis Sacramento initiandi ſunt, ante Epiſcopum ſtatuere.

Diaconi ſunt oculi Ep. Cle. Ep. 1. ad Jac. frat. Dom. hab. diſt. 93. c. Diaconi. Concil. Trid. ſeſſ. 24. in decr. de reſor. c. 14.

Licet ei præterea, ſi abſit Epiſcopus, & Sacerdos, † Evangelium explanare, non tamen e ſuperiori loco, ut intelligatur, hoc ejus proprium munus non eſſe.

† *Diaconos concionari potuiſſe docet in primis exemplum Stephani. Act. 6. & Philippi Act. 8. & S. Vincentii, teſte D. Aug. ſer. 2. de S. Vincentio prædicante.*

21. Quales Diaconi eligendi ſint.

Quanta vero diligentia adhibenda ſit, ne quis eo munere indignus ad hunc Ordinis gradum aſcendat, Apoſtolus oſtendit, (a) cum ad Timotheum Diaconi mores, virtutem, & integritatem expoſuit. Hoc idem ſatis etiam declarant ritus, & ſolemnes cæremoniæ, quibus ab Epiſcopo conſecratur. Pluribus enim, & ſanctioribus precibus ad Diaconi, quam ad Subdiaconi Ordinationem utitur Epiſcopus, & alia addit ſacrarum veſtium ornamenta. Præterea manus ei imponit; quod quidem ab (b) Apoſtolis factitatum eſſe legimus, cum primos Diaconos inſtituerunt. Denique Evangeliorum librum ei tradit, his verbis: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini.*

a) 1. *Tim.* 3. 7. 8.

b) *Act.* 6. 6. *Diaconos etiam olim legere conſuevisſe Evangelium, teſtatur Hier. epiſt.* 48. *ad Sabin.*

22. Quæ sit dignitas, & amplitudo Sacerdotii.

Sess. 23. Conc. Trid. per totam, & c. Sit rector. d. 43. & cap. Pastoralis. c. 7 q. 1. Cur Sacerdotes olim Presbyteri sint dicti. Prima ratio.

Tertius, omniumque sacrorum Ordinum summus gradus est Sacerdotium. Qui vero illo præditi sunt, eos veteres Patres duobus nominibus vocare solent. Interdum enim Presbyteros appellant, quod Græce seniores significat, non solum propter ætatis maturitatem, quæ huic Ordini maxime necessaria est. Sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam, & prudentiam. Ut enim scriptum est, (a) *senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Interdum vero Sacerdotes vocant, tum quia Deo consecrati sunt, tum quia ad eos pertinet Sacramenta administrare, sacrasque res, & divinas tractare.

a) *Sap. 4. 8. Altera ratio.*

23. Quotuplex sit cum novæ, tum veteris Legis Sacerdotium.

Omnes fideles quomodo sint Sacerdotes, & quas hostias offerant. Ambr. lib. 4. de Sacramen. c. 1. Bas. ser. 2. de Bap. 68.

Sed quoniam duplex Sacerdotium in Sacris Literis describitur, alterum internum, alterum externum; utrumque distinguendum est, ut, de quo hoc loco intelligatur, a Pastoribus explicari possit. Quod igitur ad interius Sacerdotium pertinet, omnes fideles, postquam salutari aqua abluti sunt, Sacerdotes dicuntur; præcipue vero justi, qui spiritum Dei habent, & divinæ gratiæ beneficio Jesu Christi summi Sacerdotis viva membra effecti sunt: Hi enim (b) fide, quæ charitate inflammatur, in altari mentis suæ (c) spirituales Deo hostias immolant: (d) quo in genere bonæ omnes, & honestæ actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ sunt. Quare in Apocalypsi ita legimus: (e) *Christus lavit nos a peccatis nostris in san-*

b) *D. Aug. l. 10 de Civ. Dei c. 6. Leo serm. 2. de anniversar. Pontificatus.*
c) *Gal. 5. 6.*
d) *1. Pet. 2. 3.*
e) *Apoc. 1. 5. & 6.*

ſanguine ſuo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo. In quam ſententiam ab Apoſtolorum Principe dictum eſt: (a) *Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum.* Et Apoſtolus nos hortatur, ut (b) *exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem,* † *rationabile obſequium noſtrum.* David item multo ante dixerat: (c) *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Quæ omnia ad interius Sacerdotium ſpectare facile intelligitur.

a) 1. *Pet.* 2. 5.

b) *Rom.* 12. 1.

† *Alii legunt rationale.*

c) *Pſal.* 50. 19.

24. *Præter internum Sacerdotium aliud eſſe externum demonſtratur.*

Externum vero Sacerdotium non omnium fidelium multitudini, ſed certis hominibus convenit, qui legitima manuum impoſitione, ſolemnibuſque ſanctæ Eccleſiæ cæremoniis inſtituti, & Deo conſecrati, ad aliquod proprium, ſacrumque miniſterium adſcribuntur. Hoc Sacerdotii diſcrimen in veteri etiam Lege obſervari poteſt. Nam de interiori Davidem eſſe locutum, paulo ante demonſtratum eſt. Externi vero, nemo ignorare poteſt, (d) quam multa Dominus Moyſi, & Aaroni præcepta dederit. Præterea univerſam Leviticam Tribum miniſterio Templi adſcripſit; ac lege cavit, (e) ne quis ex alia Tribu in eam functionem ſe inferre auderet. Quare (f) Ozias Rex lepra a Domino percuſſus, quod Sacerdotale munus uſurpaſſet, arrogantiæ, & ſacrilegii ſui graviſſimas pœnas dedit. Quia igitur eandem Sacerdotii diſtinctionem in Lege Evangelica

Externum Sacerdotium non cadit in omnes Chriſtianos. Trid. Syn. de Ordine ſeſſ. 23. c. 1. & can. 1. Duplex Sacerdotium in veteri Lege etiam invenitur.

d) *Exod.* 28. & 29. & 40. & tot *Levit. & alibi ſæpe.*

e) *Num.* 3. 10.

f) 2. *Paral.* 26. *Sacramentum Ordinis reſpectu externi Sacrificii inſtitutum.*

licet animadvertere; docendi erunt fideles, nunc de externo Sacerdotio agi, quod certis hominibus attributum est. Hoc enim tantummodo ad Ordinis Sacramentum pertinet.

25. Quæ sint Sacerdotum propriæ functiones.

Cæremoniæ, quæ in Consecratione Sacerdotum adhibentur, explicantur.

Sacerdotis igitur munus est, Deo Sacrificium facere; & Ecclesiastica Sacramenta administrare, quemadmodum ex Consecrationis ritibus perspicitur. Nam Episcopus, cum Sacerdotem aliquem instituit, primum quidem manus ei una cum omnibus Sacerdotibus, qui adsunt, imponit: deinde stolam humeris aptans, eam ante pectus in crucis formam componit: quo quidem declaratur, Sacerdotem (a) virtute indui ex alto, qua possit crucem Christi Domini, (b) & jugum suave divinæ Legis perferre, eamque non verbis solum, sed vitæ sanctissime, & honestissime actæ exemplo tradere. Postea manus sacro oleo inungit: tum vero calicem cum vino, & patenam cum hostia tradit, dicens: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis:* quibus cæremoniis, & verbis interpres, ac mediator Dei, & hominum constituitur; quæ præcipua Sacerdotis functio existimanda est. Ad extremum vero manibus iterum ejus capiti impositis, *Accipe*, inquit, *Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt:* eique cœlestem illam, quam Dominus Discipulis suis dedit, (c) peccata retinendi, ac remittendi potestatem tribuit. Hæc vero sunt Sacerdotalis Ordinis propria, & præcipua munera.

a) *Luc.* 24. 49.

b) *Matt.* 11. 30

c) *Joan.* 20. 23.

26. Quam-

26. Quamvis unus sit Sacerdotii Ordo, non tamen unus est Sacerdotum gradus.

Qui tametsi unus est Ordo Sacerdotalis, varios tamen dignitatis, & potestatis gradus habet. Primus est eorum, qui Sacerdotes simpliciter vocantur, quorum functiones hactenus declaratæ sunt.

Primus gradus Sacerdotum inferiorum.

Secundus est Episcoporum, qui singulis Episcopatibus præpositi sunt, ut non solum cæteros Ecclesiæ ministros: sed fidelem populum regant, & eorum saluti summa cum vigilantia, & cura prospiciant. Quare in sacris Literis Pastores ovium sæpe apellantur: quorum munus, & officium Paulus descripsit, (a) ut in Apostolorum actis legimus, in ea concione, quam ad Ephesios habuit. Itemque a Petro Apostolorum Principe (b) divina quædam Episcopalis ministerii regula tradita est; ad quam si Episcopi suas actiones dirigere studeant, dubitandum non erit, quin Pastores boni & sint, & habeantur. Sed iidem Episcopi & Pontifices dicuntur, accepto ab Ethnicis nomine, qui Principes Sacerdotum Pontifices appellare consueverunt.

Secundus gradus est Episcoporum, seu Pontificum.

a) *Act.* 20. 28. 29. 30.

b) 1. *Pet.* 5. 2. 3.

Tertius gradus est Archiepiscoporum, qui pluribus Episcopis præsunt: qui Metropolitani etiam vocantur, quod illarum urbium Antistites sint, quæ tanquam matres habeantur illius provinciæ. Quare superiorem, quam Episcopi, locum, & ampliorem potestatem habent, tametsi ab Episcopis Ordinatione nihil differunt.

Tertius est Archiepiscoporum, seu Metropolitanorum, qui licet Jurisdictione, Ordinatione tamen ab Episcopis non differunt.

In quarto gradu Patriarchæ collocantur, id est primi, supremique Patres.

Quartus gradus est Patriarcharum, qui quatuor olim in tota Ecclesia numerabantur, iisque dignitate imperat.

27. De sedibus antiquis Patriarcharum.

Olim in universa Ecclesia præter summum Romanum Pontificem, quatuor tantum Patriarchæ numerabantur, neque omnes tamen dignitate pares. Nam Constantinopolitanus, etsi ad eum post omnes alios hic bonos delatus est, tamen ob Imperii majestatem altiorem locum obtinuit. Proximus est Alexandrinus, cujus Ecclesiam Marcus Evangelista jussu Principis Apostolorum fundavit. Tertius Antiochenus, ubi Petrus primo sedem locavit. Extremum gradum habet Hierosolymitanus, quam Ecclesiam Jacobus frater Domini rexit.

Constantinopolitanus Patriarcha post Rom. dist. 22. c. Constantinopolitanæ, &c. Renovantese De reliquis sedibus Patriarchalibus vide Conc. Nic. cap. 6.

28. Romanus Pontifex omnium est Episcoporum maximus, idque jure divino.

Præter hos omnes Catholica Ecclesia Romanum Pontificem Maximum, quem in Ephesina Synodo Cyrillus Alexandrinus Archiepiscopum, totius orbis terrarum Patrem, & Patriarcham appellat, semper venerata est. Cum enim in Petri Apostolorum Principis cathedra sedeat, in qua usque ad vitæ finem sedisse constat; summum in eo dignitatis gradum, & Jurisdictionis amplitudinem, non quidem ullis Synodicis, aut aliis humanis constitutionibus, sed divinitus datam agnoscit. Quamobrem omnium fidelium, & Episcoporum, cæterorumque Antistitum, quæcumque illi munere, & potestate præditi sint, Pater, ac Moderator, universali Ecclesiæ, ut Petri Successor, Christique Domini verus, & legitimus Vicarius in terris præsidet. Ex his itaque Pastores docebunt, & quæ sint Ecclesiasticorum Ordinum, ac graduum præ-

Primatus Romani Pontificis non humani, sed divini est Juris: vide Anacl. ep. 3. c. 4. & habetur dist. 22. cap. Sacrosancta, & Greg. lib. 7. ep. 63. & 64.

præcipua munera, & functiones, & quis hujus Sacramenti minister sit.

29. Quis sit legitimus Sacramenti Ordinis minister.

Constat enim, ad Episcopum eam administrationem pertinere: quod etiam sanctarum Literarum auctoritate, certissima traditione, omnium Patrum testimonio, Conciliorum decretis, sanctæ Ecclesiæ usu, & consuetudine facile erit comprobare. Quamvis autem nonnullis Abbatibus permissum sit, ut minores, & non sacros Ordines interdum administrent: tamen hoc proprium Episcopi munus esse nemo dubitat, cui uni ex omnibus, præterea nemini, licet reliquis Ordinibus, qui sacri, & majores dicuntur, initiare. Nam Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes unus tantum Episcopus ordinat. Episcopi ex Apostolorum traditione, quæ perpetuo in Ecclesia custodita est, a tribus Episcopis consecrantur.

Trid. Synod. de Ordine sess. 23. cap. 3. decr. de refor. cap. 10. idque docent Conc. Antioch. c. 10. Ancyra. 12. Epiph. hæc 75. Hier. Ep. 85. Damas. & Leo ep. 88.

30. Cur in promovendis ad Ordines singularis probitas requiratur.

Sequitur nunc, ut explicetur, quinam ad hoc Sacramentum, in primisque ad Sacerdotalem Ordinem apti sint, & quæ in eis potissimum requirantur. Ex hoc enim difficile non erit statuere, quid in aliis Ordinibus dandis pro cujusque officio, & dignitate observare oporteat. Maximam autem in hoc Sacramento cautionem adhibendam esse ita colligitur, quod cætera gratiam ad illorum sanctificationem, & usum tribuunt, a quibus percipiuntur: at vero qui sacris initiantur, ob eam rem cœlestis gratiæ participes fiunt, ut eorum ministerio Ecclesiæ, atque adeo omnium hominum saluti con-

Dionys. lib. de Eccl. Hierarch. cap. 3.

Ordines tur ſtatis dieb. Jeiunorum præcipue inſtituantur. Qua ſint tempora a Jure ſtatuta, habetur d. 15. ca. in fin. ex Gelaſ. ad Epiſc. per Lucaniam Ep. 1. cap. 13. & Gregor. lib. 2. epiſt. 3. & de temporib. Ordinationum.

conſulatur. Ex quo factum eſſe intelligimus, ut ſtatis tantummodo diebus, quibus etiam ſolemnia jejunia ex vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more indicuntur, Ordinationes fiant; ut ſcilicet fidelis populus ejuſmodi ſacrarum rerum miniſtros piis, & ſanctis precationibus a Deo impetret, qui ad tanti miniſterii poteſtatem recte, & cum Eccleſiæ utilitate gerendam aptiores eſſe videantur.

31. Quanta vitæ, & morum integritas in ordinando requiratur.

Primum itaque in eo, qui Sacerdos creandus eſt, vitæ, & morum integritas commendetur magnopere oportet; non ſolum quia, ſi mortiferi alicujus peccati conſcius ſe initiari curet, vel etiam patiatur, novo ſe, & maximo ſcelere obſtringit; ſed etiam quia virtutis, & innocentiæ lumen aliis præferre debet. Ea de re quid Apoſtolus (a) Tito, & (b) Timotheo præcipiat, Paſtoribus declarandum erit; & ſimul illud docendum, ea corporis vitia, (c) quæ in veteri Lege ex Domini præſcriptione aliquem ab altaris miniſterio excludebant, in Evangelica Lege ad animæ vitia præcipue transferenda eſſe. Quare ſanctam illam conſuetudinem in Eccleſia ſervari animadvertimus, ut qui ſacris initiandi ſunt, prius Pœnitentiæ Sacramento conſcientiam purgare diligenter ſtudeant.

a) *Tit.* 1. 7.
b) 1. *Tim.* 3. 8. 9. *per totum.*
c) *Levit.* 21. 17. 18. 19. 20.

Greg. par. 1. Paſtora. cur. cap. 11.

32. In Sacerdote quæ, & quanta doctrina requiratur.

Præterea in Sacerdote non ſolum ea cognitio requirenda eſt, quæ ad Sacramentorum uſum, & tractationem pertinet; ſed etiam ſacrarum Literarum ſcientia ita inſtructum eſſe opor-

oportet, ut populo Christianæ fidei mysteria, & divinæ Legis præcepta tradere, ad virtutem, & pietatem excitare, a vitiis revocare fideles possit. Sacerdotis enim duo sunt munera: quorum alterum est, ut Sacramenta rite conficiat, & administret: alterum, ut populum fidei suæ commissum iis rebus, & institutis, quæ ad salutem necessaria sunt, erudiat. Malachias enim ita testatur: (a) *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* Ut igitur in horum altero, si mediocri cognitione sit ornatus, præstare, quod debet, possit, alterum certe non vulgarem, sed exquisitam potius doctrinam desiderat: quamvis æque ab omnibus Sacerdotibus summa reconditarum rerum scientia non exigatur, sed quæ ad suscepti officii, & ministerii functionem unicuique satis esse possit.

Duo Sacerdotis munera.

a) *Malach. 2. 7.*

33. Quinam ad Sacerdotii dignitatem non sint admittendi.

Pueris autem, & furiosis, vel amentibus, quod usu rationis carent, hoc Sacramentum dandum non est: quamvis, si iis quoque administraretur, Sacramenti characterem in eorum animam imprimi, certo credendum sit. Qui vero ætatis annus in singulis Ordinibus sit expectandus, ex sacri Tridentini Concilii decretis facile erit cognoscere.

Trid. Syn. Sess. 23. cap. 12. de Reform.

Excipiuntur etiam servi. Neque enim divino cultui dedicari debet, qui non sui juris, sed in alterius potestate est.

Viri præterea sanguinum, & homicidæ, quia Ecclesiastica lege repelluntur, & irregulares sunt.

Spu-

Spurii quoque, & ii omnes, qui ex legitimis nuptiis non ſunt procreati. Decet enim, ut qui ſacris addicuntur, nihil in ſe habeant, quo ab aliis merito contemni, ac deſpici poſſe videantur.

Ad extremum etiam admitti non debent, qui aliquo inſigni corporis vitio deformes, aut manci ſunt. Ea enim fœditas, & debilitatio tum offenſionem habet, tum vero Sacramentorum adminiſtrationem impediat, neceſſe eſt.

34. Qui ſint præcipui hujus Sacramenti effectus.

Primus effectus eſt ſanctificatio illius, qui ordinatur. Vide Conc. Flor.

Sed jam his rebus expoſitis, ſupereſt, ut Paſtores doceant, qui ſint hujus Sacramenti effectus. Conſtat vero, quamvis Ordinis Sacramentum, ut antea dictum eſt, maxime ad Eccleſiæ utilitatem, & pulchritudinem ſpectet, tamen in ejus quoque anima, qui ſacris initiatur, ſanctificationis gratiam efficere, qua idoneus, habiliſque ad recte munere ſuo fungendum, Sacramentaque adminiſtranda reddatur: quemadmodum etiam Baptiſmi gratia quilibet ad alia Sacramenta percipienda aptus efficitur.

Secundus, gradibus quibuſdam homines provehi ad offerendum Domino novi Teſtamenti Sacrificium.

Aliam quoque gratiam hoc Sacramento tribui perſpicuum eſt, præcipuam videlicet poteſtatem, quæ ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum refertur: in Sacerdote quidem plenam, & perfectam, ut qui Domini noſtri corpus, & ſanguinem unus poteſt conficere: in aliis vero inferiorum Ordinum miniſtris majorem, minoremve, quo quiſque miniſterio ſuo magis, minuſve ad altaris Sacramenta accedit.

Quomodo Ordinis Sacramentum characterem imprimat.

Atque hæc poteſtas etiam Character ſpiritualis dicitur; quod qui ſacris imbuti ſunt, interio-

riori quadam nota animæ impreſſa ab aliis fidelibus diſtinguantur, ac divino cultui mancipentur. Ad quam Apoſtolus videtur ſpectaſſe, cum ad Timotheum ait, (a) *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii*, & alibi, (b) *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Hæc de Ordinis Sacramento ſatis dicta ſint. Potiora enim tantum rerum capita Paſtoribus tradere profeſſi ſumus, ut illis fidelis populi docendi, & in Chriſtiana pietate erudiendi argumenta ſuppeditarent.

Trid. Syn. ſeſſ. 23. de Ordine c. 3. can. 4.

a) *1. Tim. 4. 14.*

b) *2. Tim. 1. 6.*

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

CAPUT VIII.

1. Cur Parochi ſedulo debeant invigilare, ut populus Chriſtianus Matrimonii naturam, & ſanctitatem cognitam habeat.

Doctrina de Sacramento Matrimonii & canones ſubiectis decem capitibus de eiuſdem reformatione explicantur initio ſeſſ. 24. Trid. Synod.

QUoniam Paſtoribus beata, & perfecta Chriſtiani populi vita propoſita eſſe debet, iis quidem maxime optandum eſſet, quod Apoſtolus ſe cupere ad Corinthios ſcribebat his verbis: (a) *Volo omnes homines eſſe ſicut me ipſum;* nimirum ut omnes continentiæ virtutem ſectarentur, nihil enim beatius in hac vita fidelibus poteſt contingere, quam ut animus nulla mundi cura diſtractus, ſedataque & reſtincta omni carnis libidine, in uno pietatis ſtudio, & rerum cœleſtium cogitatione conquieſcat: ſed quoniam, ut idem Apoſtolus teſtatur, (b) *unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic*, & Matrimonium magnis, & divinis bonis ornatum eſt, ita ut inter alia Catholicæ Eccleſiæ Sacramenta vere, ac proprie numeretur, ac (c) Dominus nuptiarum celebritatem præſentia ſua honeſtarit, ſatis apparet, ejus doctrinam tradendam eſſe: cum præſertim liceat animadvertere, tum ſanctum (d) Paulum, tum Apoſtolorum (e) Principem, quæ non ſolum ad dignitatem, ſed etiam ad officia Matrimonii pertinebant, pluribus locis accurate ſcripta reliquiſſe. Divino enim Spi-

a) 1. Cor. 7. 7.

Caſtitatis excellentia non in omnes cadit.

b) 1. Cor. 7. 7. *Fulg. ep. 3. ad Probam c. 9.*

c) *Joan. 2. 2. 12. Utilitas doctrinæ de Matrimonio.*

d) 1. Cor. 7. *per tot. Eph. 5. 22. Coloſ. 3. 15.*

e) 1. Pet. 2. 2. *Dam. lib. 3.*

Spiritu afflati optime intelligebant, quanta, & quam multa commoda ad Christianam societatem pervenire possent, si fideles Matrimonii sanctitatem cognitam haberent, & inviolatam servarent; contra vero ea ignorata, vel neglecta, plurimas, maximasque calamitates, & detrimenta in Ecclesiam importari. Primum itaque Matrimonii natura, & vis explicanda est. Nam cum vitia sæpe honesti similitudinem gerant, cavere oportet, ne fideles falsa Matrimonii specie decepti, turpitudine, & nefariis libidinibus animam commaculent. Cujus rei declarandæ causa a nominis significatione ordiendum est.

2. *Quapropter sancta illa copula Matrimonii, Conjugii, aut Nuptiarum nominibus exprimatur.*

Matrimonium ab eo dicitur, quod fœmina idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat; vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est. Conjugium quoque a conjungendo appellatur, quod legitima mulier cum viro quasi uno jugo adstringatur. Præterea Nuptiæ, quia, ut inquit sanctus Ambr. pudoris gratia puellæ se obnuberent: quo etiam declarari videbatur, viris obedientes, subjectasque, esse oportere.

Matrimonium unde dicatur Aug. 19. cont. Faust. c. 26.

S. Ambr. l. 1. de Abraham c. 9. in fine.

3. *Quid sit Matrimonium.*

Ita vero ex communi Theologorum sententia definitur: *Matrimonium est viri, & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuum vitæ consuetudinem retinens.* Cujus definitionis partes ut planius intelligantur, docendum est, quamvis hæc omnia in perfecto Matrimonio insint, consensus videlicet interior,

Mag. in 4. dist. 7. & Grat. 17. q. 2. in princ. quæst.

pactio externa verbis expressa, obligatio, & vinculum, quod ex ea pactione efficitur, & conjugum copulatio, qua Matrimonium consummatur; nihil horum tamen Matrimonii vim, & rationem proprie habere, nisi obligationem illam, & nexum, qui *conjunctionis* vocabulo significatus est. Additur vero, *maritalis*, quoniam alia pactionum genera, quibus viri, & mulieres obligantur, ut sibi mutuam operam præstent, vel pretii, vel alterius rei causa, prorsus aliena sunt a Matrimonii ratione. Sequitur deinde, *inter legitimas personas*, quoniam qui a Nuptiarum conjunctione legibus omnino excluſi sunt, ii Matrimonium inire non possunt, neque si ineant, ratum est. Exempli gratia, qui intra quartum gradum propinquitate conjuncti sunt, puerque ante decimum quartum annum, aut puella ante duodecimum, quæ ætas Legibus constituta est, ad Matrimonii justa fœdera ineunda apti esse non possunt. Quod vero extremo loco positum est, *Individuam vitæ consuetudinem retinens*, indissolubilis vinculi naturam declarat, quo vir, & uxor colligantur.

Conc. Flor. in epist. Eug. IV. ad Armenos.

4. Ubi præcipua vis Matrimonii consistat.

Ex his igitur patet, Matrimonii naturam, & rationem in vinculo illo consistere. Nam quod aliæ clarissimorum virorum definitiones hoc videntur consensui tribuere, ut, cum dicunt, *conjugium esse consensum maris, & fœminæ*; hoc ita accipiendum est, consensum ipsum Matrimonii causam effectricem esse: quod Patres in Concilio Florentino docuerunt. Etenim obligatio, & nexus oriri non potest, nisi ex consensu, & pactione.

5. Qua-

5. Qualis in Matrimonio requiratur consensus, quaque ratione sit declarandus.

Sed illud maxime necessarium est, ut consensus verbis, quæ præsens tempus significant, exprimatur. Neque enim Matrimonium est simplex donatio, sed mutua pactio. Atque ita fit, ut consensus alterius tantum ad Matrimonium conjungendum satis esse non possit, sed duorum inter se mutuum esse oporteat. Atqui ad declarandum mutuum animi consensum, verbis opus esse perspicuum est. Si enim ex interiori tantum consensu, sine aliqua externa significatione, Matrimonium constare posset, illud etiam sequi videretur, ut, cum duo, qui disjunctissimis, & maxime diversis in locis essent, ad nuptias consentirent, antequam alter alteri voluntatem suam vel literis, vel nunciis declarasset, veri, & stabilis Matrimonii lege conjungerentur: quod tamen a ratione, & sanctæ Ecclesiæ consuetudine, & decretis alienum est.

Consensus verbis temporis præsentis exprimendus est, isque mutuus esse debet; de sponsalib. & Matrim. cap. Tua fraternitati, & consentis Mag. loc. cit. lit. C. Interior consensus non sufficit ad Matrimonium.

6. Mutuus consensus verbis futuri temporis expressus Matrimonium non efficit.

Recte autem dicitur, oportere, ut consensus verbis exprimatur, quæ præsentis temporis significationem habeant. Nam quæ futurum tempus indicant, Matrimonium non conjungunt, sed spondent. Deinde, quæ futura sunt, nondum esse perspicuum est: quæ vero non sunt, parum, vel nihil firmi, aut stabilis habere existimandum est. Quare nondum connubii jus in eam mulierem quisquam habet, quam se in Matrimonium ducturum esse pollicetur; neque statim ab eo impletum est, quod

Habetur de sponsal. & Matrimon. cap. Si inter virum. Qui, quod se facturum promisit, postea non præstat, tametsi fidem violet, Matrimonium tamen non dissolvit.

se facturum promisit: tametsi fidem præstare debet; quod si non faciat, violatæ fidei reus esse convincitur. At vero qui Matrimonii fœdere alteri jungitur, quamvis postea pœniteat, tamen, quod factum est, mutare, irritumve, & infectum reddere non potest. Cum itaque conjugii obligatio nuda promissio non sit, sed ejusmodi, abalienatio, qua re ipsa vir mulieri, & vicissim mulier viro corporis sui potestatem tradit; idcirco necesse est, verbis, quæ præsens tempus designant, Matrimonium contrahi: quorum verborum vis, etiam postquam enunciata sunt, permanet; virumque, & uxorem indissolubili vinculo constrictos tenet.

Qualis promissio requiratur ad perfectionem Matrimonii.

7. *Si pudore, aut alio impedimento consensus verbis non exprimatur, nutus, & signa verborum locum habent.*

Sed verborum loco tum nutus, & signa, quæ intimum consensum aperte indicent, satis Matrimonium esse possunt, tum ipsa etiam taciturnitas, cum puella propter verecundiam non respondet, sed pro ea parentes loquuntur.

8. *Ad verum Matrimonium concubitus non requiritur.*

Ex iis igitur Parochi fidelibus tradent, Matrimonii naturam, & vim in vinculo, & obligatione sitam esse; ac præter consensum eo, quo dictum est, modo expressum, ut verum Matrimonium existat, concubitum necessario non requiri. Nam & primos Parentes ante peccatum, quo tempore nulla inter eos carnis copula intercesserat, ut Patres testantur, vero Matrimonio junctos fuisse plane constat. Quare a sanctis Patribus dictum est, Matrimonium

Adam, & Eva in statu innocentiæ non concubuerunt. Gen. 2.

nium non concubitu, sed consensu existere; quod etiam a sancto Ambrosio in libro de Virginibus repetitum legimus.

S. Ambr. de instit. Virg. c. 6.

9. Quotuplex sit Matrimonii consideratio.

Jam vero hisce explicatis, illud docendum erit, Matrimonium duplicem rationem habere. Nam, vel ut naturalis conjunctio (conjugium enim non ab hominibus inventum, sed a natura) vel ut Sacramentum, cujus vis naturalium rerum conditionem superat, considerandum est. Ac, quoniam gratia naturam perficit, (*neque prius*, (a) *quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale*) rei ordo postulat, ut de Matrimonio, ut natura constat, & ad naturæ officium pertinet, prius agendum sit: tum vero, quæ illi, ut Sacramentum est, conveniunt, explananda erunt.

Duplex Matrimonii ratio, ut est officium naturæ, & ut Sacramentum. Matrimonium est a natura ff. de Justit. & Jure lib. 1.

a) 1. Cor. 15. 46.

10. Quis Matrimonii, ut officium naturæ significat, sit auctor.

In primis itaque docendi sunt fideles, Matrimonium a Deo institutum esse. Scriptum est enim in Genesi: (b) *Masculum, & fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait, Crescite, & multiplicamini*, &, (c) *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, ac paulo post: (d) *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus: immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam, dixitque Adam hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est: quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, &*

b) Gen. 1. 27. 28

c) Gen. 2. 18.

d) Gen. 2.

adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

a) *Matt.*19.6. Quæ, ipso Domino auctore (a) apud sanctum Matthæum, ostendunt Matrimonium divinitus institutum esse.

11. Matrimonium, ut naturæ officium consideratur, & maxime ut Sacramentum : dissolvi non potest.

Neque vero Deus Matrimonium tantummodo instituit ; verum, ut sancta Tridentina Synodus declarat, perpetuum etiam, & indissolubilem nodum ei addidit. Siquidem Salvator ait, (b) *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quamvis enim Matrimonio, quatenus naturæ est officium, conveniat, ut dissolvi non possit; tamen id maxime fit, quatenus est Sacramentum. Qua ex re etiam in omnibus, quæ naturæ Lege ejus propria sunt, summam perfectionem consequitur : tamen & prolis educandæ studio, & aliis Matrimonii bonis repugnat, ut ejus vinculum dissolubile fit.

b) *Matt.*19.6. *Trid. Synod. in princ. sess.* 24. & c. 5. 7. & c. *Fraternitatis* 35. *qu.* 10. & *cap. Debitum de bigamis, & de coniug. leprof. in princ.*

12. Omnibus hominibus Lex contrahendi non est imposita.

c) *Gen.* 1. *Matrimonium causa multiplicandi genus humanum divinitus est institutum. Virginitas Matrimonio est præstantior. Trid. Syn. sess.* 24. *de Matrim.* c. 9. 10.

Quod vero a Domino dictum est, (c) *Crescite, & multiplicamini*, id eo spectat, ut cujus rei causa Matrimonium institutum erat, declaret: non ut singulis hominibus necessitatem imponat. Nunc enim aucto jam humano genere, non solum ulla Lex uxorem ducere aliquem non cogit, sed potius virginitas summopere commendatur, & unicuique in sacris Literis suadetur, ut quæ Matrimonii statu præstantior sit, majoremque in se perfectionem, & sanctitatem contineat. Dominus enim Salvator noster ita docuit: (d) *Qui potest capere, capiat,* &

d) *Matt.*19.12.

e) 1. *Cor.*7.25. Apostolus ait : (e) *De Virginibus præceptum Domi-*

ni-

mini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.

13. Vir, & mulier conjungi cur debeant.

Sed quibus de causis vir, & mulier conjungi debeant, explicandum est. Prima igitur ratio est, hæc ipsa diversi sexus naturæ instinctu expedita societas, mutui auxilii spe conciliata, ut alter alterius ope adjutus vitæ incommoda facilius ferre & senectutis imbecillitatem sustentare queat. *Prima ratio.*

Altera est procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum, & divitiarum hæredes relinquantur, quam ut veræ fidei, & religionis cultores educentur. Quod quidem maxime sanctis illis Patriarchis, cum uxores ducerent, propositum fuisse, ex sacris Literis satis apparet. Quare Angelus, cum Tobiam admoneret, quo pacto mali Dæmonis vim posset repellere; (a) *Ostendam*, inquit, *tibi, qui sunt, quibus prævalere potest Dæmonium: ii namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent*, (b) *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus; habet potestatem Dæmonium super eos.* Deinde subjecit: (c) *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus; ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* Atque una hæc etiam causa fuit, cur (d) Deus ab initio Matrimonium instituerit. Quare fit, ut illorum sit scelus gravissimum, qui Matrimonio juncti, medicamentis vel conceptum impediunt, vel partum abigunt. Hæc enim homicidarum impia conspiratio existimanda est. *Secunda ratio.*

a) *Tob.* 6. 16. 17.

b) *Psal.* 31. 9.

c) *Tob.* 6. 22.

d) *Gen.* 1. 23. *Jus naturæ violant, qui partum impediunt.*

14. Post peccatum cur Matrimonium institutum fuerit.

Tertia causa. vide Aug. 14. Civ. c. 15. 16. & 17. Dam. lib. 4. de orth. fide cap. 25.

Tertia est, quæ post primi Parentis lapsum ad alias causas accessit, cum propter justitiæ, in qua homo conditus erat, amissionem appetitus rectæ rationi repugnare cœpit; ut scilicet, qui sibi suæ imbecillitatis conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, Matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur. De

a) 1. Cor. 7. quo ita Apostolus scribit: (a) *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum habeat:* ac paulo post, cum docuisset, interdum orationis causa a Matrimo-

b) *Ibidem* 15. nii debito abstinendum esse, subjecit: (b) *Et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Hæ igitur sunt causæ, quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui pie, & religiose, ut sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere. Quod

Causæ secundariæ Matrimonii, si eius sanctitatem non impediant, minime damnandæ sunt.

si ad eas causas aliæ etiam accedant, quibus homines inducti, Matrimonium ineant, atque in habendo uxoris delectu hanc illi præponant, ut hæredis relinquendi desiderium, divitiæ, forma, generis splendor, morum similitudo; hujusmodi sane rationes damnandæ non sunt, cum Matrimonii sanctitati non repugnent. Ne-

c) *Gen.* 17, 1. que enim in sacris Literis (c) Jacob Patriarcha reprehenditur, quod Rachelem, ejus pulchritudine illectus, Liæ prætulerit. Hæc de Matrimonio, ut naturalis conjunctio est, docenda erunt.

15. Cur Matrimonium Sacramenti dignitate per Christum sit auctum.

Ut autem Sacramentum est, explicare oportebit, ejus naturam multo præstantiorem esse,

&

& omnino ad altiorem finem referri. Quemadmodum enim Matrimonium, ut naturalis conjunctio ad propagandum humanam genus ab initio institutum est: ita deinde, ut populus ad veri Dei, & Salvatoris nostri Christi cultum, & religionem procrearetur, atque educaretur, Sacramenti dignitas illi tributa est. Cum enim Christus Dominus vellet arctissimæ illius necessitudinis, quæ ei cum Ecclesia intercedit, suæque erga nos immensæ charitatis certum aliquod signum dare, tanti mysterii divinitatem hac potissimum maris, & fœminæ sancta conjunctione declaravit. Quod quidem aptissime factum esse ex eo intelligi potest, quod ex omnibus humanis necessitudinibus, nulla inter se homines magis, quam Matrimonii vinculum constringit; maximaque inter se vir, & uxor charitate, & benevolentia devincti sunt. Atque idcirco fit, ut frequenter sacræ Literæ nuptiarum similitudine (a) divinam hanc Christi, & Ecclesiæ copulationem nobis ante oculos proponant.

De Matrimonio, ut Sacramentum est.

Finis instituti Matrimonii cum in Lege naturæ, tum in Lege gratiæ pulchre explicatur a D. Thom. in sup. q. 43. art. 3.

Immensa Christi, & Ecclesiæ per charitatem conjunctio Matrimonii Sacramento aptissime significatur.

a) *Matth.* 22. 2. & 25. 10. *Apoc.* 19. 6. 7.

16. *Quomodo Matrimonium sit verum Evangelicæ Legis Sacramentum.*

Jam vero Matrimonium Sacramentum esse, Ecclesia Apostoli auctoritate confirmata certum, & exploratum semper habuit. Ita enim ad Ephesios scribit: (b) *Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori*

b) *Eph.* 5. 28. 29. 30. *Pet. Dam. ser.* 1. *de Dedic. Eccles.*

D. Aug. de fide, & oper. c. 7. lib. 2. de nup. & con-

cap. cap. 10. & 21. Ambr. in c. 5. Ep. ad Eph. Tertul. in lib. de Monog.

suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Nam quod inquit, *Sacramentum hoc magnum est*, nemini dubium esse debet, ad Matrimonium referendum esse, quod scilicet viri, & mulieris conjunctio, cujus Deus auctor est, sanctissimi illius vinculi, quo Christus Dominus cum Ecclesia conjungitur, Sacramentum, id est, sacrum signum sit.

17. Quomodo Matrimonium Sacramentum esse ex Pauli verbis convincatur.

Atque hanc esse eorum verborum veram, & propriam sententiam, veteres sancti Patres, qui eum locum interpretati sunt, ostendunt: idemque sancta Tridentina Synodus explicavit. Constat ergo, virum Christo, uxorem Ecclesiæ ab Apostolo comparari; virum esse caput mulieris, ut est Christus Ecclesiæ; eaque ratione fieri, ut vir uxorem diligere, & vicissim uxor virum amare, & colere debeat. (a) Christus enim dilexit Ecclesiam, & pro ea semetipsum tradidit: rursus vero, ut idem Apostolus docet, (b) Ecclesia subjecta est Christo. Sed gratiam quoque hoc Sacramento significari, & tribui, in quo maxime Sacramenti ratio inest, ea Synodi verba declarant: *Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector, sua nobis passione promeruit.* Quare docendum est, hujus Sacramenti gratia effici, ut vir, & uxor mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat; alienosque, & illicitos amores, & concu-

Trid. Synod. in princ. sess. 24. de Matr.

a) *Eph. 5. 25.*

b) *Ibid. 14. Quomodo Matrimonium gratiam significatam tribuat. Trid. Syn. ibid.*

Fulg. Ep. 2. ad Gallam c. 15.

bi-

bitus non quærat, ſed in omnibus ſit (a) *honorabile connubium, & torus immaculatus.*

a) *Hebr.* 13. 4.

18. Quantum Matrimonium Evangelii a Legis naturæ, vel Moyſis Matrimonio differat.

Sed quantum Matrimonii Sacramentum iis Matrimoniis præſtet, quæ ante, vel poſt Legem iniri ſolebant, ex eo licet cognoſcere, quod etſi gentes Matrimonio divini aliquid ineſſe arbitrabantur, atque ob eam rem vagos concubitus a naturæ Lege alienos eſſe, itemque ſtupra, adulteria, & alia libidinis genera vindicanda eſſe judicabant, tamen eorum connubia nullam prorſus Sacramenti vim habuerunt.

Gentes Matrimonium, ut rem ſanctam veneratæ ſunt, & concubitus vagos, & inceſtas nuptias damnarunt. Inter infideles Matrimonium non eſt Sacramentum. cap. Quante tu, de divert.

Apud Judæos vero religioſius omnino nuptiarum leges ſervari conſueverant: neque dubitandum, quin eorum Matrimonia majori ſanctitate prædita eſſent. Cum enim promiſſionem accepiſſent, fore aliquando, ut (b) omnes gentes in ſemine Abrahæ benedicerentur, magnæ apud eos pietatis officium merito eſſe videbatur filios procreare, & electi populi ſobolem, ex qua Chriſtus Dominus Salvator noſter, quod ad humanam naturam attinet, ortum habiturus eſſet, propagare. Sed illæ quoque conjunctiones vera Sacramenti ratione caruerunt.

b) *Gen.* 12. 3. 18. & 18. 22. 28.

19. Matrimonium in Lege naturæ poſt peccatum, aut in Lege Moyſis, originis ſuæ, quam ex Deo habuit, decorem non retinuit.

Huc accedit, quod, ſive naturæ poſt peccatum, ſive Moyſis Legem ſpectemus, facile animadvertimus, Matrimonium a primi ortus ſui decore, & honeſtate decidiſſe. Dum enim naturæ lex vigebat, (c) multos ex antiquis

c) *Gen.* 4. 14. & 29. 22.

Pa-

Patribus fuisse comperimus, qui plures simul uxores ducerent. Deinde vero in Lege (a) Moysis dato repudii libello, permissum erat, si causa fuisset, divortium cum uxore facere. Quorum utrumque ab Evangelica Lege sublatum, Matrimoniumque in pristinum statum restitutum est. Nam quod polygamia a Matrimonii natura aliena esset, (etsi aliqui ex Priscis Patribus accusandi non sunt, quod non sine Dei indulgentia plures uxores ducerent) Christus Dominus ostendit illis verbis: (b) *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; & deinde subjungit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.*

a) *Deut.* 24. 1. *Matth.* 19. 7. *Uxorum pluralitas a Matrimonii natura est aliena, ac Christianis prohibita c. Gaudemus de divort. Trid. Syn. sess. 24. de Matrim. can.* 2.

b) *Matth.* 19. 5. 6.

Matrimonium duorum duntaxat coniunctione definitur.

Quibus verbis planum fecit, Matrimonium ita a Deo institutum esse, ut duorum tantum, non plurium conjunctione definiretur. Quod etiam alibi apertissime docuit: inquit enim: (c) *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Nam si viro liceret plures uxores ducere, nulla omnino causa esse videretur, cur magis adulterii reus esse dicendus esset, quod præter eam uxorem quam domi haberet, aliam duceret, quam quod priore dimissa, cum alia conjungeretur. Atque ob eam rem fieri intelligimus, ut, si infidelis quispiam gentis suæ more, & consuetudine plures uxores duxisset, cum ad veram religionem conversus fuerit, jubeat eum Ecclesia cæteras omnes relinquere, ac priorem tantum justæ, & legitimæ uxoris loco habere.

c) *Matt.* 19. 9. *Marc.* 10. 11. *Luc.* 16. 18.

Quid faciendum sit cum infideli ad fidem converso, qui prius plures uxores duxerit vide c. Gaudemus, de divortiis.

20. *Vin-*

20. *Vinculum Matrimonii divortio disrumpi non potest.*

Verum eodem Christi Domini testimonio facile comprobatur, nullo divortio vinculum Matrimonii dissolvi posse. Si enim post libellum repudii mulier a viri lege soluta esset, liceret ei sine ullo adulterii crimine alteri viro nubere. Atqui Dominus aperte denunciat: (a) *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Quare conjugii vinculum nulla re, nisi morte disrumpi perspicuum est. Quod quidem etiam Apostolus confirmat, cum inquit (b) *Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est a Lege: cui vult, nubat, tantum in Domino,* & rursus: (c) *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Eam vero optionem Apostolus mulieri, quæ justa de causa virum reliquisset, detulit, ut aut innupta maneat, aut viro suo reconcilietur. Neque enim sancta Ecclesia viro, & uxori permittit, ut sine gravioribus causis alter ab altero discedat.

a) *Matt.* 19. 9. *Marc.* 10. 4. *Luc.* 16. 18.

b) 1. *Cor.* 7. 36. *Rom.* 7. 1.

c) 1. *Cor.* 7. 10. *Conc. Trid. sess.* 24. *can.* 5. & 7. *Concil. item Milev. cap.* 17. *citatum* 32. *q.* 7. *Placuit.*

21. *Cur nulla ratione dissolvi Matrimonium expediat.*

Ac, ne forte alicui videatur durior Matrimonii lex, quod nulla unquam ratione dissolvi possit, docendum est, quæ sint cum ea utilitates conjunctæ. Primum enim homines in conjungendis matrimoniis virtutem potius, & morum similitudinem, quam divitias, & pulchritudinem spectandam esse hinc intelligent: qua quidem re communi societati maxime consuli nemo dubitare potest. Præterea, si

Vide D. Thom. in 4. *dist.* 33. *q.* 2. *art.* 1. & *sequent.* & *Bon. in* 4. *dist.* 33. *art.* 4. *q.* 1. & 2.

di-

divortio Matrimonium diſſolveretur, vix unquam diſſidendi cauſæ hominibus, quæ iis ab antiquo pacis, & pudicitiæ Hoſte quotidie objicerentur, deeſſent. Nunc vero, cum fideles ſecum cogitant, quamvis etiam Conjugii convictu, & conſuetudine careant, ſe tamen Matrimonii vinculo conſtrictos teneri, omnemque alterius uxoris ducendæ ſpem ſibi præciſam eſſe; ea re fit, ut ad iracundiam, & diſſidia tardiores eſſe conſueverint. Quod ſi interdum etiam divortium faciant, & diutius conjugis deſiderium ferre non poſſint, facile per amicos reconciliati ad ejus convictum redeunt.

22. *Per libellum repudii ſeparati poſſunt rurſum conjungi.*

Ob adulterium dimiſſi, ſi pœnituant, in gratiam poſſunt recipi ab altero conjuge. S. Aug. lib. 2. de adulterinis conjugiis c. 6. & 9.

Sed hoc loco prætermittenda non eſt Paſtoribus ſancti Auguſtini ſalutaris admonitio. Is enim, ut oſtenderet fidelibus, haud gravate faciendum eſſe, ut cum uxoribus, quas adulterii cauſa dimiſiſſent, ſi eas delicti pœniteret, in gratiam reducerentur, *Cur*, inquit, *vir fidelis non recipiet uxorem, quam recipit Eccleſia? aut cur uxor viro adultero, ſed pœnitenti, non ignoſcet, cui etiam ignovit Chriſtus? Nam quod* (a) *Scriptura ſtultum vocat, qui tenet adulteram, de ea ſentit, quæ cum deliquerit, pœnitere, & a cœpta turpitudine deſiſtere recuſat.* Ex iis itaque perſpicuum eſt, fidelium Conjugia perfectione, & nobilitate, tum Gentilium, tum Judæorum Matrimoniis longe præſtare.

a) Prov. 18. 22.

23. *Quæ ſint bona, quæ ex hoc Sacramento ad conjugatos redeunt.*

Matrimonii triplici a ſunt bona. D. Aug. lib. 5.

Docendi præterea ſunt fideles, tria eſſe Matrimonii bona; *Prolem, Fidem, & Sacramentum:*

quo-

quorum compensatione illa incommoda leniuntur, quæ Apostolus indicat his verbis: (a) *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi*; efficiturque, ut conjunctiones corporum, quæ extra Matrimonium merito damnandæ essent, cum honestate conjunctæ sint. *contra Jul. c. 5. & de Gen. ad lit. l. 9. cap. 7. Mag. in 4. dist. 31. Scot. 4. dist. 31. q. 1.* a) *1. Cor. 7. 28.*

Primum Matrimonii bonum est proles.

Primum igitur bonum est proles, hoc est liberi, qui ex justa, & legitima suscipiuntur uxore. Id enim tanti fecit Apostolus, ut diceret: (b) *Salvabitur mulier per filiorum generationem.* Nec vero hoc de procreatione solum, sed de educatione etiam, & disciplina, qua filii ad pietatem erudiuntur, intelligendum est. Sic statim subdit Apostolus, (c) *Si in fide permanserint.* Monet enim Scriptura: (d) *Filii tibi sunt? erudi illos & curva illos a pueritia illorum.* Idem etiam (e) Apostolus docet: ejusque institutionis pulcherrima exempla (f) Tobias, (g) Job, & alii sanctissimi Patres in sacris Literis præbent. Quæ vero sint parentum, & filiorum officia, in quarto Præcepto latius explicabitur. b) *1. Tim. 2. 15.* c) *Ibidem.* d) *Eccl. 7. 25. Prov. 13. 24. Deuter. 6. 7.* e) *Eph. 6. 4. Col. 3. 20.* f) *Tob. 4.* g) *Job. 1. 5.*

24. Fides in Matrimonio quid sit, & quomodo servanda.

Secundum bonum est fidelitas mutua.

Sequitur fides, quod est alterum Matrimonii bonum, non ille virtutis habitus, quo imbuimur, cum Baptismum percipimus, sed fidelitas quædam, qua mutuo vir uxori, & uxor viro se ita obstringit, ut alter alteri sui corporis potestatem tradat, sanctumque illud Conjugii fœdus nunquam se violaturum polliceatur. Id facile colligitur ex illis verbis, quæ a primo Parente enunciata sunt, cum Evam uxorem suam accepit, quæ deinde Chris-

Do-

a) *Gen.* 2. 24. *Matth.* 19. 5. *Ephes.* 5. 31.

Dominus in Evangelio comprobavit: (a) *Quare relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una,* item ex eo

b) 1. *Cor.* 7. 4.

Apostoli loco (b) *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quare optimo

c) *Lev.* 20. 10. *Deut.* 22. 22.

jure gravissimæ animadversiones a (c) Domino in adulteros, quod hanc maritalem fidem frangant, in veteri Lege constitutæ erant.

Vir qualiter uxorem diligere debeat. Vide Hier. l. 1. *contra Jovin. & cap. Origo* 32. *q.* 4.

Postulat præterea Matrimonii fides, ut vir, & uxor singulari quodam, sanctoque, & puro amore conjuncti sint: neque ut adulteri inter se ament, sed ut Christus dilexit Ecclesiam. Hanc enim regulam Apostolus præscripsit, cum ait: (d) *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam:* quam certe immensa illa charitate, non sui commodi gratia, sed sponsæ tantum utilitatem sibi proponens, complexus est.

d) *Eph.* 5. 25. *Col.* 3. 19.

25. Quid sit Sacramentum, dum inter Matrimonii bona numeratur.

Tertium Matrimonii bonum est Sacramentum.

Tertium bonum Sacramentum appellatur, vinculum scilicet Matrimonii, quod nunquam dissolvi potest. Nam, ut est apud Apostolum,

c) 1. *Cor.* 7. 10. 11. *Vide, quod supra notavimus sect.* 10.

(e) *Dominus præcepit uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat.* Si enim Matrimonium, ut Sacramentum est, Christi conjunctionem cum Ecclesia signat, necesse est, ut Christus se nunquam ab Ecclesia disjungit, ita uxorem a viro, quod ad Matrimonii vinculum attinet, separari non posse. Verum, ut hæc sancta societas sine querela facilius conservetur, viri, & uxoris officia,

quæ

quæ a (a) S. Paulo, & a (b) Principe Apostolorum Petro descripta sunt, tradenda erunt.

a) *Eph.* 5. 22. 25 *Col.* 3. 18. 1. *Tim.* 5. 14.
b) 1. *Pet.* 3. 12.

26. Quæ sint præcipua mariti officia.

Primum mariti officium.

Ergo viri munus est, uxorem liberaliter, & honorifice tractare. Qua in re meminisse oportet, Evam ab Adamo sociam appellatam esse, cum inquit, (c) *Mulier, quam dedisti mihi sociam.* Cujus rei causa aliqui Patres factum esse docuerunt, ut ea non ex pedibus, sed ex latere viri formaretur: quemadmodum etiam ex capite condita non est, ut se viri dominam non esse intelligeret, sed viro potius subjectam. Decet præterea virum in alicujus honestæ rei studio semper occupatum esse; tum ut ea suppeditet, quæ ad familiam sustentandam necessaria sunt; tum ne inerti otio langueſcat, a quo omnia fere vitia fluxerunt: deinde vero familiam recte constituere, omnium mores corrigere, singulos in officio continere.

c) *Gen.* 3. 12. *Cur mulier ex viri pedibus, vel capite non sit condita. Aug. lib.* 12. *de Civ. Dei c.* 20. ‖ *Hug. de S. Vict. in ann. sup. Gen. Secundum officium, vide c. Si quis dereliquerit, dist.* 30.

27. Uxoris officium quid requirat.

Uxoris quæ sunt præcipua officia 1. Pet. 3. 1. *& seq. Fulg. epist.* 2. *ad Gallam c.* 11. 12. *& 3. ad Probam c.* 14. † *Alias castam. Psal.* 44. 14. *Omnis gloria ejus, &c.*

Rursus autem uxoris partes sunt, quas Apostolorum Princeps enumerat, cum inquit: *Mulieres subditæ sint viris suis: ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem, sine verbo lucrifiant: considerantes in timore † sanctam conversationem vestram: quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspecta Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subjectæ propriis viris,* (d) *sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.* Earum quoque præcipuum studium sit, filios in religionis cultu

d) *Gen.* 18. 12. *Adversus mulieres ambitiosius sese ornantes, &*

excolentes scribit eleganter Gregor. Naz.

educare, & domesticas res diligenter curare. Domi vero libenter se contineant, nisi necessitas exire cogat, idque sine viri permissu facere nunquam audeant. Deinde, in quo maxime maritalis conjunctio sita est, meminerint semper, secundum Deum, magis quam virum, neminem diligendum esse, cove pluris faciendum esse neminem; cui etiam omnibus in rebus, quæ Christianæ pietati non adversantur, morem gerere, & obtemperare summa cum animi alacritate oporteat.

28. Quid de Matrimonii ritibus sentiendum sit.

Trid. Syn. sess. 24. decr. de reformatione Matrimonii cap. 1.

Harum rerum explicationi consequens erit, ut Pastores ritus etiam doceant, qui in Matrimonio contrahendo servari debeant; de quibus non est expectandum, ut hoc loco præcepta tradantur, cum a sancta Tridentina Synodo, quæ hac in re maxime observanda sint, copiose, & accurate constituta fuerint, neque illud decretum a Pastoribus ignorari possit. Satis igitur est eos admonere, ut, quæ ad hanc partem attinent, e sacri Concilii doctrina cognoscere studeant, eaque fidelibus diligenter exponant.

29. Clandestina Matrimonia rata non sunt.

Trident. Syn. ibidem c. 1.

In primis autem, ne adolescentes, & puellæ, cui ætati inest maxima imbecillitas consilii, falso nuptiarum nomine decepti, turpium amorum fœdera incaute ineant, sæpissime docebunt, ea neque vera, neque rata Matrimonia habenda esse, quæ præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, certoque testium numero non contrahuntur.

30. Tra-

30. *Tradere etiam Matrimonii impedimenta decet.*

Sed quæ Matrimonium etiam impediunt, explicanda erunt: in quo argumento plerique graves, & doctissimi viri, qui de vitiis & virtutibus conscripserunt, adeo diligenter versati sunt, ut facile omnibus futurum sit, quæ illi scriptis suis tradiderunt, in hunc locum transferre; cum præsertim necesse habeant Pastores eos ipsos libros nunquam fere e manibus deponere. Itaque tum illas præceptiones, tum quæ a sancta Synodo sancita sunt de impedimento, quod vel a cognatione spirituali, vel a justitia publicæ honestatis, vel a fornicatione oritur, attente legent, & tradenda fidelibus curabunt.

Magister sent. 4. dist. 34. & omnes Scholastici ibidem, & Canonista.

Concil. Trid. ibidem cap. 2. 3. 4.

31. *Quo animo affecti esse debeant, qui ad Matrimonium accedunt.*

Ex quibus perspici potest, quo animo affectos esse oporteat fideles, cum Matrimonium contrahunt. Neque enim humanam aliquam rem se aggredi, sed divinam putare debent: in qua singularem mentis integritatem, & pietatem adhibendam esse, Patrum veteris Legis exempla satis ostendunt; quorum Matrimonia tametsi Sacramenti dignitate prædita non erant, ea tamen semper maxima cum religione, & sanctimonia colenda esse existimarunt.

32. *Parentum consensus ad Matrimonii soliditatem requirendus.*

Inter cætera autem maxime hortandi sunt filiifamilias, ut parentibus, & iis, in quorum fide, & potestate sunt, eum honorem tribuant, ut ipsis inscientibus nedum invi-

Trid. Syn. sess. 24. decr. de reformat. Matrimonii c. 1.

tis, & repugnantibus, Matrimonia non ineant. Nam in veteri Teſtamento licet animadvertere, (a) filios a patribus ſemper in Matrimonium collocatos eſſe. Qua in re plurimum illorum voluntati deferendum eſſe, Apoſtolus videtur etiam iis verbis indicare: (b) *Qui Matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.*

a) *Gen. 24. per totum, & 28. & 29. & 21. 21.*

b) *1. Cor. 7. 38.*

33. Quidnam de actu conjugali ſit præcipiendum.

Extrema illa reſtat pars de iis, quæ ad Matrimonii uſum pertinent; de quibus ita agendum eſt a Paſtoribus, ut nullum ex eorum ore verbum excidat, quod fidelium auribus indignum eſſe videatur, aut pias mentes lædere, aut riſum movere queat. Ut enim (c) *eloquia Domini, eloquia caſta ſunt;* ita etiam maxime decet Chriſtiani populi doctorem ejuſmodi orationis genere uti, quod ſingularem quandam gravitatem, & mentis integritatem præſeferat. Quare duo illa maxime docendi ſunt fideles: primum quidem, non voluptatis, aut libidinis cauſa Matrimonio operam dandam eſſe, ſed eo utendum intra illos fines, qui, ut ſupra demonſtravimus, a Domino præſcripti ſunt. Meminiſſe enim convenit, quod Apoſtolus hortatur: (d) *qui habent uxores, tanquam non habentes ſint:* tum vero a ſancto Hieronymo dictum eſſe: *Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu: reget impetus voluptatis, nec præceps feretur ad coitum. Nihil eſt fœdius, quam uxorem amare, quaſi adulteram.*

c) *Pſalm. 11. 7.*

Duo in matrimonii uſu ſunt præcipue obſervanda.

d) *1. Cor. 7. 29. S. Hier. lib. 1. contra Jovin. in fin. & habetur in cap. Origo 32. q. 4.*

34. *Conjugibus aliquando ab officio Matrimonii abſtinendum.*

Sed quoniam bona omnia ſanctis precationibus impetranda ſunt a Deo, alterum eſt, quod fideles docere oportet, ut Deum orandi, & obſecrandi cauſa a Matrimonii officio interdum abſtineant: in primiſque id ſibi obſervandum ſciant tribus ſaltem diebus, antequam ſacram Euchariſtiam percipiant, ſæpius vero, cum ſolemnia Quadrageſimæ jejunia celebrantur, quemadmodum Patres noſtri recte, & ſancte præceperuut. Ita enim fiet, ut ipſa Matrimonii bona majori in dies divinæ gratiæ cumulo augeri ſentiant; & pietatis ſtudia ſectantes, non modo hanc vitam tranquille, & placide traducant, ſed æternæ etiam Dei benignitate conſequendæ vera, & ſtabili ſpe, (a) quæ non confundit, nitantur.

Quibus temporibus a Coniugii actu abſtinendum ſit. vide 33. q. 4. per totam, & c. Omnis homo de conſec. diſt. 2. Hier. in Apol. prol. contra Jov. poſt medium, & in cap. 12. Zach. ſup. illud, In die illa magnus erit planctus.

a) *Rom. 5. 5.*

CATECHISMI ROMANI

PARS TERTIA.

DE DECALOGO, DIVINISQUE LEGIBUS.

CAPUT I.

1. Decalogum omnium Præceptorum ſummam eſſe demonſtratur.

S. Aur. lib. 2. ſuper Exod. q. 130. Vide D. Gregor. Nazianz. orat. 40. in ſanctum Baptiſma.

Decalogum Legum omnium ſummam, & epitomen eſſe, S. Auguſtinus literis commendavit. Nam cum multa locutus ſit Dominus, duæ tamen (a) tantum Tabulæ dantur Moyſi lapideæ, quæ dicuntur Tabulæ Teſtimonii futuri in Arca. Nimirum cætera omnia, quæ præcepit Deus, ex illis decem Præceptis, quæ duabus Tabulis conſcripta ſunt, pendere intelliguntur, ſi diligenter quærantur, & recte intelligantur; quomodo hæc ipſa rurſus decem Præcepta duobus illis nituntur, dilectionis ſcilicet Dei, & proximi, (b) in quibus tota Lex pendet, & Prophetæ.

a) *Exod.* 31. 18. & 33. 15.

Decem præcepta ex duobus charitatis præceptis pendent.

b) *Matth.* 22. 40.

2. Cur Paſtores maxime Decalogum diſerte tenere, & explicare conveniat.

Itaque cum ſit totius Legis ſumma, Paſtores oportet in ejus contemplatione (c) die, noctuque verſari, non ut vitam ſuam modo ad hanc normam componant, ſed etiam ut populum ſibi creditum in Lege Domini eruant. (d) Nam *labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam,*

c) *Pſalm.* 1. 2.

d) *Mal.* 2. 7.

tiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est : quod ad Pastores novæ Legis maxime pertinet, qui Deo propiores (a) *claritate in claritatem* transformari debent, *tanquam a Domini spiritu.* Et cum eos (b) Lucis nomine nuncuparit Christus Dominus, propriæ sunt illorum partes, (c) ut sint lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistri infantium : (d) *& si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto*, ipsi, qui spirituales sunt, hujusmodi instruant.

a) 2. Cor. 3. 10.
b) Matth. 5. 15.
c) Rom. 2. 20.
d) Gal. 6. 1.

In confessionibus etiam judicis personam sustinent; ac pro genere, & modo peccatorum sententiam ferunt. Quare nisi suam sibi inscitiam, aliis etiam esse fraudi velint, in eo sint, necesse est, quam vigilantissimi, & in divinorum Præceptorum interpretatione exercitatissimi, ut ad hanc divinam regulam, de quacunque & actione, & officii prætermissione judicium facere possint; &, ut est apud Apostolum, (e) sanam doctrinam tradant, id est, quæ nullum contineat errorem, & animorum morbis, quæ sunt peccata, medeatur; ut (f) sit populus Deo acceptus, sectator bonorum operum. Jam vero in hujusmodi tractationibus ea pastor sibi, & aliis proponat, quibus Legi parendum esse persuadeat.

e) 2. Tim. 4. 5.
f) Tit. 2. 14. *Exhortandus populus ad Legis observationem.*

3. Quis Decalogi, & Legis naturæ auctor sit.

Inter cætera autem, quæ animos hominum possunt ad hujus Legis jussa servanda impellere, illud maximam vim habet, Deum esse hujus Legis auctorem. Quamvis enim (g) per Angelos data esse dicatur, nemo tamen dubitare potest, ipsum Deum esse Legis auctorem.

D. Thom. in 2. q. 98. art. 2.
g) Gal. 3. 19. Act. 1. 7. 28.

Cujus rei satis amplum testimonium præbent non solum ipsius Legislatoris verba, quæ paulo post explicabuntur, (a) sed infinita pene Scripturarum loca, quæ Pastoribus facile occurrent. Nemo enim est, quin sibi a Deo Legem in animo insitam esse sentiat, qua bonum a malo, honestum a turpi, justum ab injusto possit secernere: cujus vis, & ratio Legis, cum ab ea, quæ scripta est, diversa non sit; quis est, qui ut intimæ, sic scriptæ Legis auctorem Deum negare audeat?

a) *Exod.* 24. 22. *Levit.* 4. 22. 27. *Isa.* 33. 22. *Deus Legis naturalis conditor. Rom.* 2. 14. *vide D. Thom.* 1. 2. *q.* 91. *art.* 2.

Lex naturæ diuturna perversitate obscurata, per Legem scriptam renovatur, ac illustratur. D. Thom. 1. 2. *q.* 98. *art.* 6.

Hanc igitur divinam lucem, pene jam pravis moribus, & diuturna perversitate obscuratam, cum Deus Moysi Legem dedit, eam potius illustriorem reddidisse, quam novam tulisse docendum est; ne forte populus, cum audit Legi Moysis derogatum esse, putet his Legibus se non teneri. Certissimum enim est, non propterea his Præceptis parendum esse, quod per Moysen data sunt; sed quod omnium animis ingenita, & per Christum Dominum explicata sunt, & confirmata.

4. Quomodo ad Legem servandam ab ipso Legis Auctore populus excitari possit.

Juvabit tamen plurimum, & ad persuadendum magnum habebit momentum illa cogitatio, Deum esse, qui Legem tulit: de cujus sapientia, & æquitate dubitare non possumus, neque ejus infinitam vim, atque potentiam effugere. Quare cum per Prophetas Deus juberet servari Legem: (b) dicebat se Dominum Deum esse: & in ipso Decalogi exordio, (c) *Ego sum Dominus Deus tuus:* & alibi: (d) *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

b) *Lev.* 18. 5. 2. 19. & 20. 8.
c) *Exod.* 20. 2.
d) *Malach.* 1. 6.

5. Quan-

5. Quantum ſit beneficium Legem a Deo accepiſſe.

Non ſolum autem excitabit fidelium animos ad ſervanda Dei Præcepta, ſed ad gratiarum etiam actionem, quod ſuam Deus, quæ ſalutem noſtram contineret, voluntatem explicarit. Quare non uno loco Scriptura maximum hoc beneficium declarans, populum commonefacit, ut ſuam dignitatem, ac Dei beneficentiam cognoſcat: Veluti in Deuteronomio, (a) *Hæc eſt*, inquit, *veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, ut audientes univerſi Præcepta hæc, dicant, En populus ſapiens, & intelligens, gens magna:* Et rurſus in Pſalmis, (b) *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.*

a) *Deut. 4. 6.*

b) *Pſ. 147. 20.*

6. Quare tanta majeſtate Legem ſuam Iſraelitis olim Deus tradere voluerit.

Verum ſi Parochus præterea rationem latæ Legis ex Scripturæ auctoritate demonſtrarit, facile intelligent fideles, quam pie, ac ſuppliciter acceptam Dei Legem colere oporteat. Triduo enim; antequam ferretur Lex, Dei juſſu dictum eſt omnibus, (c) ut veſtimenta lavarent, uxores non attingerent, quo ſanctiores, ac paratiores eſſent ad accipiendam Legem, ut ad diem tertium adeſſent. Deinde, cum ad montem eſſent adducti, unde Dominus illis Legem per Moyſen erat laturus, uni Moyſi dictum eſt, ut in montem aſcenderet, quo Deus maxima cum majeſtate venit, & locum tonitruis, fulgoribus, igne, denſisque nebulis circumfudit, ac loqui cum Moyſe cœpit, eique Leges dedit. Quod divina Sapientia nullam aliam ob cauſam factum voluit, niſi

c) *Exod. 19. 10. 11. Hæc paulo poſt ſect. 7. diffuſius explicantur.*

nos ut moneret, casto, humilique animo Legem Domini accipiendam esse : quod si Præcepta negligeremus, paratas nobis a divina justitia pœnas imminere.

7. *Quomodo Lex tanto terrore promulgata, ab hominibus impleri possit : & quod nihil amore facilius sit.*

Lex observanda non modo possibilis, sed etiam facilis est. Trid. Syn. sess. 2. de Justificatione c. 11. & can. 18. 19. 20.

Quin etiam Legis justa difficultatem non habere ostendat Parochus : quod vel una hac ratione ex sancto Augustino docere poterit, cum inquit, (a) *Qui, quæso, dicitur impossibile esse homini amare, amare, inquam, Creatorem beneficum, Patrem amantissimum, deinde etiam & carnem suam in fratribus suis? at vero* (b) *qui diligit, Legem implevit.* Quare Joannes Apostolus, (c) Præcepta Dei gravia non esse, aperte testatur. Nihil enim justius, nihil cum majori dignitate, nihil majori cum fructu ab homine, teste beato Bernardo, exigi potuisset. Quamobrem summam Dei benignitatem admiratus est Augustinus, sic ipsum Deum affatus : *Quid tibi sum ipse, ut amari te a me jubeas? & nisi faciam, irascaris mihi, & ingentes mineris miserias? parvane ipsa est miseria : si non amem te?*

a) *Serm. 47. de Tempore, & ser. 61. de Sanctis.*
b) *Rom. 13. 8.*
c) *Joan. 5. 3. Matth. 11. 30. Bern. lib. de dilig. Deo.*

Aug. l. 1. Conf. cap. 5.

Virtus perficiendæ Legis per Spiritum Sanctum homini etiam imbecilli præstatur.

Quod si quis eam afferat excusationem, impediri se, quominus Deum amet infirmitate naturæ ; docendum est, Deum, qui amorem requisivit, (d) amoris vim inserere cordibus per Spiritum Sanctum suum. Hic autem (e) Spiritus bonus petentibus a Patre cœlesti datur : ut merito sanctus Augustinus precatus sit, *Da, quod jubes, & jube, quod vis.* Quia igitur Dei auxilium præsto nobis est, maxime post Chri-

d) *Rom. 5. 5.*
e) *Luc. 11. 13. S. Aug. lib. 10. Conf. c. 29. 31. 37.*

f) *Joan. 12. 11.*

sti Domini mortem, (f) per quam Princeps hu-

hujus mundi ejectus est foras, non est, quod quisquam rei difficultate deterreatur. (a) Nihil enim est amanti difficile.

a) *D. Aug. in Psal. 121. Bern. in serm. de Dom. in ram. pal. in ser. de Magdal. Sess. 6. Concil. Trid. cap. 10. & 11. & cap. 18. & 19.*

8. Teneanturne omnes homines necessario ad Legis observationem.

Præterea ad eandem rem persuadendam plurimum valebit, si explicabitur, necessario Legi obtemperandum esse: præsertim cum nostris temporibus non defuerint, qui, sive facilis, sive difficilis Lex sit, ad salutem tamen nequaquam necessariam esse, impie, & magno ipsorum malo dicere non veriti sunt. Quorum nefariam, impiamque sententiam (b) sacræ Scripturæ testimoniis Parochus confutabit, ejusdem maxime Apostoli, cujus illi auctoritate impietatem suam tueri conantur. Quid igitur ait Apostolus? (c) Non præputium, non circumcisionem quidquam esse, sed observationem mandatorum Dei. Quod vero eandem sententiam alibi repetit, & (d) novam creaturam in Christo tantum dicit valere; intelligimus plane eum novam creaturam in Christo dicere, qui Mandata Dei observat. Is enim, (e) qui habet Mandata Dei, ac servat, diligit Deum, Domino ipso teste apud Joannem: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Nam etsi justificari potest homo, & ex impio fieri pius, antequam singula Legis præcepta externis actionibus impleat; tamen fieri non potest, ut, qui per ætatem ratione uti queat, ex impio fiat justus, nisi animum habeat paratum ad omnia Præcepta Dei servanda.

b) *Rom. 2. 6. 7. 3. 9.*

c) *1. Cor. 7. 19. & 2. Tim. 4. 8. & Heb. 5. 9. 1. Pet. 1. 10. 1. Cor. 7. 10.*

d) *Gal. 6. 15.*

e) *Joan. 14. 21.*

Quæ sit nova in Christo creatura. Quomodo potest Justificari homo etiam sine operibus Legis. Ibidem 22. Ad Gal. 6.

9. Quos fructus consequantur, qui Legem divinam observant.

Ad extremum vero, ne quid prætermittat Parochus, quo fidelis populus adducatur, ut Legem servet, quam sint ejus uberes, suavesque fructus, demonstrabit. Quod facile poterit ex iis, quæ Psalmo decimo octavo scripta sunt, probare. In eo enim Legis Dei laudes celebrantur: quarum hæc est vel maxima, quæ Dei gloriam, & majestatem multo amplius explicat, quam decore suo, atque ordine faciant ipsa cœlestia corpora; quæ ut omnes quamvis barbaras nationes in sui admirationem ra-
a) *Rom.* 1. 20. piunt, ita efficiunt, (a) ut rerum omnium Opificis, & Conditoris gloriam, sapientiam, ac po-
b) *Psal.* 18. 8. tentiam agnoscant. Ac (b) Lex quidem Domini convertit animas ad Deum. Agnoscentes enim vias ejus, & Dei sanctissimam voluntatem per Legem, convertimus pedes no-
c) *Job.* 28. 28. stros in vias Domini. At quia soli (c) timentes Deum vere sapientes sunt, hoc illi deinceps tribuit, ut sapientiam præstet parvulis. Hinc veris gaudiis, & mysteriorum divinorum cognitione, ingentibus præterea voluptatibus, & præmiis & in hac vita, & in futuro sæculo illi cumulantur, qui Dei Legem observant.

10. Cum omnia voluntatem Dei faciant, hominem eandem voluntatem sequi æquissimum ostenditur.

Nec vero tam nostræ utilitatis gratia, quam Dei causa, nobis est servanda Lex, qui suam hominum generi in Lege voluntatem aperuit:
d) *Ps.* 102. 21. & 148. 8. quam cum (d) cæteræ creaturæ sequantur, hominem ipsum eandem sequi multo est æquius.

Ne

Ne id quidem ſilentio prætereundum eſt, vel in hoc maxime Deum ſuam in nos clementiam, & ſummæ bonitatis divitias oſtendiſſe, quod cum ſine ullo præmio nos potuiſſet, ut ſuæ gloriæ ſerviremus, cogere, voluit tamen gloriam ſuam cum utilitate noſtra conjungere: ut quod homini utile, idem Deo eſſet glorioſum. Quoniam igitur id maximum, & præclariſſimum eſt, docebit Parochus, ut a Propheta ultimo loco dictum eſt, (a) in cuſtodiendis illis retributionem multam eſſe. Non enim illæ tantum nobis benedictiones promiſſæ ſunt, quæ ad terrenam felicitatem magis ſpectare videbantur, (b) ut benedicti ſimus in civitate, & benedicti in agro; ſed (c) copioſa merces in cœlis, & (d) menſura bona, conferta, coagitata, & ſuperefluens propoſita eſt, quam piis, & juſtis actionibus meremur, divinæ miſericordiæ adjumento.

a) *Pſ.* 118. 12. *Benedictiones & temporales, & æternas, qui obſervant Mandata, merentur.*
b) *Deut.* 28. *per totum. Iſa.* 1. 19.
c) *Matt.* 5. 12.
d) *Luc.* 6. 38.

11. *Quo pacto Lex Moyſis omnium ætatum homines obliget, quacunque occaſione Iſraelitis promulgata fuerit.*

Quamvis hæc Lex Judæis in (e) Monte a Domino data fuerit; tamen, quoniam (f) natura omnium mentibus multo ante impreſſa, & conſignata erat, atque ob eam rem Deus univerſos homines illi perpetuo parere voluit, plurimum proderit verba illa, (g) quibus, Moyſe miniſtro, atque interprete, Hebræis promulgata eſt, & populi Iſraelitici hiſtoriam, quæ myſteriorum plena eſt, diligenter explicare.

e) *Exod.* 19. 20. & 20. 20. *Deut.* 5. 2.
f) *Rom.* 2. 15.
g) *Deut.* 5. 5. *Gal.* 3. 19.

Principio narrabit, ex omnibus nationibus, quæ ſub cœlo erant, (h) unam Deum delegiſſe, quæ ortum habuit, ab Abraham, (i) quem

h) *Deut.* 4. 37. & 59. & 26. 18.
i) *Gen.* 12.

a) *Gen.*13. 14. peregrinum esse voluit in terra Chanaam; (a) cujus possessionem cum ei pollicitus esset, tamen & ille, (b) & posteri ejus amplius quadringentos annos vagi fuerunt, antequam promissam terram incolerent: in qua quidem peregrinatione nunquam eorum curam dimisit. (c) Transibant quidem illi *de gente in gentem, & de regno ad populum alterum;* sed nunquam illis injuriam fieri passus est, (d) imo vero in Reges animadvertit. Priusquam autem in Ægyptum descenderent, (e) Virum præmisit, cujus prudentia & illi, & Ægyptii fame liberarentur. In Ægypto vero ea illos benignitate complexus est, ut repugnante, & ad illorum perniciem incumbente Pharaone (f) mirum in modum augerentur: & cum valde affligerentur, & tanquam servi durissime tractarentur, (g) Ducem Moysen excitavit, qui eos in manu potenti educeret. Hujus præcipue liberationis initio legis meminit Dominus, his verbis: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo servitutis.*

b) *Gen.*15.13. *Exod.*12.36.

c) *Ps.*104. 1.

d) *Gen. ibid.*

e) *Gen.*37.&45

f) *Exod.* 1. 12. 13.

g) *Exod.*3.&9.

12. Cur Judæi in populum a Deo delecti fuerint.

Ex his vero illud Parocho maxime animadvertendum est, unam a Deo ex universis nationibus delectam esse, quam populum vocaret suum, & cui se cognoscendum, & colendum præberet; (h) non quod cæteras justitia aut numero vinceret, quemadmodum Hebræos monet Deus; sed quod ipsi Deo sic placuit, potius ut gentem inopem, & exiguam augeret, & locupletaret, quo ejus potentia, & bonitas notior apud omnes esset, & illustrior. Cum (i) ea igitur esset illorum hominum conditio,

h) *Deut.*7.&9. *Vide D. Th. in* 1. 2. *qu.* 8. *art.* 4.

i) *Deut.*10.15.

iis

iis conglutinatus est, & eos amavit, ita ut, cum esset Dominus cœli, & terræ, non confunderetur vocari Deus eorum, (a) quo cæteras gentes ad æmulationem provocaret, ut perspecta Israelitarum felicitate, omnes homines ad veri Dei cultum se converterent: quemadmodum etiam Paulus testatur, se (b) Gentium felicitate proposita, & vera Dei cognitione, quà eas instruxerat, ad æmulationem carnem suam provocare.

a) *Deut.* 4. 5. 6.

b) *Rom.* 11. 14.

13. Cur Hebræi diu, multumque vexati sint, antequam Legem acciperent.

Deinde fideles docebit, Deum Hebræos patres diu peregrinari passum esse, posteros etiam durissima servitute premi, divexarique permisisse ob eam rem, ut doceremur, (c) amicos Dei fieri non nisi mundi inimicos, ac peregrinos in terris, itaque in Dei familiaritatem facilius recipi, si nihil omnino nobis sit commune cum mundo; tum vero, ut ad Dei cultum translati intelligeremus, quanto feliciores demum sint ii, qui Deo, quam qui mundo serviunt. Cujus rei Scriptura nos commonet, inquit enim: (d) *Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, & servitutis regni terrarum.*

c) *Jac.* 4. 4.

d) 2. *Par.* 12. 8.

Præterea explicabit, post amplius quadringentis annis, Deum promissa præstitisse, ut ille populus fide, ac spe aleretur. Alumnos enim suos Deus a se perpetuo pendere vult, atque in ejus bonitate omnem spem suam collocare, ut in primi Præcepti explanatione dicetur.

Cur Deus promissa post tam longa tempora Israelitis persolverit.

14. Cur tali loco, & tempore Lex data fuerit.

Postremo locum, ac tempus notabit, quibus hanc Legem populus Israel a Deo accepit;

Cur in deserto post Ægyptiacam liberationem po-

nem-

tius, quam alias Lex sit tradita. Quando sit opportunissimum præcepta vivendi populo inculcare.

nempe postquam eductus ex Ægypto in desertum venit; ut beneficii recentis memoria allectus, & locì asperitate, in quo versabatur, deterritus, ad accipiendam Legem aptior redderetur. Homines enim iis maxime devinciuntur, quorum beneficentium experti sunt; atque ad Dei præsidium confugiunt, cum se omni spe humana destitutos esse agnoscunt. Ex quo licet intelligere, fideles ad complectendam cœlestem doctrinam eo propensiores esse, quo se magis a mundi illecebris, & carnis voluptatibus abstraxerint: sicut per Prophetam dictum est: (a) *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.*

a) *Isa. 28. 9.*

DE

DE PRIMO PRÆCEPTO.

CAPUT II.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.

1. *Quid sibi istud exordium velit, & quænam in eo contineantur mysteria.*

Enitatur itaque Parochus, & quantum potest, efficiat, ut fidelis populus hæc verba semper in animo habeat, *Ego sum Dominus Deus tuus:* ex quibus intelligent, Legislatorem se Creatorem habere, a quo & conditi sunt, & conservantur; jureque illud usurpent; (a) *Ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus.* Quorum verborum vehemens, & frequens admonitio eam vim habebit, ut ad Legem colendam fideles promtiores reddantur, & a peccatis abstineant. Quod autem sequitur, *Qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis*, etsi Judæis tantum videtur convenire Ægyptiorum dominatu liberatis; tamen, si interiorem salutis universæ rationem spectemus; multo magis ad Christianos homines pertinet, qui non ex Ægyptiaca servitute, sed e peccati regione, & (b) potestate tenebrarum a Deo erepti, atque in regnum filii dilectionis suæ translati sunt. Cujus beneficii magnitudinem intuens Hiere-

a) *Psal.* 94. 7.

b) *Col.* 1. 13.

a) *Hier.* 16. 14. 15. & 23. 7. 8. mias prædixit illud, (a) *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur ultra, vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti, sed, vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de universis terris, ad quas ejeci eos, & reducam eos in terram suam, quam dedi Patribus eorum. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos*, & quæ sequuntur. Pater enim indulgentissimus per filium suum, (b) filios, qui erant dispersi, congregavit in unum, ut jam (c) non ut servi peccato, sed justitiæ, (d) *serviamus illi in sanctitate, & justitia, coram ipso, omnibus diebus nostris.*

Matth. 4. 19.

b) *Joan.* 11. 52.

c) *Rom.* 6. 16.

d) *Luc.* 1. 74. 75.

2. *Quemodo ex principio hujus Decalogi fideles affici debeant.*

Quare fideles omnibus tentationibus opponent, tanquam clypeum, illud Apostoli, (e) *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? Jam non sumus nostri*, (f) *sed ejus, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit. Ipse est Dominus Deus noster, qui nos* (g) *suo sanguine sibi acquisivit: quomodo* (h) *peccare poterimus in Dominum Deum nostrum?* (i) *ipsumque iterum cruci affigere?* Ut igitur vere liberi, & (k) ea quidem libertate, qua nos Christus liberavit, (l) sicut exhibueramus membra nostra servire in justitiæ, ita exhibeamus servire justitiæ in sanctificationem.

e) *Rom.* 6. 2.

f) 2. *Cor.* 5. 15.

g) *Act.* 20. 2.

h) *Gen.* 39. 9.

i) *Heb.* 6. 6.

k) *Gal.* 4. 13.

l) *Rom.* 6. 19.

Non habebis Deos alienos coram me.

3. *Quid hoc primum Præceptum observandum, fugiendumve complectatur.*

Priorem in Decalogo locum obtinere, quæ ad Deum pertinent, posteriorem vero, quæ ad proximum, docebit Parochus, quia eorum, quæ pro-

proximo præſtamus, cauſa Deus eſt. Tum enim ex Dei Præcepto proximum diligimus, cum propter Deum diligimus, ea vero ſunt in priori Tabula deſcripta. Secundo loco in verbis iis, quæ propoſita ſunt, duplex contineri Præceptum oſtendet; quorum alterum jubendi, alterum prohibendi vim habet. Nam quod dicitur, *Non habebis Deos alienos coram me*, eam habet ſententiam conjunctam, *Me verum Deum coles, alienis Diis cultum non adhibebis.*

4. Quomodo hoc præcepto fides, ſpes, & charitas contineatur.

In Priori autem continetur Præceptum fidei, ſpei, & charitatis. Nam cum Deum dicimus, (a) immobilem, (b) incommutabilem, (c) perpetuo eundem manentem (d) fidelem, rectum, ſine ulla iniquitate confitemur; ex quo ejus oraculis aſſentientes, omnem ipſi fidem, & auctoritatem tribuamus, neceſſe eſt. Qui vero omnipotentiam, clementiam, & ad benefaciendum facilitatem, ac propenſionem illius conſiderat, poterit ne ſpes omnes ſuas in illo non collocare? (e) At ſi bonitatis, (f) dilectionis & ipſius effuſas in nos divitias contempletur, poterit ne illum non amare? Hinc eſt illud procemium, hinc illa concluſio, qua in præcipiendo, mandandoque in Scriptura utitur Deus (g) *Ego Dominus.*

a) *Malach.* 3. 6.
b) *Jac.* 1. 7. 17
c) *Pſ.* 101. 28.
d) *Deut.* 32. 5.

e) *Rom.* 2. 4.
f) *Rom.* 2. 9.

g) *Lev.* 4. 5. 6. 28. *& alibi frequenter.*

5. Præceptum hoc, ut negativum eſt, exponitur.

Altera autem Præcepti pars illa eſt, *Non habebis Deos alienos coram me;* qua loquendi formula Legislator uſus eſt, non quod ſatis explicata non eſſet hæc ſententia affirmatione Præcepti in hunc modum, *Me unum Deum coles:* ſi enim

Negativa Præcepti parte multitudo Deorum prohibetur: & cur eam loquendi formulam Legislator uſurparit. Vide D. Th. in 2. 2. q. 122. art. 2.

enim Deus est, unus est: sed propter cæcitatem plurimorum, qui olim verum Deum se colere profitebantur, multitudinem tamen Deorum venerabantur. Cujusmodi inter Hebræos ipsos
a) 3. *Reg.* 18. 21 permulti fuerunt, qui, (a) ut Helias eis objiciebat, in duas partes claudicabant: quod &
b) 1. *Reg.* 17. 27. 28. 29. (b) Samaritæ fecerunt, qui Deum Israelis, & Deos Gentium colebant.

6. Quomodo hoc Præceptum omnium maximum censendum sit.

His explicatis addendum erit, hoc Præceptum esse omnium primum, & maximum, non ordine tantum ipso, sed ratione, dignitate, & præstantia. Debet enim Deus obtinere apud nos infinitis partibus majorem, quam Domini, quam Regis charitatem, & auctoritatem. Ipse nos crevit, idem gubernat; ab eo in utero matris nutriti, atque inde hanc in lucem educti sumus; ipse nobis ad vitam, victumque res suppeditat necessarias.

Quanto amore Deum colere debeamus.

7. Qui præcipue sint rei violati hujus Præcepti.

Levit. 19. 26. Peccant autem in hoc præceptum, qui fidem, spem, & charitatem non habent: quorum peccatum latissime patet. Sunt enim in hoc numero, qui in hæresim labuntur, qui non credunt ea, quæ sancta Mater Ecclesia
c) *Deut.* 18. 10. *Isa.* 2. 6. *Jerem.* 27. 9. credenda proponit, qui somniis, (c) auguriis, (d) cæterisque vanissimis rebus fidem
d) *De his agitur* 26. *q.* 2. *c. Illud, quod est.* habent, qui de sua salute spem abjiciunt, nec divinæ bonitati confidunt, qui divitiis tantum, qui corporis valitudine, ac viribus nituntur: quæ fusius ab iis explicata sunt, qui de vitiis, & peccatis conscripserunt.

8. Non adversatur huic Præcepto cultus, qui ex recepto Ecclesiæ usu Sanctis tribuitur.

Verum illud etiam in hujus præcepti explicatione accurate docendum est, venerationem, & invocationem sanctorum Angelorum, ac beatarum animarum, quæ cœlesti gloria perfruuntur, aut etiam corporum ipsorum, sanctorumque cinerum cultum, quem semper Catholica Ecclesia adhibuit, huic Legi non repugnare. Quis enim adeo demens est, qui, edicente Rege, ne se pro Rege quisquam gerat, aut regio cultu, atque honore affici patiatur, continuo putet nolle Regem, suis ut Magistratibus honos deferatur? Etsi enim (a) Angelos Christiani adorare dicuntur exemplo Sanctorum veteris Testamenti; non eam tamen illis venerationem adhibent, quam Deo tribuunt. Quod si legimus interdum Angelos recusasse, (b) ne se homines venerarentur, eo feciisse intelligendum est, quod sibi eum honorem haberi nolebant, qui soli Deo deberetur.

Vide Synod. 7. Act. 6. in fin. Aug. l. 8. de Civ. Dei c. 27. & 10. cap. 1. & lib. 21. contra Faust. c. 21. Basil. hom. 20. in 40. Mar. & 26 de Mar. Maman. Gregor. Naz. in orat. in laud. S. Cyprian. & alios.

a) *Gen.* 18. & 19. 1. *Num.* 22. 31. *Jos.* 5. 14.

b) *Apoc.* 19. 10. & 22. 9.

9. Quomodo sanctos Angelos colere liceat, ex Scripturis ostenditur.

Spiritus enim Sanctus, qui ait, (c) *Soli Deo honor, & gloria*, idem præcepit, ut (d) honore parentes, & (e) seniores afficeremus. Sancti præterea viri, qui Deum unum colebant, (f) Reges tamen, ut est in divinis Literis, adorabant, id est supplices venerabantur. Quod si Reges, per quos Deus mundum gubernat, tanto honore afficiuntur; Angelicis Spiritibus, quos Deus ministros suos esse voluit, & quorum opera non modo ad Ecclesiæ suæ, sed etiam ad reliquarum rerum gubernationem utitur, quo-

c) 1. *Tim.* 1. 17.

d) *Exod.* 20 22

e) *Levit.* 19. *Deut.* 5. 16.

f) *Gen.* 23. 12. & 42. 6. 1. 1. *Reg.* 24. 9. & 25. 23. 2. *Reg.* 9. 6. 8. *Quanto Angeli Reges dignitate antecellant. Just. in 2. Apolog. pro Christianis meminit honoris, quem Christiani*

Angelis tribuebant, & Basilius. in 40. Mar.

rumque ope maximis tum animæ, tum corporis periculis quotidie liberamur, etiamsi se nobis in conspectum non dent, tanto majorem honorem non habebimus, quanto beatæ illæ Mentes dignitate Regibus ipsis antecellunt? Adde charitatem, qua nos diligunt, qua ducti pro iis provinciis, quibus præsunt, ut ex (a) Scriptura facile intelligitur, preces fundunt: quod etiam præstare iis, quorum sunt ipsi custodes, ne dubitandum quidem est; nostras enim (b) preces Deo offerunt, & lacrymas. Quamobrem in Evangelio docuit Dominus pusillos scandalizandos non esse, (c) quod *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.*

a) *Dan.* 10. 13.

b) *Tob.* 1.

c) *Matt.* 18. 10. *Gen.* 32. 27. 28. *Nota, quod hic Angelus erat Filius Dei usque tunc in forma humana visus. Bas. Mag. Gregor. Naz. Ambr. Leo Papa Epist.* 13. *Concil. Sermiense can.* 14. *Gen.* 48. 16. *Glos. interlin.*

10. Invocandos esse sanctos Angelos ex Scripturis probatur.

Invocandi itaque sunt, quod & perpetuo Deum intuentur, & patrocinium salutis nostræ sibi delatum libentissime suscipiunt. Extant divinæ Scripturæ testimonia hujus invocationis. Jacob enim ab Angelo, qui cum luctatus fuerat, petit, ut sibi benedicat, imo etiam cogit, se enim non dimissurum illum profitetur, nisi benedictione accepta, neque solum eam sibi ab eo tribui voluit, quem intuebatur, sed ab eo etiam, quem minime videbat, tum cum dixit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.*

11. Sanctorum invocatione, & reliquiarum veneratione nihil honori Dei detrahitur.

Ex quibus etiam colligi poterit, tantum abesse, ut Sanctis, qui in Domino dormierunt, honore afficiendis, atque invocandis, & sacris eorum reliquiis, cineribusque venerandis, Dei glo-

gloria minuatur; ut eo maxime augeatur, quo magis hominum ſpem excitat, confirmat, & ad Sanctorum imitationem cohortatur. Quod officium (a) Nicæno altero & Gangrenſi, ac Tridentino Conciliis, & ſanctorum Patrum auctoritate comprobatur.

a) *Conc. Nic. II. Act. 6. Gangren. can. 20.*

12. Quibus potiſſimum argumentis Sanctorum invocatio ſtabilienda ſit.

Quo autem ſit ad refutandos eos inſtructior Parochus, qui huic veritati adverſantur, ſanctos Hieronymum contra Vigilantium, & Damaſcenum potiſſimum legat. Ad quorum rationem, quod caput eſt, accedit conſuetudo ab Apoſtolis accepta, & in Eccleſia Dei perpetuo retenta, & conſervata. Cujus rei quis firmius, aut clarius requirat argumentum divinæ Scripturæ teſtimonio, quæ Sanctorum laudes celebrat admirabiliter? Extant enim quorundam Sanctorum divina præconia; (b) quorum laudes cum ſacris Literis celebrentur, quid eſt, quod illis ſingularem honorem non habeant homines? Etſi ob eam etiam cauſam magis colendi, & invocandi ſunt, quod pro ſalute hominum preces aſſidue faciunt, multaque eorum merita, & gratia Deus in nos confert beneficia. (c) Si enim gaudium eſt in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, nonne etiam cœleſtes Cives pœnitentes adjuvabunt? nonne rogati, peccatorum veniam & impetrabunt, & conciliabunt nobis Dei gratiam?

Concil. Trident. ſeſſ. 13. Item Concil. Chalced. ſub fin. Damaſc. lib. 4. de Orthod. fide cap. 16. Sanctorum invocatio ex Apoſtolica traditione manavit. Dionyſ. lib. de Eccl. Hier. c. 7. Iren. l. 5. contra her. c. 19. Euſeb. lib. 13. Præp. Evang. cap. 7. Sanctorum laudes eſſe celebran. Scriptura docet.

b) *Eccl. 44. & ſequentibus uſque ad finem libri.*

c) *Luc. 15. 7.*

13. Illam Sanctorum invocationem ex quadam auxilii divini diffidentia, fideique imbecillitate non proficiſci demonſtratur.

Quod ſi dicatur, ut a nonnullis dicitur, ſu-

S. Aug. lib. 2. qu. 149. ſuper Exod.

& ser. 1. & 4. de S. Steph. Ambr. lib. 2. de Voc. Gentium cap. 10. Gregor. lib. 1. Dialog. c. 8. & habetur 23. q. 4. cap. 21. Hier. super Dan. c. 9. 7. 17.

pervacaneum esse Sanctorum patrocinium, quod Deus sine interprete precibus nostris occurrat: has impiorum voces illud sancti Augustini facile convincit, multa Deum non concedere, nisi mediatoris, ac deprecatoris opera, & officium accesserit. Quod illustribus (a) Abimelech, & (b) Job amicorum exemplis confirmatur: quorum peccata non nisi Abraham, & Job precibus condonavit. Si vero etiam asseratur, fieri inopia, & imbecillitate fidei, ut Sanctos internuncios, & patronos adhibeamus; quid ad illud respondebunt Centurionis exemplum, qui vel in singulari illo fidei præconio, (c) quod ei Dominus impertivit, (d) seniores tamen Judæorum ad Salvatorem misit, ut laboranti puero salutem impetrarent.

a) Gen. 20.
b) Job. 42. 8.
c) Matth. 8. 8.
d) Luc. 7. 3.

14. Doctrina de uno mediatore Christo non tollit Sanctorum invocationem.

Quare etsi fatendum est, (e) unum nobis mediatorem propositum Christum Dominum, (f) qui scilicet unus nos per sanguinem Patri cœlesti reconciliavit, & (g) qui, æterna redemptione inventa, semel in Sancta ingressus (h) pro nobis interpellare non cessat: ex eo tamen nullo modo sequi potest, quo minus ad Sanctorum gratiam confugere liceat. Nam, si propterea subsidiis Sanctorum uti non liceat, quod unum patronum habeamus Jesum Christum, nunquam id commisisset Apostolus, ut se Deo, (i) tanto studio, fratrum viventium precibus commendari vellet. Neque enim minus vivorum preces, quam eorum, qui in cœlis sunt, Sanctorum deprecatio, Christi mediatoris gloriam, & dignitatem imminuerent.

e) 1. Tim. 2. 5.
f) Rom. 5. 10. & 5. 2. Cor. 5. 18.
g) Heb. 9. 12.
h) Heb. 7. 25.
i) Rom. 15. 30. Eph. 6. 18. 19. 2. Thess. 3. 1. 2. 1. Thess. 5. 25.

15. Un-

15. Unde Reliquiarum virtus confirmetur, & quanta sit earum vis, & efficacia demonstratur.

Sed cui fidem non faciant, & honoris, qui Sanctis debetur, & patrocinii, quod noſtri cauſa ſuſcipiunt, mirabiles effectæ res ad eorum ſepulchra, & oculis, & manibus, membriſque omnibus captis in priſtinum ſtatum reſtitutis, mortuis ad vitam revocatis, ex corporibus hominum ejectis Dæmoniis? Quæ non audiſſe, ut multi, non legiſſe, ut plurimi graviſſimi viri, ſed vidiſſe, teſtes locupletiſſimi ſancti Ambroſius, & Auguſtinus literis tradiderunt. Quid plura? ſi (a) veſtes, (b) ſudaria, ſi (c) umbra Sanctorum, priuſquam e vita migrarent, depulit morbos, vireſque reſtituit; quis tandem negare audeat, Deum per ſacros cineres, oſſa, cæteraſque Sanctorum reliquias eadem mirabiliter efficere? Declaravit id cadaver illud, quod forte illatum in ſepulchrum (d) Eliſæi, ejus tacto corpore, ſubito revixit.

Ambr. lib. 7. Ep. 59. & 60. & ſer. 91. de ſanctis Agnete, & 92. & 93. de Sanctis Gervaſio, & Protaſio. Aug. lib. 22. Civ. Dei cap. 8.

a) 4. *Reg.* 2. 14.
b) *Act.* 19. 12.
c) *Act.* 5. 15.

d) 4. *Reg.* 13. 21.

16. Verba ſequentia non alterum, ſed unum cum præcedentibus Præceptum conſtituunt.

Quod vero ſequitur, *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo, & quæ in terra deorſum, neque eorum, quæ ſunt in aquis, ſub terra; non adorabis ea, neque coles*, quidam hoc alterum Præceptum exiſtimantes, duo poſtrema ipſa unius Præcepti vi contineri voluerunt. At ſanctus Auguſtinus illa extrema dividens, hæc ipſa verba ad primum Præceptum pertinere voluit, quam ſententiam, quia in Eccleſia celebris eſt, libenter ſequimur: etſi in promptu ratio eſt illa veriſſima, conſentaneum fuiſſe,

Sculptilia non ſunt abſolute prohibita, ſed tantum ſculptilia Deorum aliorum. Dam. lib. 4. c. 17. Imagines fuerunt in Lege naturæ. Gen. 28. 31. & 35. fuerunt in Lege ſcripta. Exod. 25. Num. 21. in Lege Evangelica ab Apoſtolorum temporibus, ut imago Chriſti fuſilis.

præmium, & pœnam cujuſque cum primo Præcepto conjungi.

37. Adverſus hoc Præceptum non pugnat receptus in Eccleſia Imaginum uſus.

Nec vero quis exiſtimet, omnino pingendi, fingendi, aut ſculpendi artem hoc Præcepto prohiberi. Nam in Scripturis juſſu Dei ſimulacra, & Imagines effectas legimus, (a) Cherubim, (b) ac ſerpentis ænei. Supereſt igitur, ut Imagines ob eam rem vetitas interpretemur, ne quid, Simulacris quaſi Diis colendis, de vero Dei cultu detraheretur.

a) *Exod.* 25. 18.

b) 3. *Reg.* 6. 23. 24. 2. *Paral.* 3. 7. *Num.* 21. 8. 9.

38. Quibus præſertim modis per Imagines divinum Numen violari poſſit.

Duplici ratione Imaginibus violari poteſt divina Majeſtas.

Duplici autem potiſſimum ratione, quod ad hoc Præceptum attinet, Dei majeſtatem vehementer lædi perſpicuum eſt: altera, ſi Idola, & Imagines, tanquam Deus, colantur, aut credatur ineſſe in his aliqua divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis aliquid ſit petendum, vel quod fiducia ſit in (c) Imaginibus figenda; veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant, quod paſſim ſacræ Literæ reprehendunt.

c) *Iſ.* 10. 10. & 40. 15. 19. *Sap.* 13. 16. 17. 18. *Pſal.* 113. 8. *Deut.* 4. 17. *Iſa.* 40. 18. *Actor.* 17. 25. *Dam. lib.* 4. *de orth. fid.* c. 17.

Altera, ſi quis conetur divinitatis formam aliquo artificio effingere, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit. *Quis enim Deum*, ut inquit Damaſcenus, *qui ſub aſpectum non cadit, qui corporis expers eſt, qui nullis terminis circumſcribi, nec ulla figura deſcribi queat, poſſit exprimere?* quæ res in altera Nicæna Synodo uberius explicatur. Præclare igitur Apoſtolus, (d) eos mutaſſe Dei incorruptibilis gloriam in ſimilitudinem corrupti-

d) *Rom.* 1. 23.

ruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, ac ſerpentium dixit. Hæc enim omnia tanquam Deum venerabantur, cum illi harum rerum Imagines ponerent. Quocirca Iſraelitæ, qui ante vituli Simulacrum clamabant, (a) *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, Idololatræ ſunt appellati, quia (b) *mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.*

a) *Exo.* 32. 4.

b) *Pſ.* 105. 20.

19. *Quis ſit poſterioris iſtius partis Præcepti ſenſus.*

Cum igitur Dominus Deos alienos coli prohibuiſſet, ut penitus Idololatriam tolleret, Imaginem Divinitatis ex ære duci, aut quavis alia materia fieri prohibuit. Quod Iſaias declarans inquit: (c) *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam Imaginem ponetis ei?* Atque in hoc Præcepto hanc ſententiam contineri, præter ſanctorum Patrum ſcripta, qui eam, quemadmodum in ſeptima Synodo expoſitum eſt, ſic interpretantur, illa etiam Deuteronomii verba ſatis declarant, ubi Moyſes populum cum ab Idololatria vellet avertere, ajebat: (d) *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis.* Quod ſapientiſſimus Legislator ideo dixit, ne quo errore ducti Divinitatis imaginem fingerent, Deoque debitum honorem rei creatæ tribuerent.

c) *Iſa.* 40. 18. *Act.* 17. 20. *Syn.* 7. *Act.* 2. *&* 3. *vid. item Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *non procul a principio.*

d) *Deut.* 4. 15.

20. *Hoc præceptum, qui Trinitatis perſonas effingunt, non violant.*

Nemo tamen propter ea, quæ nunc ſunt dicta, contra religionem, Deique Legem quicquam committi putet, cum ſanctiſſimæ Trinitatis aliqua perſona quibuſdam ſignis exprimitur,

a) *Gen.* 18. 2. *Exod.* 33. 23. b) *Matt.* 3. 16. & 17. 5.

tur, (a) quæ tam in veteri, quam in (b) novo Teſtamento apparuerunt. Nemo enim tam rudis eſt, ut illa Imagine Divinitatem credat exprimi: ſed illis declarari doceat Paſtor proprietates aliquas, aut actiones, quæ Deo tribuuntur. Veluti, cum ex (c) Daniele pingitur antiquus dierum in throno ſedere, ante quem libri aperti ſunt, Dei æternitas, & infinita ſapientia ſignificatur: qua omnes hominum & cogitationes, & actiones, ut de iis judicium ferat, intuetur.

c) *Dan.* 7. 9.

21. Angeli qua ratione pingantur.

Angelis etiam tum humana ſpecies, tum alæ affinguntur; ut intelligant fideles, quam propenſi ſint in humanum genus, & tanquam parati ad miniſteria Domini exequenda. (d) *Omnes* enim *adminiſtratorii ſpiritus ſunt propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

d) *Hebr.* 1. 14. *Dion. lib. de Cæl. Hierar. cap. ult. Conc. Nican. II.*

22. De columba, in qua Spiritus Sanctus depingitur.

Columbæ vero ſpecies, & (e) linguæ tanquam ignis in Evangelio, & actis Apoſtolorum, quas Spiritus Sancti proprietates ſignificent, multo notius eſt, quam ut oporteat pluribus verbis explicari.

e) *Matth.* 3. 16. *Marc.* 1. 10. *Luc.* 3. 21. *Joan.* 1. 32. *Act.* 2. 2.

23. Chriſti, & Sanctorum Imagines pingi, & honorari debent.

Imaginum uſus eſt Apoſtolica traditionis. Conc. Nican. II. Act. 7.

At vero cum Chriſtus Dominus, ejuſque ſanctiſſima, & puriſſima Mater, cæterique omnes Sancti humana prædíti natura humanam ſpeciem geſſerint; eorum Imagines pingi, atque honorari, non modo hoc Præcepto interdictum non fuit, ſed etiam ſanctum: & grati animi certiſſimum argumentum ſem-

ſemper habitum eſt. Quod & Apoſtolicorum temporum monumenta, & Oecumenicæ Synodi, & tot ſanctiſſimorum, doctiſſimorumque Patrum inter ſe conſentientium ſcripta confirmant.

24. Quis ſit legitimus in Eccleſia Imaginum uſus.

Non ſolum autem licere in Eccleſia Imagines habere, & illis honorem, & cultum adhibere, oſtendet Parochus, cum honos, qui eis exhibetur, referatur ad prototypa : verum etiam maximo fidelium bono ad hanc uſque diem factum declarabit, ut ex Damaſceni libro, quem de Imaginibus edidit, & ſeptima Synodo, quæ eſt ſecunda Nicæna, intelligitur. Verum, quia ſanctiſſimum quodque inſtitutum Hoſtis humani generis ſuis fraudibus, & fallaciis depravare contendit, ſi quid forte populo hac in re peccatum fuerit, Parochus Tridentini Concilii decretum ſecutus, quoad ejus fieri poterit, ſtudebit corrigere ac decretum quidem ipſum, cum res tulerit, populo interpretabitur ; tum rudes, & qui Imaginum ipſarum inſtitutum ignorant, docebit, Imagines factas ad utriuſque Teſtamenti cognoſcendam hiſtoriam, atque ejus memoriam identidem renovandam, qua divinarum rerum memoria excitati, ad colendum, atque amandum ipſum Deum vehementius inflammemur, Sanctorum quoque Imagines in Templis poſitas demonſtrabit, ut & colantur, & exemplo moniti, ad eorum vitam, ac mores nos ipſos conformemus.

Baſil. lib. de Spiritu Sancto c. 18. Dam. lib. 4. de orth. fide c. 17. Concil. Nicænum II. paſſim.

Trid. Syn. ſeſſ. 25. ſub principium. c. de invocatione Sanctorum. Quis ſit legitimus imaginum uſus.

Exod. 20. 5. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia iis, qui diligunt me, & custodiunt Præcepta mea.

25. *Non pertinet hæc appendix duntaxat ad primum Præceptum.*

Lex omnis aut pœna, aut præmio res humanas moderatur. Dist. 3. cap. Omnis autem.

Duo sunt in extrema parte hujus Præcepti diligenter explicanda. Primum est, quod, etsi ob summum scelus prævaricationis primi Præcepti, atque hominum ad id committendum propensionem, apte hoc loco pœna proponitur; communis tamen est omnium appendix Præceptorum. Omnis enim Lex ad præcepta servanda homines pœna, & præmio inducit. Hinc illæ tam frequentes in sacris Literis, & crebræ Dei promissiones. Ut enim innumerabilia pene Testamenti veteris testimonia præ-

a) *Matt.* 19. 17. termittamus, in Evangelio scriptum est: (a) *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata:* & ali-

b) *Matt.* 7. 21. bi, (b) *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum:* tum illud,

c) *Matt.* 3. 10. (c) *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, ex-*

d) *Matt.* 5. 22. *cidetur, & in ignem mittetur:* &, (d) *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio:* atque alibi,

e) *Matt.* 6. 15. (e) *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

26. *An eodem modo pœna prævaricatoribus hic intentata, carnalibus, & perfectis inculcanda sit.*

Alterum est, quod longe alia ratione perfecti, alia carnales homines hanc appendicem edo-

edocendi ſunt. Perfectis enim, (a) qui Spiritu Dei aguntur, eique prompto, & alacri animo parent, inſtar eſt cujuſdam lætiſſimi nuncii, & magnum argumentum propenſæ in eos divinæ voluntatis. Agnoſcunt enim ſui amantiſſimi Dei curam, qui nunc præmiis, nunc pœnis ad ſui cultum, & venerationem homines prope compellat; agnoſcunt immenſam ejus in ſe benevolentiam, qui ſibi imperare, ſuaque opera ad divini nominis gloriam uti velit: neque ſolum agnoſcunt; ſed magna in ſpe ſunt, illum cum quod vult, jubeat, etiam daturum vires, quibus Legis ipſius parere poſſint. At carnalibus, qui nondum (b) ſpiritu ſervitutis liberati ſunt, magiſque metu pœnarum, quam amore virtutis abſtinent a peccatis, ejus appendicis ſenſus gravis, & acerbus eſt. Quamobrem ſunt piis exhortationibus ſublevandi, & quo Lex ſpectat, quaſi manu ducendi. Parochus autem, quoties alicujus explicandi Præcepti occaſio inciderit, eadem hæc ſibi habeat propoſita.

a) *Rom. 8. 14. Perfecti quid in pœna hic propoſita contemplentur. S. Aug. lib. 10. Confeſſ. c. 29.*

b) *Rom. 8. 14.*

27. *Quid verba illa, Ego ſum Deus fortis, meditandum proponunt.*

Carnalibus perinde tamen, ac ſpiritualibus, duo in primis quaſi aculei ſunt admovendi, qui ad Legem obſervandam hac ipſa in appendice poſiti homines maxime incitent. Nam quod Deus fortis dicitur, ideo diligentius eſt explicandum, quod caro ſæpe, quæ terroribus divinæ comminationis minus commovetur, varias ſibi ipſa rationes fingit, quibus iram Dei effugere, ac propoſitam pœnam vitare poſſit, cui autem certo perſuaſum eſt, Deum

Pœna primo Præcepto ſubiecta poſt ſingula Præcepta eſt refricanda. Duobus aculeis excitat Deus homines ad Legis obſervationem. Primo, cum auditur, quod Legislator ſit Deus fortis, carnalis præſumptio frangitur.

Deum fortem esse, illud magni Davidis usurpat: (a) *Quo ibo a spiritu tuo: & quo a facie tua fugiam?* Eadem quoque divinis interdum diffisa promissis, tantas hostium vires esse credit, ut ad sustinendum minime parem sese esse existimet: at firma, & stabilis fides (b) nihil titubans, cum divina vi, ac virtute nitatur, homines contra recreat, atque confirmat. Inquit enim; (c) *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?*

a) *Psal.* 138. 7. *Carnalis timor retunditur.*

b) *Jacob.* 1. 6.

c) *Psal.* 26. 1. *Secundum ad Legis observationem incitamentum est zelus divinus.*

28. *Quid sibi velit, quod Deus se etiam dicat Zelotem.*

Alter vero aculeus, zelus ipse divinus est. Nonnunquam enim homines putant, (d) Deum humana non curare, ne illud quidem, Legem ipsius servemus, an negligamus; ex quo sequitur magna vitæ confusio: cum autem Deum zelotem credimus, ejus rei meditatio facile nos in officio continet.

d) *Job* 22. 13. 14 *Psal.* 72. 12.

29. *Cujusmodi zelus Deo sit attribuendus.*

Zelus vero, qui Deo tribuitur, nullam animi significat perturbationem, sed divinum illum amorem, & charitatem, qua Deus nullam a se animam patitur impune fornicari; (e) quotquot autem ab eo fornicantur, perdit. Est itaque zelus Dei tranquillissima ejus, sinceriſſimaque justitia, qua anima falsis opinionibus, pravisque cupiditatibus corrupta repudiatur, & a Dei conjugio tanquam adultera removetur. At vero zelum hunc Dei suavissimum, ac dulcissimum experimur, cum summa ejus, atque incredibilis in nos voluntas zelo ipso demonstratur. Nec enim aut amor ardentior inter homines, aut major, arctiorque con-

Zelus quid sit, vide D. Thom. in 1. 2. q. 28. *art.* 4.

e) *Psal.* 72. 26. *Dion. in lib. de divin. nomin. c.* 3. *Ambr. in Ps.* 118.

conjunctio, quam eorum, qui conjugio copulati sunt, reperitur. Igitur, quam nos valde diligat, ostendit Deus, cum crebro se vel sponso, vel marito comparans, Zelotem vocat. Quamobrem Parochus, hoc loco sic divini cultus, atque honoris cupidos homines esse debere, ut zelantes potius, quam amantes, jure dici possint, illius exemplo, qui de se ipso, (a) *Zelo*, inquit, *zelatus sum pro Domino Deo exercituum*; imo vero Christum ipsum imitentur, cujus illud est, (b) *Zelus domus tuæ comedit me.*

Quanto Zelo divini honoris studiosi homines esse debeant.

a) 3. *Reg.* 19. 14

b) *Psal.* 68. 10. *Joan.* 2. 17.

30. *Quæ sit comminationis hic intentata sententia.*

Est autem comminationis explicanda sententia, non inultos peccatores passurum Deum, sed eos vel tanquam parentem castigaturum, vel tanquam judicem acriter, ac severe in eos animadversurum. Quod alio in loco significans Moyses, (c) *Et scies*, inquit, *quia Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis, & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & iis, qui custodiunt Præcepta ejus, in mille generationes; & reddens odientibus se statim.* Et Josue (d) *Non poteritis*, inquit, *servire Domino; Deus enim sanctus, & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris, atque peccatis. Si dimiseritis Dominum, & servieritis Diis alienis, convertet se, & affliget vos, atque subvertet.*

c) *Deut.* 7. 9.

d) *Josue* 24. 19. 20.

31. *Quomodo Deus visitet peccata patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.*

Docendus autem est populus, comminationis pœnam ad tertiam, quartamque impiorum, & facinorosorum generationem pertinere; non quod posteriores majorum scelerum pœnas

semper luant; sed licet illi, liberique eorum impune tulerint, non omnis tamen eorum posteritas iram Dei, vel pœnam evitabit. (a) Quod Josiæ Regi accidit, huic enim propter singularem pietatem cum peperciſſet Deus, dedisſetque, ut in pace in sepulchrum majorum suorum inferretur, (b) ne videret consequentium temporum mala, quæ (c) propter Manassis avi impietatem, Judæ, & Jerusalem erant eventura, eo mortuo, posteros ejus est ultio Dei consecuta, sic, (d) ut ne filiis quidem Josiæ pepercerit.

a) 4. *Reg.* 28. 19. 2. *Paral.*

b) 4. *Reg.* 23. 30. 2. *Paral.* 35. 24.

c) 4. *Reg.* 28. *Jerem.* 15. 4.

d) 4. *Reg.* 24. 3.

32. Quomodo hæc verba cum verbis Ezechielis conveniant.

Objectionis solutio.

Qua autem ratione hæc Legis verba sententiæ illi, quæ est apud Prophetam, non adversentur, (e) *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*, sancti Gregorii auctoritas cum reliquis omnibus antiquis Patribus consentiens aperte ostendit. Inquit enim: *Quisquis pravi parentis iniquitatem imitatur, etiam ex ejus delicto constringitur: quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam illius delicto gravatur.* Unde fit, ut iniquus filius iniqui patris non solum sua, quæ addidit, sed etiam patris peccata persolvat; cum vitiis patris, quibus iratum Dominum non ignorat, suam etiam malitiam adjungere non formidat: & justum est, ut qui sub districto judice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita præsenti etiam culpas parentis iniqui persolvere. Commemorabit deinde Parochus, quantum (f) Dei justitiam superet ejusdem bonitas, ac misericordia: irascitur tertiæ, quartæque ge-

e) *Ezech.* 18. 4. *Gregor. lib.* 25. *Moral. cap.* 31. *Vid. item D. Th. in* 1. 2. *q.* 87. *art.* 8. *&* 2. 2. *q.* 108. *art.* 4.

Dei misericordia longe eiusdem Justitiam superat.

f) *Jacob.* 2. 13.

neræ-

nerationi Deus, misericordiam vero in millia impertit.

33. *Quomodo divinarum Legum prævaricatores Deum odisse censeantur.*

In eo autem, quod dictum est; *Eorum, qui oderunt me*: peccati magnitudo ostenditur. Quid enim flagitiosius, ac detestabilius, quam summam ipsam bonitatem, summam veritatem odisse? Hoc vero ad omnes peccatores idcirco pertinet, quod quemadmodum (a) *qui habet Mandata Dei, & servat ea: Deum diligit*; ita qui Legem Domini contemnit, & Mandata ejus non servat, Deum odisse merito dicendus est.

Odium Dei omnium est peccatorum maximum. D. Thom. in 1. 2. q. 73. art. 4. & in 2. 2. q. 34. art. 1.

a) *Joan. 14. 21.*

34. *Quid sit illud, Faciens misericordiam his, qui diligunt me.*

Quod vero extremum est, *Et iis, qui diligunt me*, servandæ Legis modum, ac rationem docet. Necesse est enim eos, qui Legem Dei servant, eadem charitate, atque amore, quo in Deum sunt, ad ejus obedientiam adduci: quæ deinceps in singulis præceptis commemorabuntur.

Amore, & charitate Lex perficienda. Videatur Synod. Trid. de Justific. sess. 6. cap. 18.

DE SECUNDO PRÆCEPTO.

CAPUT III.

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.

1. Cur Deus hanc Legem de suo ipsius Nomine honorando ferre voluerit.

De hoc Præcepto vide D. Thom. in 2.2. q. 100. art. 5. & 2. 2. q. 122. art. 3. vide item Magist. in 3. dist. 39.

Quamquam primo divinæ Legis Præcepto, quo Deum pie, sancteque colere jubemur, hoc, quod secundo loco sequitur, necessario continetur: (nam qui sibi honorem tribui vult, idem postulat, se ut summo verborum honore prosequamur, prohibetque contraria: quod & illa Domini verba apud Malachiam aperte indicant: (a) *Filius honorat patrem, & servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?*) Deus tamen pro rei magnitudine hanc de suo ipsius divino, & sanctitatis pleniſſimo Nomine honorando Legem separatim ferre, idque nobis distertis, & perspicuis verbis præscribere voluit.

a) Malach. 1. 6.

2. Quantum niti Parochi debeant in hujus Præcepti explicatione.

Quod sane Parocho ipsi argumento in primis esse debet, nequaquam satis fore, si hac de re generatim loquatur; sed ejusmodi locum hunc esse, in quo diutius ipsum commorari, & quæcunque ad hanc tractationem pertinent, distincte, dilucide, accurateque apud fideles ex-

explicare, neceſſe ſit. Neque vero nimia hæc diligentia cenſenda eſt, cum non deſint, qui adeo errorum tenebris obcæcati ſint, ut (a) quem Angeli glorificant, ei maledicere non vereantur. Neque enim Lege ſemel lata deterrentur, quominus Dei majeſtatem quotidie imminuere, imo ſingulis pene horis, ac momentis impudentiſſime audeant. Quis enim non videat, omnia jurejurando affirmari, omnia imprecationibus, & execrationibus referta eſſe? uſque adeo ut nemo fere vel vendat aliquid, vel emat, vel negotium aliquod gerat, qui non jusjurandi religionem interponat, Deique ſanctiſſimum Nomen milies vel in re leviſſima, & inani temere non uſurpet. Quo major Parocho cura, & diligentia adhibenda eſt, ut ſæpe fideles admoneat, quam grave hoc ſcelus ſit, & deteſtabile.

a) *Pſal.* 88. 8 *Iſa.* 6.

3. Quid ſecundum iſtud Præceptum imperet, vel prohibeat.

Jam vero in hujus Præcepti explicatione id primum conſtet, cum eo, quod Lex fieri prohibet, earum etiam rerum præceptionem conjunctam eſſe, quas præſtare homines debent. Utrumque autem ſeparatim docendum eſt; primum quidem, ut ea, quæ tradenda ſunt, facilius exponantur, quid jubeat Lex: mox etiam, quid vetet. Nam, quæ imperat, illa ſunt, Nomen Dei eſſe honorandum, ac per illud ſancte jurandum: hæc rurſus, quæ prohibet: nemo divinum Nomen contemnat, nemo illud in vanum aſſumat, neve per ipſum aut falſo, aut fruſtra, aut temere juret.

Sub Præcepto negativo oppoſita affirmatio includitur, quia negatio præſupponit affirmationem. Ariſt. lib. 2. de Cœlo tex. 18.

4. Quid Dei Nomine hic intelligatur.

In ea itaque parte, qua jubemur divino Nomini honorem tribuere, Parochus fidelibus præcipiat, Dei Nomen, ipsius inquam literas, & syllabas, aut omnino per se nudum verbum tantummodo attendendum non esse, sed in eam cogitationem veniendum, quid valeat illa vox, quæ omnipotentem, ac sempiternam majestatem unius, & trini numinis significat. Ex his autem facile colligitur inanem esse nonnullorum Judæorum superstitionem, qui, quod scriberent Dei Nomen, pronunciare non auderent; quasi in quatuor illis literis, non in re divina vis esset. Sed quamvis singulari numero prolatum sit, *Non assumes Nomen Dei*, id non de uno aliquo Nomine, sed de omnibus, quæ Deo tribui solent, intelligendum est. Multa enim Deo imposita sunt nomina, ut *Domini*, (a) *Omnipotentis* (b) *Domini exercituum*, (c) *Regis regum, fortis*, & alia id genus, quæ in Scripturis leguntur, quæ parem, eandemque venerationem habent omnia. Deinde docendum est, quomodo divino Nomini debitus honor adhibeatur. Neque enim Christiano populo, cujus ore Dei laudes assidue celebrandæ sunt, rem utilissimam, & perneccssariam, ad salutem ignorare fas est.

Nomen tetragrammaton, ἀνεκφώνητον vocari scribit Hieron. ep. 136. Judæosque in hac parte multi Christiani sequuntur. Vide Geneb. l. 1. Chronol.

a) *Exo. 15. 3.*
b) *Isa. 6. 3.*
c) *Apoc. 19. 16.*
De his Dei Nominibus vide Hier. epist. 136. De Nomine vero Dei proprio. D. Thom. in 1. p. q. 13. art. 11.

5. Qua ratione divinum Nomen venerari, aut honorare censeamur.

Quamvis autem multiplex sit ratio laudandi divini Nominis; tamen in iis, de quibus deinceps hic dicetur, vis, & pondus omnium videtur esse.

Divinum Nomen laudatur per ipsius confessionem. Matth. 10.

Primum igitur laudatur Deus, cum in omnium conspectu Deum, ac Dominum nostrum fi-

fidenter confitemur, Chriſtumque ſalutis noſtræ auctorem, quemadmodum agnoſcimus, ita etiam prædicamus.

Itemque cum verbo Dei, quo voluntas ejus enunciatur, ſancte & diligenter operam damus, & in ejus meditatione aſſidue verſamur, ſtudioſe illud addiſcimus, aut legendo, aut audiendo, perinde ut cujuſque perſonæ, aut muneri aptum, & conſentaneum eſt. *Et cum eius ſermones reverenter tractamus.* 2. Cor. 2. 7.

Deinde divinum Nomen veneramur, & colimus, cum officii, & religionis cauſa divinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus tum proſperis, tum adverſis illi ſingulares gratias agimus. Inquit enim Propheta, (a) *Benedic anima mea Domino, & noli oblivi ſci omnes retributiones ejus:* extantque plurimi (b) David Pſalmi, quibus egregia quadam erga Deum pietate divinas illius laudes ſuaviſſime decantat. Extat admirabile illud patientiæ exemplum (c) Job, qui cum in maximas illas, horribileſque calamitates incidiſſet, Deum tamen excelſo, & invicto animo laudare nunquam intermiſit. Nos itaque cum animi, corporiſque doloribus cruciamur, cum miſeriis, & ærumnis torquemur, ſtatim ad Deum laudandum omne ſtudium, & animi noſtri vires convertamus, illud Job dicentes, (d) *Sit Nomen Domini benedictum.* *Et cum ei de omnibus gratias agimus.* a) *Pſal.* 102. 2. b) *Pſ.* 9. 30. 34. 65. *& plurimi alii.* c) *Job* 1. 21. c. 2. 10. d) *Job* 1. 21.

6. *Quomodo huic item Præcepto alias pareamus.*

Neque vero minus Dei Nomen honoratur, ſi fidenter opem ejus imploramus, quo ſcilicet aut nos ab illis liberet, aut ad eadem fortiter perferenda conſtantiam, & robur largiatur. Hoc enim fieri vult Dominus (e) *Invoca*, inquit, *me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis* *Item dum fideliter invocatur.* e) *Pſal.* 49. 15. *& præcipue in Pſ.* 16. 43. *&* 118.

cabis me; cujus implorationis multis in locis illustria reperiuntur exempla.

Per Jusiurandum Dei Nomen laudatur.

Præterea Dei Nomen honore prosequimur, cum fidei faciendæ causa testamur Deum: qui modus a superioribus valde differt. Nam quæ supra enumeravimus, ita suapte natura bona sunt, atque expetenda: ut nihil homini beatius, nihil optabilius possit esse, quam si in illis sedulo exequendis se ipsum dies, noctesque exerceat. (a) *Benedicam*, inquit David, *Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo;* at jusjurandum licet bonum sit, ejus tamen frequens usus minime est laudabilis.

a) *Psal.* 33. 1.

7. Quare jurisjurandi frequentior usus non sit probandus.

Cui fini Jusiurandum serviat, quisve eius sit legitimus usus.

Hujus autem discriminis ratio in eo posita est, quod jusjurandum ea tantum de causa institutum est, ut esset tanquam remedium quoddam humanæ imbecillitatis, & ad probandum, quod dicimus, necessarium instrumentum. (b) Ut enim corpori medicamenta adhibere non expedit, nisi necesse sit, eorundem vero frequentatio omnino pernicios est; ita etiam, nisi cum gravis, & justa causa subest, † jurejurando uti non est salutare: quod si sæpius adhibeatur, tantum abest, ut prosit, ut magnum detrimentum afferat. Quamobrem præclare docet sanctus Chrysostomus, non nascente, sed jam adulto mundo, cum mala longe, lateque propagata universum terrarum orbem occupassent, nihilque suo loco, & ordine consisteret, sed perturbata omnia, & permista sursum, deorsumque magna rerum confusione ferrentur, &, quod malorum omnium gravissimum est, mor-

b) *Aug. in ser. Dom. in monte. l. 1. cap. 3. & habetur 22. qu. 1. c. Ita ergo. Chrys. hom. 26. ad popul. Antioc.*

† *Jurisiurandi consuetudo salutaris non est, habent quadam exemplaria.*

mortales fere omnes in fœdam Idolorum ſervitutem ſeipſos abjeciſſent, tum denique longo ſane intervallo jusjurandum in hominum conſuetudinem irrepſiſſe. Nam cum in tanta hominum perfidia, & iniquitate, nemo facile ad credendum adduceretur, Deum teſtem invocabant.

8. In quo conſiſtat juramenti ratio, quidque proprie ſit jurare.

Verum cum in hac Præcepti parte præcipua illa ſit ratio docendi fideles, quomodo jusjurandum pie, ſancteque adhibere debeant; primum dicendum eſt, *jurare* nihil aliud eſſe, niſi Deum teſtari, quacunque id verborum forma, & conceptione fiat. Nam &, *Teſtis eſt mihi Deus*, &, *per Deum*, idem ſunt: Eſt etiam illud jusjurandum, cum ad faciendam fidem per res creatas juramus, ut, *Per ſacra Dei Evangelia*, *per Crucem*, *per Sanctorum reliquias*, *& nomen*, & cætera id genus. Neque enim hæc ipſa per ſe jurijurando auctoritatem, aut robur aliquod afferunt; ſed Deus ipſe hoc præſtat, cujus divinæ majeſtatis ſplendor illis in rebus eluceſcit. Ex quo ſequitur, ut per Evangelium jurantes, per Deum ipſum jurent, cujus veritas Evangelio continetur, & declaratur: ſimiliter & per Sanctos, (a) qui templa Dei ſunt, quique Evangelicæ veritati crediderunt, eamque omni obſervantia coluerunt, & per gentes, & nationes latiſſime diſſeminarunt.

Jurare quid valeat apud Scripturas. Aug. Serm. 28. de verb. Apoſt. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. Pondera illud cant. 2. & 3. Adjuro vos filiæ Hieruſalem per capreas, &c. Cum per rem creatam juratur, Deus, qui viribus addidit, non excluditur. Alex. de Ales 3. par. q. 63. mem. 2.

a) 1. Cor. 3. 16.

9. De ea jurisjurandi forma, quæ per execrationem fit.

Eadem eſt ratio illius jurisjurandi, quod per execrationem profertur: quale eſt illud S. Pau-

D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. ad 3. argum.

a) 2. Cor. 1. 23. li, (a) *Ego teſtem Deum invoco in animam meam.* Etenim hoc pacto aliquis Dei judicio tanquam mendacii ultori ſubjicitur. Neque propterea negamus, nonnullas ex hiſce formulis ita accipi poſſe; quaſi jurisjurandi vim non habeant: ſed tamen utile eſt, quæ de jurejurando dicta ſunt, in his etiam ſervare, atque ad eandem prorſus normam, & regulam dirigere.

10. Quotuplex ſit juramentum.

Duo autem ſunt jurandi genera: Primum quidem, quod aſſertorium appellatur, nimirum cum aliquid de re præſenti, aut præterita religioſe affirmamus, ut Apoſtolus in Epiſtola ad b) Gal. 1. 20. Galatas, (b) *Ecce coram Deo, quia non mentior.*

Duo ſunt Juramentorum genera. D. Thom. ibid. & Doct. in tit. de Jureiurando.

Alterum vero promiſſorium dicitur, ad quod etiam comminationes referuntur, futurum tempus ſpectans, cum aliquid ita fore pro certo pollicemur, & confirmamus: cujuſmodi eſt illud Davidis, qui Berſabeæ conjugi jurans per Dominum Deum ſuum, promiſit, Salomonem ejus filium regni hæredem fore, atque in ipſius locum ſucceſſurum.

11. Quot ſint ad legitimum juramentum requiſita.

Verum enim vero licet ad jusjurandum ſatis ſit, Deum teſtem adhibere; tamen, ut rectum, ſanctumque ſit, multo plura requiruntur, quæ ſunt diligenter explicanda. Ea vero breviter, teſte Divo Hieronymo, Jeremias enumerat, cum inquit: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in juſtitia:* quibus ſane verbis illa breviter, ſummatimque complexus eſt, quibus omnis jurisjurandi perfectio continetur, veritatem, inquam, judicium, & juſtitiam.

Jerem. 4. 2. D. Hieron. in eundem locum, ut habetur 22. q. 2. c. animadvertendum, & in 3. Iſa. 39. vide item cap. etſi Chriſtus de Jureiurando, & D. Thom. in 2. 2. q. 89. art. 3. Aug. ſer. 28. de verb. Apoſt.

12. Qua-

12. Quomodo juramentum præſtetur in veritate.

Primum itaque in jurejurando locum veritas habet, nimirum ut quod aſſeritur, & ipſum verum ſit, & qui jurat, id ita eſſe arbitretur, non quidem temere, aut levi conjectura adductus, ſed certiſſimis argumentis. Alterum vero jurisjurandi genus, quo aliquid promittimus, eodem plane modo veritatem requirit. Nam qui aliquid pollicetur, ita animatus eſſe debet, ut, cum tempus advenerit, id re ipſa præſtet, & promiſſum exolvat. Neque enim vir probus id unquam ſe facturum recipiet, quod ſanctiſſimis Dei Præceptis, & voluntati adverſari putet; ſed quicquid promittere, & jurare licuerit, id ſemel promiſſum nunquam mutabit; niſi fortaſſe, commutata rerum conditione, tale eſſe inceperit, ut jam ſi fidem ſervare: & promiſſis ſtare vellet, Dei odium, & offenſionem ſubiret. Veritatem autem jurejurando neceſſariam eſſe, David quoque indicat illis verbis (a) *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit.*

Vide 2. 2. qu. 2. ubi multa habet Sanctorum dicta de Juramento non ſervando male præſtito.

a) *Pſal.* 14. 5.

13. Quis dicatur jurare in judicio, quamque ob cauſam pueris juramentum non ſit deferendum.

Sequitur ſecundo loco judicium. Neque enim jusjurandum temere, & inconſiderate, ſed conſulto, & cogitato adhiberi debet. Itaque juraturus primum quidem conſideret, utrum neceſſitate cogatur, nec ne; remque totam accurate expendat, an ejuſmodi ſit, ut jurejurando indigere videatur. Tempus præterea ſpectet, locum attendat, aliaque permulta, quæ rebus adjuncta ſunt, circumſpiciat; non odio, non amore, aut animi perturbatione aliqua impel-

Adversus hanc conditionem peccavit Jephte.

pellatur, sed ipsius rei vi, & necessitate. Etenim, nisi hæc consideratio, & diligens animadversio antecesserit, sane Jusjurandum præceps, & temerarium erit: cujusmodi est illorum irreligiosa affirmatio, qui in re levissima, & inani, nulla ratione, aut consilio, sed prava quadam consuetudine jurant. Id vero passim quotidie a venditoribus, & emptoribus fieri videmus. Nam illi, ut quamplurimo vendant, hi rursus, ut quamminimo emant, res venales vel laudare, vel vituperare jurejurando non dubitant.

Can. 22. q. 5. c. Honestum, Cum itaque judicio, & prudentia opus sit, pueri vero ita acute perspicere, ac distinguere nondum per ætatem possint, idcirco constitutum est a sancto Cornelio Pontifice, ne a pueris ante pubertatem, hoc est, ante decimum quartum annum, jusjurandum exigatur.

14. Quo pacto in justitia juretur.

Reliqua est justitia, quæ maxime in promissis requiritur. Quare si quis injustum aliquid, vel inhonestum promittit, & jurando peccat, & promissis faciendis scelus scelere cumulat. Extat hujus rei in Evangelio exemplum Herodis regis, (a) qui temerario jurejurando obstrictus, puellæ saltatrici caput Joannis Baptistæ, tanquam saltationis præmium, dedit. Tale etiam fuit Judæorum jusjurandum, qui seipsos, ut est in Actis Apostolorum, ea conditione devoverunt, nihil gustaturos, donec Paulum occidissent.

a) *Marc. 6. 23.*

Act. 23. 12.

15. Quibus præcipue rationibus intelligatur jusjurandum esse aliquando licitum.

Jurare licitum esse tradunt Patres in Concil. His ita explicatis, nulla plane dubitatio relinquitur, quin illi tuto jurare liceat, qui hæc

omnia

omnia ſervaverit, quique hiſce conditionibus, tanquam præſidiis quibuſdam, jusjurandum munierit. Sed & argumentis multis id probare facile eſt. Nam Lex Domini, (a) quæ immaculata eſt, & (b) ſancta, hoc præcepit. *Dominum*, inquit, *Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis*, & a Davide ſcriptum eſt: (c) *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo.*

Præterea (d) ſacræ Literæ indicant, ipſa Eccleſiæ lumina ſanctiſſimos Apoſtolos jurejurando aliquando uſos eſſe: idque ex Apoſtoli epiſtolis apparet.

Adde, quod & Angeli ipſi interdum jurant. Nam a ſancto Joanne Evangeliſta in Apocalypſi ſcriptum eſt (e) Angelum juraſſe per Viventem in ſæcula.

Quin etiam & (f) Deus ipſe jurat Angelorum Dominus: & in veteri Teſtamento multis in locis Deus promiſſiones ſuas jurejurando confirmat: ut (g) Abrahæ, & (h) Davidi, qui illud de Dei jurejurando prodidit; *Juravit*, inquit, *Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.*

Volet. VIII. c. 2. ut hab. 23. q. 1. cap. 1. Aug. ſup. ep. ad Galat. c. 1. & in ep. 154. & multis aliis, quæ habentur ead. qu. Item ex c. eſſ Chriſtus de Jureiur.

a) *Pſal.* 18. 8.

b) *Rom.* 7. 12. 22. *Deut.* 6. 13.

c) *Pſal* 62. 12.

d) *Apoſtoli jurant. Rom.* 1. 9. & 1. *Cor.* 15. 31. 2. *Cor.* 1. *Angeli jurant.*

e) *Apoc.* 10. 5. *Dan.* 12. 7. *Deus ipſe Jurat.*

f) *Ad Heb.* 16. 17.

g) *Gen.* 22. 19. & *Pſal.* 109. 4. *Exod.* 33.

h) *Pſal.* 109. 4. & *Pſal.* 12. 11.

16. *Jusjurandum vite præſtitum eſſe in laude reponendum probatur.*

Neque vero obſcura eſt ratio ad explicandum cur jusjurandum laudabile ſit, ſi quis attentius totam rem conſideret, & ipſius ortum, finemque intueatur. Etenim jusjurandum a fide originem ducit, qua homines credunt, Deum totius veritatis eſſe auctorem, qui nec decipi unquam poſſit, nec alios decipere, cujus (i) oculis nuda ſunt omnia, & aperta, qui (k) denique univerſis rebus humanis admirabili pro-

D. Thom. in 2. 2. q. 89. a. 1. & 4. *Juristiurandi uſurpandi origo.*

i) *Hebr.* 4. 13.

k) *Sap.* 8. 1. *Matth.* 6. 16. & 10. 29.

vi-

videntia consulit, mundumque administrat. Hac igitur fide homines imbuti, Deum veritatis testem adhibent, cui fidem non habere, impium, & nefarium erit.

17. Jurisjurandi finis est controversiarum, & litium finis.

D. Thom. in 2. 2. q. 98. art. 1.

Quod vero ad finem attinet eo tendit jusjurandum, atque id omnino spectat, ut hominis justitiam, & innocentiam probet, finemque litibus, & controversiis imponat: quod

a) *Heb. 6. 16.* etiam (a) Apostolus in Epistola ad Hebræos docet.

18. Quomodo Christus juramentum prohibuerit.

Objectionis tacitæ solutio.

Neque huic sententiæ verba illa Salvatoris

b) *Matt. 5. 33. 34.* nostri apud sanctum Matthæum repugnant: (b) *Audistis, quia dictum est antiquis, non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thro-*

c) *Matt. 5. 35. 36.* *nus Dei est, neque per terram, quia* (c) *scabellum est pedum ejus, neque per Hierosolymam, quia civitas est Regis magni, neque per caput tuum juraveris, quia*

d) *Jac. 5. 12.* *non potes unum capillum album facere, aut nigrum* (d) *Sit autem sermo vester, est, est, non, non; quod autem his abundantius est, a malo est.* His enim verbis jusjurandum universe, & generatim damnari non est dicendum; cum jam supra viderimus, Dominum ipsum, Apostolosque frequenter jurasse; sed perversum Judæorum judicium Dominus redarguere voluit, quo sibi in animum induxerant, nihil in jurejurando cavendum esse præter mendacium: itaque de rebus levissimis, & nullius momenti & ipsi jurabant frequentissime, & ab aliis jusjurandum exigebant. Hunc morem Salvator reprehendit, atque im-

Falsa Judæorum de Jureiurando opinio.

pro-

probat; docetque, omnino a jurejurando abstinendum esse, nisi cogat necessitas.

Quomodo Juramentum permittat Christus.

19. Quomodo Christus dixerit, illud, quod ad simplicem veritatis assertionem accedit, esse a malo.

Nam propter humanam imbecillitatem jusjurandum institutum est, & revera a malo provenit: quandoquidem aut jurantis inconstantiam indicat, aut illius, cujus causa juramus, contumaciam, qui, ut credat, aliter adduci non potest. Sed tamen jurandi necessitas excusationem habet. Et quidem, dum inquit Salvator, (a) *Sit sermo vester, est, est, non, non,* hac loquendi formula satis declarat, se jurandi consuetudinem in colloquiis familiarium, & levium rerum prohibere. Quamobrem illud præcipue a Domino admonemur, ne faciles nimium, & propensi ad jurandum simus; idque sedulo docendum erit, & fidelium auribus inculcandum. Infinita enim fere mala ex nimia jurandi consuetudine emanare, & sacrarum Literarum auctoritate, & sanctissimorum Patrum testimoniis comprobatur. In Ecclesiastico scriptum est: (b) *Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa.* Item, (c) *Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga.* Plura hac de re legi possunt apud sanctos Basilium, & Augustinum in libris contra mendacium. Et hactenus de jussis, nunc de vetitis dicatur.

Quomodo Juramentum sit a malo. Aug. ita interpretatur l. 1. serm. Dom. c. 30. & habetur 22. q. 1. c. ita ergo.

a) *Matt. 5. 37.*

Quanta mala jurandi consuetudo secum trahat.

b) *Eccl. 23. 9. & 27. 15.*
c) *Eccl. 23. 12.*

20. Cur juramentum falsum, & temerarium sit tam grande peccatum.

Vetamur divinum Nomen in vanum assumere. Apparet enim, eum gravi peccato se obstringere, qui non consilio, sed temeritate

S. Basil. in illud Psal. 54.

Qui iurat proximo suo. Vide c. primum est 22. q. 2. ex lib. de mend. c. 14.

ad

ad jurandum fertur. Graviſſimum autem delictum hoc eſſe, illa etiam verba declarant: *Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum*: quaſi rationem afferrent, cur hoc facinus ſceleſtum adeo, ac nefarium ſit: nimirum propterea, quod ejus majeſtas minuitur, quem nos Deum, ac Dominum noſtrum eſſe profitemur. Hoc igitur Præcepto prohibetur, ne homines falſum jurent, nam qui a tanto ſcelere non refugit, ut Deum falſo teſtetur, hic inſignem Deo injuriam facit; quippe qui aut illi inſcitiæ notam inurit, dum ipſum alicujus rei veritatem latere arbitratur, aut certe improbitatis, & pravi affectus, qui mendacium teſtimonio velit confirmare.

Peccant graviter adverſus hoc Præceptum illi, qui falſo iurant. Vide D. Thom. in 2. 2. q. 98. art. 2.

21. *Quomodo pejerent illi, qui jurant eſſe verum, quod verum eſt.*

Jurat autem falſo, non is ſolum, qui, quod falſum ſcit, verum eſſe jurando affirmat, ſed ille etiam, qui jurejurando id aſſerit, quod, cum verum ſit, tamen ipſe falſum putat. Nam cum mendacium ea re mendacium ſit, quod contra mentem, & animi ſententiam profertur: perſpicuum eſt, hunc plane mentiri, & perjurum eſſe.

Aug. de verb. Apoſt. ſerm. 28. & hab. 22. qu. 2. cap. homines. Quid ſit mendacium, Aug. in lib. cont. mend. cap. 4. & D. Thom. in 2. 2. q. 110. art. 1.

22. *Jurans falſum, quod verum eſſe putat, quomodo peccet.*

Simili quoque ratione pejerat, qui id jurat, quod verum exiſtimat, & tamen revera falſum eſt, niſi, quantum potuit, curam, & diligentiam adhibuerit, ut totam rem compertam, atque exploratam haberet. Quamvis enim ipſius oratio menti conſentiat, tamen hujus Præcepti reus eſt.

23. *Qui*

23. *Qui non ſervat, quod juravit, aut fovit ſe facturum, qualiter peccet.*

Ejuſdem vero peccati reus cenſendus eſt, qui ſe aliquid jurejurando facturum promittit, cum tamen aut promiſſum implere in animo non fuerit, aut, ſi fuit, quod promiſit, re ipſa non præſtat. Quod etiam ad eos pertinet, * qui cum ſe voti ſponſione Deo obligarunt, non præſtant.

D. Thom. in 2. 2. q. 89. art. 7.

* *Vota ſancte ſervanda traditur. Lev. 27. per tot. & Num. 6. per tot. & Deut. 23. 21. 22. & ſeq. Jud. 11. 3. Pſalm. 75. 12. Eccl. 5. 3. & multis in aliis Scripturæ locis. Jusiurandum de re mala prohibitum. 22. q. 4. cap. in malis, & cap. qui Sacramento, &c. non ſemper, & cap. neceſſe eſt. Peccat, qui iurat ſe non obtemperaturum conſiliis Evangelicis. D. Thom. in 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2.*

24. *Peccatum mortiferum juraus, vel contra conſilium Evangelicum, ut peccet.*

Præterea in hoc præceptum peccatur, ſi deſit juſtitia, quæ ex tribus jurisjurandi comitibus una eſt. Itaque ſi quis juret ſe peccatum aliquod mortiferum commiſſurum, exempli cauſa, cædem hominis, hujus Præcepti reus eſt, licet ille ſerio, atque ex animo dicat, atque jusjurandum veritatem habeat, quam primo loco requiri declaravimus. His adjungi debent illa jurandi genera, quæ a contemptu quodam proficiſcuntur, cum quis jurat ſe non obtemperaturum conſiliis Evangelicis: cujuſmodi ſunt, quæ ad cœlibatum, & paupertatem hortantur. Quamvis enim nemo ea neceſſario ſequi debeat; ſi quis tamen juret, nolle ſe illis parere conſiliis, is eo jurejurando divina conſilia contemnit, & violat.

25. *Levibus conjecturis adductus jurans peccat.*

Præterea hanc Legem is violat, & judicio peccat, qui, quod verum eſt, jurat; idque ita ſe habere exiſtimat, levibus quibuſdam conjecturis adductus, & longe petitis. Nam etſi ejuſmodi jusjurandum veritas comitatur, ſubeſt tamen aliquo modo falſum. Nam qui

Quarto hic peccant leviter virum instantes.

sic negligenter jurat, in magno pejerandi periculo versatur.

26. Qui per falsos Deos jurat, graviter peccat.

a) *Exod.* 23. 13. *D. August. epist.* 154. *& innuit D. Thom. in* 2. 2. *q.* 13. *art.* 1.

Falso præterea jurat, qui (a) per falsos Deos jurat. Quid enim est a veritate alienius, quam mendaces, & fictitios Deos, tanquam verum Deum testari?

27. Dei verbum inhonorans, vel male interpretando, vel ad vana convertendo, peccat.

b) *Lev.* 19. 12.

Verum, quoniam Scriptura, cum perjurium interdixit, inquit, (b) *Nec pollues Nomen Dei tui*, neglectio prohibetur, quæ fugienda est in reliquis, quibus ex Præcepti hujus auctoritate honor debetur: quale est verbum Dei, cujus majestatem non solum pii, sed impii interdum etiam reverentur, (c) ut in Judicum historia de Eglon Moabitarum rege memoriæ traditum est. Dei autem verbum summa injuria afficit, quicunque sacram Scripturam a recta, & germana ejus sententia ad impiorum dogmata, & hæreses flectit: cujus sceleris admonet nos Princeps Apostolorum his verbis: (d) *Sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Præterea sordis, & inhonestis maculis sacra Scriptura contaminatur, cujus ejus verba, & sententias, quæ omni veneratione colenda sunt, ad profana quæque nefarii homines torquent, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, assentationes, detractiones, sortes, libellos famosos, & si quæ alia sunt id genus: in quod peccatum sacra Tridentina Synodus animadverti jubet.

c) *Jud.* 3. 20. *Sacras Scripturas ad hæresim inflectentes, & quomodocunque deviantes peccant.*

d) 2. *Pet.* 3. 16. *& 2. Cor.* 2. 17. *& 4.* 2. *Vide item c. hæresis.* 24. *q.* 3. *& Can. Syn. Trul. c.* 19 *& cap. exit. de verb. sign. in* 6.

Trid. Syn. sess. 4. *in fine.*

28. *Qui*

28. *Qui Deum in ſuis calamitatibus non invocant, ut peccent.*

Deinde, ut ii Deum honorant, qui ejus opem, atque auxilium in ſuis calamitatibus implorant, ita debitum Deo honorem ii negant, qui illius ſubſidium non invocant: quos redarguit David, cum inquit: (a) *Deum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* a) *Pſal.* 13. 5. & 52. 6.

29. *Graviſſima omnium horum peccatorum eſt in Deum, ejuſque Sanctos blaſphemia.*

At vero longe magis deteſtabili ſcelere ſe ipſos adſtringunt, qui ſacroſanctum Dei Nomen, ab omnibus creaturis benedicendum, & ſummis laudibus extollendum, aut etiam Sanctorum nomen cum Deo regnantium impuro, & contaminato ore blaſphemare, atque execrari audent. Quod quidem peccatum uſque adeo atrox, atque immane eſt, ut interdum ſacræ (b) Literæ, ſi de blaſphemia ſermo incidat, benedictionis nomine utantur. *Lev.* 24. 25. 10. *Num.* 16. 30. *Iſa.* 1. 4. & 37. 4. b) 3. *Reg.* 21. 23. *Jud* 1. 11. 2. 9.

30. *Cur huic Præcepto ſuæ quædam minæ ſint ſubjectæ.*

Quoniam vero pœnæ, & ſupplici terror peccandi licentiam vehementer coercere ſolet, idcirco Parochus, ut hominum animos magis permoveat, atque ad hoc Præceptum ſervandum facilius impellat, alteram illius partem, & quaſi appendicem diligenter explicabit: (c) *Neque enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit Nomen Domini Dei ſui fruſtra.* Ac primum quidem doceat, ſumma ratione factum eſſe, ut huic Præcepto minæ adjungerentur: quo quidem & peccati gravitas, & in nos Dei benignitas agnoſcitur, (d) qui cum hominum perditione non delectetur, ne ipſius iram, & offen- *D. Thom. in* 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 3. c) *Exod.* 20. 7. *Tob.* 3. 22. *Sap.* 1. 13. d) *Tob.* 3. 22. *Sap.* 1. 13.

ſionem ſubeamus, hiſce ſalutaribus minis nos deterret, nimirum, ut illum potius benevolum, quam iratum experiamur. Urgeat hunc locum Paſtor, inſtetque ſummo ſtudio, ut populus ſceleris gravitatem agnoſcat, & illud deteſtetur vehementius, & in eo evitando majorem diligentiam, & cautionem adhibeat.

Hominum proclivitas ad hoc peccatum.

Oſtendat præterea, quanta ſit hominum proclivitas ad hoc peccatum committendum, ut non ſolum ſatis fuerit Legem ferre, niſi etiam minæ adderentur. Incredibile enim eſt, quantum ejus cognitio utilitatis habeat. Nam ut nihil æque nocet, atque incauta quædam animi ſecuritas; ita propriæ imbecillitatis cognitio plurimum prodeſt. Tum illud etiam declaret, nullum a Deo certum ſupplicium conſtitutum fuiſſe, ſed tantum univerſe minari, quicunque ſe hoc ſcelere aſtrinxerit, non impune laturum. Quapropter diverſa ſupplicia, quibus quotidie affligimur, hujus peccati nos admonere debent. Hinc enim facile licet conjicere, homines ea re in maximas calamitates incidere, quod huic Præcepto non obtemperent: quibus ſibi propoſitis, cautiores eos in poſterum fore veriſimile eſt. Fideles itaque ſancto timore perterriti, omni ſtudio peccatum hoc fugiant. Nam ſi (a) omnis verbi otioſi in extremo Judicio reddenda ratio eſt, quid de graviſſimis ſceleribus dicendum, quæ magnam divini Nominis deſpicientiam præſeferunt?

a) *Matth.* 12. 36.

DE

DE TERTIO PRÆCEPTO.

CAPUT IV.

Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.

Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt & requievit in die ſeptimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit eum. *Exod.* 20. 9. *Deut.* 5. 14.

1. Quid tertio hoc Præcepto fidelibus imperetur.

Hoc Legis Præcepto externus ille cultus, qui Deo a nobis debetur, recte, atque ordine præſcribitur. Eſt enim hic veluti quidam prioris præcepti fructus; quoniam quem intimis ſenſibus pie colimus, fide, & ſpe adducti, quam in eo poſitam habemus, non poſſumus eum non externo cultu venerari, eidemque gratias agere. Et quoniam hæc ab iis, qui humanarum rerum occupationibus detinentur, non facile præſtari poſſunt, certum *Trid. Syn. ſub fin. ult. ſeſſionis decr. de ciborum delectu & feſtis diebus. V. item D. Thom. in* 1. 2. *q.* 122. *art.* 4. *de conſ. diſt.* 3. *c. pronunciandum, & c. irreligioſa, & c. permovit, & de feriis, c.* 1. *&* 2. *&* 3.

tempus ſtatutum eſt, quo ea commode effici queant.

2. *Cur præcipue danda opera ſit Parocho, ut, quod hic præſcribitur, perpetua fidelium memoria retineatur.*

Feſtis diebus conciones ſacræ ſant audiendæ. Conc. Chart. 4. cap. 2. & Trid. ſeſſ. 24. c. 4. de ref. & poteſt colligi ex Act. 13. 27. 42. 44. & 15. 21. & 18. 4.

Itaque cum hoc Præceptum hujuſmodi ſit, ut fructum, & admirabilem utilitatem afferat; maximi intereſt, Parochi ſummam in eo explicando diligentiam adhiberi. Ad ejus autem inflammandum ſtudium magnam vim habet primum illud Præcepti verbum, *Memento.* Nam quemadmodum fideles tale Præceptum meminiſſe debent; ſic Paſtoris eſt, in eorum memoriam illud & monendo, & docendo ſæpe redigere. Quantum vero fidelium referat, hoc Præceptum colere, ex eo perſpicitur, quod eo diligenter colendo, ad reliqua Legis juſſa ſervanda facilius adducentur. Cum enim inter cætera, quæ diebus feſtis præſtare debent, neceſſe habeant, verbi Dei audiendi cauſa, ad Eccleſiam convenire; cum edocti fuerint (a) divinas juſtificationes, illud etiam conſequentur, ut ex toto corde cuſtodiant Legem Domini. Quamobrem ſæpiſſime Sabbati celebritas, cultuſque præcipitur in ſacris Literis, ut in (b) Exodo, (c) Levitico, (d) Deuteronomio, apud (e) Iſaiam, (f) Jeremiam item, (g) & Ezechielem Prophetas videre licet: quibus omnibus in locis hoc de Sabbati cultu traditum eſt Præceptum.

a) *Pſal. 118. 33. 34.*

b) *Exod. 16. 30. 30. & 31. 13. 14. 15. & 35. 2.*
c) *Lev. 16. 19 & 19. 3. 30. & 20. 2.*
d) *Deut. 5. 12. 13. 4.*
e) *Iſ. 56. 2. 4. 5. & 58. 13.*
f) *Jer. 17. 21. 22. 24. 27.*
g) *Ezech. 20. 13. 16. 20. & 22. 8. 20. & 23. 28. & 44. 24.*

3. *Quomodo Principes ad Eccleſiæ Præſidibus opitulandum hortandi ſint.*

Monendi vero, & hortandi ſunt Principes, & Magiſtratus, ut in iis maxime, quæ ad hunc cultum Dei retinendum, atque augendum per-

Exod. 16. 20. 31.

ti-

tinent, Ecclesiæ Præsides auctoritate sua juvent, jubeantque, populum Sacerdotum Præceptis obtemperare. Quod autem ad hujus Præcepti explanationem attinet, danda est opera, ut fideles doceantur, quibus rebus hoc Præceptum cum cæteris conveniat, quibusve differat ab iis. Hoc enim pacto causam illi, rationemque cognoscent, quare non Sabbatum, sed diem Dominicum colamus, sanctumque habeamus.

Trid. Syn. sess. ult. decr. de ref. c. 4. vide item 20. nos ad fidem. & c. Cum ad verum & c. fin. & multa alia dist. 96. Inde etiam factum est, ut piè Principes legibus fidem tutati sint ut patet eod. de sum. Trin. & fid. Cathol. & eod. de Hæret.

4. Qua ratione hoc Præceptum a cæteris Decalogi Legibus discrepet.

Certa igitur illa differentia videtur, quod reliqua Decalogi Præcepta naturalia sunt, & perpetua, neque ulla ratione immutari possunt. Quo factum est, ut, quamvis Lex Moysis abrogata sit, omnia tamen Præcepta, quæ duabus Tabulis continentur, populus Christianus servet. Quod ideo fit, non quia Moyses ita jusserit, sed quod naturæ conveniunt, cujus vi ad illa servanda homines impelluntur. Hoc autem de Sabbati cultu Præceptum, si statutum tempus spectatur, non fixum, & constans est, sed mutabile; neque ad mores, sed ad cæremonias pertinet; neque naturale est; quoniam non a natura ad id docti, aut instituti sumus, ut illo die potius, quam alio externum Deo cultum tribuamus; sed ex eo tempore, quo populus Israeliticus a Pharaonis servitute est liberatus, diem Sabbati coluit.

Decalogi omnia Præcepta sunt naturalia, excepto Præcepto de Sabbati observatione. D. Aug. ep. 119. ad Jan. cap. 17. D. Thom. in 2.2. q. 122. art. 4. Etiam ante Legem Moysi datam Præceptum colendi Sabbatum fuit.

5. Tempore mortis Christi Legis cæremoniis sublatis, etiam Sabbatum, qua parte fuit cæremoniale, sublatum est.

Tempus autem, quo Sabbati cultus tollendus erat, illud idem est, quo cæteri Hebraici

Rom. 3. 20. 21. 27. 28. & 4. 5. 6. 7. 8. ad Gal. &

Heb. fere per totum. Act. 15. 28. 29. D. Thom. 1. 2. q. 103. a. 3. & 4.

cultus, cæremoniæque antiquandæ erant, morte scilicet Christi. Nam, cum illæ cæremoniæ sint quasi adumbratæ imagines lucis, & veritatis, illud utique necesse erat, ut (a) lucis, ac (b) veritatis, quæ Jesus Christus est, adventu removerentur. Qua de re S. Paulus ad Galatas ita scripsit, cum Mosaici ritus cultores reprehenderet: (c) *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos: timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis:* in quam etiam sententiam scripsit ad (d) Colossenses. Et hæc de differentia.

a) *Joan. 1. 5. & 3. 12.*

b) *Joan. 17. & 14. 6.*

c) *Gal. 4. 10. 15.*

d) *Col. 2. 16. 17.*

6. Quo pacto tertium hoc Præceptum cum reliquis novem consentiat.

D. Thom. in 2. 2. q. 122. art. 4.

Conveniat autem hoc Præceptum cum reliquis, non ritu, & cæremoniis, sed quia aliquid habet, quod ad mores, naturæque jus attineat. Nam Dei cultus, ac religio, quæ hoc Præcepto exprimitur, a naturæ jure existit; cum illud natura comparatum sit, ut aliquot horas in iis, quæ ad Dei cultum pertinent, versemur, cujus rei argumento est, quod apud omnes nationes statas quasdam ferias, easque publicas fuisse cernimus, quæ sacris rebus, ac divinis obeundis erant consecratæ. Est enim naturale homini, ut is certum quoddam tempus necessariis rerum functionibus det, veluti corporis quieti, somno, & aliis hujusmodi rebus: & quemadmodum corpori, ita eadem naturæ ratione factum est, ut menti etiam aliquid temporis concederet, quo in Dei contemplatione sese reficeret. Atque ita, cum aliqua temporis pars esse debeat, quo res divinæ colantur, cultusque Deo debitus tribuatur: hoc sane ad morum Præcepta pertinet.

7.

7. Diem Dominicum pro die Sabbati Apoſtoli colendum ordinaverunt.

Quam ob cauſam Apoſtoli ex illis ſeptem diebus, eum, qui primus eſt, ad divinum cultum conſecrare ſtatuerunt, quem & diem Dominicum dixere. Nam & ſanctus Joannes in (a) Apocalypſi Dominici diei meminit; & (b) Apoſtolus per unam Sabbati, quæ eſt dies Dominicus, ut S. Chryſoſtomus interpretatur, Collectas fieri jubet: ut intelligamus, jam tum in Eccleſia diem Dominicum ſanctum habitum eſſe. Jam vero, ut ſciant Fideles: quid eo die agere, a quibuſve actionibus abſtinere debeant, non alienum eſt, ut Parochus totum Præceptum, quod in quatuor partes recte diſtribui poteſt, ad verbum diligenter interpretetur.

a) *Apoc.* 1. 10.
b) 1. *Cor.* 16. 2. *Actor.* 20. 7. *Chryſoſt. hom.* 13. *in* 1. *Cor. c. Apoſt. Can.* 67. *Ignat. Epiſt. ad Magneſ. Juſt. apol.* 2. *Tert. in apol. c.* 16. *& de cor. mil. c.* 3. *& de idol. c.* 14. *Cypr. ep.* 33. *&* 59. *Clem. Alex. l.* 2. *Strom. Orig. hom.* 7. *in Exod. & alii. D. Thom. in* 1. 2. *qu.* 100. *art.* 7. *ad* 5.

8. Quid verbo, Memento, hic generatim præſcribatur.

Itaque primum generatim proponat, quid iis verbis præſcribatur, *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.* Ob eam vero cauſam initio Præcepti verbum illud, *Memento*, appoſite additum eſt, quod hujus diei cultus ad cæremonias pertineat. Qua de re populus admonendus eſſe videbatur, cum naturæ Lex, etſi aliquo tempore Deum religionis ritu colendum eſſe doceat, hoc tamen quo potiſſimum die fieri deberet, non præſcripſit.

Præterea fideles docendi ſunt, ex iis verbis modum, & rationem colligi poſſe, qua in tota hebdomada opus facere conveniat, ita ſcilicet, ut diem feſtum ſemper ſpectemus: quo die cum actionum, & operum noſtrorum Deo

Omnes dies piis operibus ſunt transigendi.

quasi reddenda ratio sit, ejusmodi opera efficiamus necesse est, quæ neque Dei judicio repudientur, neque nobis, ut scriptum est, (a) in singultum sint, & in scrupulum cordis.

a) 1. Reg. 25. 31.

Nulla occasione a Sabbati sanctificatione abstinendum est.

Postremo id docemur, quod certe animadvertere debemus, non defuturas scilicet occasiones, quamobrem nos hujus Præcepti capiat oblivio, vel aliorum, qui illud negligunt, exemplo adductos, vel spectaculorum, ludorumque studio, quibus plerumque ab hujus diei sancto, religiosoque cultu abducimur. Sed jam ad id veniamus, quod Sabbati significatione demonstratur.

9. *Quid* Sabbatum: & Sabbatizare *in sacris Literis, denotet.*

Hier. in interpr. nom. Heb. a verbo Scabbath, id est, quievit, vel cessavit.

Sabbatum Hebraicum nomen, si Latine interpretaris, cessatio dicitur: *Sabbatizare* propterea cessare, & requiescere Latino vocabulo appellatur. Qua significatione factum est, ut Sabbati nomine dies septimus diceretur; (b) quoniam, absoluta, perfectaque mundi universitate, Deus ab omni opere, quod fecerat, requievit: ita hunc diem (c) in Exodo Dominus vocat. Postea vero non solum septimus hic dies, sed ob ejus dignitatem ipsa etiam hebdomada eo nomine appellata est, in quem (d) sensum Pharisæus apud S. Lucam dixit, *jejuno bis in Sabbato.* Atque hoc quidem de Sabbati significatione.

b) Gen. 2. 3.

c) Exod. 20. 12. & 31. 7. Deut. 5. 14.

d) Luc. 18. 12.

10. *Quomodo fideles Sabbatum sanctificare dicantur.*

Sanctificatio autem Sabbati sacris in Literis cessatio est, quæ fit a corporis laboribus, & a negotiis; ut aperte ostendunt hæc, quæ sequuntur; Præcepti verba: *Non facies in eo quic-*

quicquam operis. Neque vero id solum significat, (aliter enim satis fuisse dicere, ut est in Deuteronomio, *Observa diem Sabbati*) sed cum eodem in loco addatur, *Ut sanctifices eum*, hoc verbo ostenditur, Sabbati diem religiosum esse, divinisque actionibus, ac sanctis rerum officiis consecratum. Itaque diem Sabbati tum plene ac perfecte celebramus, cum pietatis, & religionis officia Deo præstamus: hocque plane Sabbatum est, (a) Isaias delicatum appellat, quoniam dies festi sunt veluti deliciæ Domini, & piorum hominum. Quare sic religioso huic, sanctoque Sabbati cultui misericordiæ adjungantur opera, certe maxima sunt (b) & multa præmia, quæ nobis eodem capite proponuntur.

Deut. 5. 12.

a) *Is.* 58. 13.

b) *Is.* 58. 6. 7.

11. *Quæ sit germana superiorum verborum sententia.*

Itaque verus, ac proprius hujus Præcepti sensus eo spectat, ut homo & animo, & corpore in eam curam incumbat, ut statuto aliquo tempore a negotiis, corporisque laboribus feriatus, Deum pie colat, ac veneretur.

D. Thom. in 2. 2. qu. 112. art. 4. ad 3.

12. *Quid altera Præcepti parte demonstretur.*

Altera vero Præcepti parte demonstratur, diem septimum Dei cultui divinitus dedicatum esse. Nam ita scriptum est: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est.* Quæ verba ad eam sententiam referuntur, ut Sabbatum Domino consecratum interpretemur, eique eo die religionis officia tribuamus, septimumque diem intelligamus signum esse quietis Domini.

13. *Cur*

13. Cur Judæis expedierit certum diem, eumque septimum ad religionis officia præscribere.

Hic vero dies divino cultui dicatus est, quia rudi populo minus expediebat habere eam facultatem temporis arbitratu suo deligendi, ne forte Ægyptiorum sacra imitaretur. Itaque ex septem diebus, ultimus ad Deum colendum delectus est, quæ quidem res plena mysteriis est. Quare Dominus (a) in Exodo, & apud (b) Ezechielem signum vocat. *Videte itaque*, ille inquit, *ut Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris, ut sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos.*

a) *Exod.* 31. 13.

b) *Ezech.* 20. 12.

14. Quarum rerum signum fuerit Sabbati celebritas.

Itaque signum fuit, quod indicabat, homines Deo se dedicare oportere, sanctosque eidem præbere, cum diem etiam videamus ei dicatum esse: siquidem ille dies sanctus est, quod tum præcipue sanctitatem, & religionem homines colere debeant.

Vide Aug. epist. 119. c. 12. Hier. l. 15. in Is. c. 56. & l. 16. in cap. 58. & in Ezech. 13. c. 44. D. Th. in 1. 2. q. 110. art. 4. ad secundum, & in 2. 2. q. 122. art. 4. Damasc. l. 4. de orth. fid. cap. 24.

Deinde signum est, & quasi monumentum conditæ hujus admirandæ universitatis. Signum præterea fuit Israelitarum memoriæ traditum, quo admoniti; se Dei auxilio a durissimo Ægyptiacæ servitutis jugo solutos, ac liberatos esse meminissent. Id quod Dominus ostendit illis verbis: (c) *Memento, quod & ipse servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento: idcirco præcepit tibi, ut observares diem Sabbati.* Est signum item tum spiritualis, tum cœlestis Sabbati.

c) *Deut.* 5. 15.

15. Quid

15. Quid ſit Spirituale Populi Chriſtiani Sabbatum.

Spirituale autem Sabbatum in ſancta quadam, & myſtica quiete conſiſtit, nimirum cum (a) vetus homo (b) Chriſto conſepultus ad vitam renovatur, atque iis in actionibus, quæ Chriſtianæ pietati conveniunt; ſtudioſe ſe exercet. Debent enim, qui (c) aliquando erant tenebræ, nunc autem lux in Domino ſunt, ut filii lucis, in omni bonitate, juſtitia, & veritate ambulare, (d) neque communicare operibus infructuoſis tenebrarum.

Aug. ſupra Gen. ad lit. lib. 4. c. 12. & Ep. 119. c. 11.

a) *Rom. 6. 6. Eph. 4. 22.*

b) *Rom. 6. 4.*

c) *Eph. 5. 7.*

d) *Ibidem 11.*

16. Quod ſit Beatis etiam ſuum Sabbatum.

Cœleſte vero Sabbatum eſt, ut ait D. Cyrillus eum locum Apoſtoli tractans, (e) *Relinquitur ergo Sabbatiſmus Populo Dei*, illa vita, in qua omnibus bonis cum Chriſto viventes fruemur, peccato radicitus extirpato, ſecundum illud, (f) *non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, ſed erit ibi ſemita, & via ſancta vocabitur:* (g) omnia enim bona mens Sanctorum in viſione Dei adipiſcitur. Quare fideles hortandi erunt his verbis, & a Paſtore incitandi: (h) *Feſtinemus ingredi in illam requiem.*

Cyril. lib. 4. in Joannem. c. 51.

e) *Hebr. 4. 9.*

f) *Iſ. 35. 8. 9.*

g) *Sap. 7.*

h) *Hebr. 4. 11.*

17. Judæis alii dies, quam ſeptimus, fuere feſtivi.

Præter diem ſeptimum habebat Populus Judæus alios etiam feſtos, & ſacros dies (i) divina Lege conſtitutos, quibus maximorum beneficiorum memoria renovaretur.

i) *Exod. 12. 23. & 34. Vide Cyril. lib. 17. de Ador. in ſpir. & verit.*

18. Quare Apoſtoli non ſeptimum hebdomadæ diem, ſed primum divino cultui conſecrarint.

Placuit autem Eccleſiæ Dei, ut diei Sabbati cultus, & celebritas in Dominicum transferretur diem. Nam ut eo die primum lux orbi terrarum illuxit: ſic redemptoris noſtri, qui

Gregor. Naz. orat. 43. Dam. lib. 4. c. 2. Leo epiſt. 81. ad Dioſcor. Gen. 1. 3.

ad

Marc. 16. 2. *Apoc.* 1. 10. *Gen.* 1. 3.

ad vitam æternam nobis aditum patefecit, Resurrectione, quæ eo die fuit, e tenebris ad lucem vita noſtra revocata eſt; unde & Dominicum diem Apoſtoli dici voluerunt. Solemnem præterea hunc diem eſſe in ſacris Literis animadvertimus, quod eo die mundi creatio initium habuit, quodque (a) Spiritus Sanctus diſcipulis datus eſt.

a) *Act.* 2. 2.

19. Quamobrem ad diem Dominicum alia feſta Chriſtianis acceſſerint.

Vide cap. Pronunciandum. de conſ. diſt. 3. *& c. Conqueſtus de feriis. Quo modo autem hæc feſta a traditione Apoſtolica emanarint, colligi poteſt ex Act.* 20. 16. *&* 2. *Cor.* 10. *Can. Apoſt. Can.* 7.

Alios autem dies feſtos ab Eccleſiæ initio, & conſequentibus deinde temporibus, Apoſtoli, & ſancti Patres noſtri inſtituerunt, ut pie & ſancte Dei beneficiorum memoriam colere-mus. Inter eos autem celeberrimi habentur illi dies, qui ob Redemptionis noſtræ myſteria religioni conſecrati ſunt: deinde, qui ſanctiſſimæ Virgini Matri, tum vero Apoſtolis, Martyribus, cæteriſque Sanctis cum Chriſto regnantibus dicantur: in quorum victoria Dei bonitas, & potentia laudatur, ipſis debiti honores tribuuntur, atque ad eorum imitationem Fidelis Populus incitatur.

20. Quomodo ex hoc Præcepto ad otium fugiendum Fideles incitentur.

Et quoniam ad hoc præceptum ſervandum magnam vim ea ipſius pars habet, quæ illis verbis expreſſa eſt, *Sex diebus operaberis, ſeptimus autem dies Sabbatum Domini Dei tui eſt*; Parochus debet illam partem diligenter explicare. Etenim ex his verbis colligi poteſt, fideles hortandos eſſe, ne otioſi, & deſides, vitam traducant; ſed potius Apoſtolicæ vocis memores, (b) negotium ſuum quiſquis agat, (c) & operetur

b) 1. *Theſſ.* 4. 11. c) *Eph.* 4. 28. 2. *Theſſ.* 3. 10.

tur manibus ſuis, ſicut ab eo præceptum fuerat. Præterea hoc Præcepto illud Dominus jubet, ut ſex ipſis diebus opera noſtra efficiamus, ne aliquid eorum, quæ aliis hebdomadæ diebus fieri, agive oporteat, in diem feſtum rejiciatur; atque ita animus a rerum divinarum cura, ſtudioque avocetur.

21. Quid maxime diebus feſtis agere ſit prohibitum.

Tertia deinde Præcepti pars explicanda eſt, quæ quodammodo deſcribit, qua ratione Sabbati diem colere debeamus; præcipue autem explicat, quid illo die facere prohibeamur. Quare inquit Dominus, *Non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas.* Quibus verbis ad id primum inſtituimur, ut, quæcunque divinum cultum impedire poſſunt, omnino vitemus. Facile enim perſpici poteſt, omne ſervilis operis genus prohiberi, non quidem ea re, quod ſua natura aut turpe, aut malum ſit, ſed quoniam mentem noſtram a divino cultu, qui finis Præcepti eſt, abſtrahit. *Aug. Tract. 3. in Joan. & in Pſal. 32. D. Th. 2. 2. qu. 122. art. 4. vide ſupra Sect. 11.*

Quo magis peccata fidelibus vitanda ſunt, quæ non ſolum animum a divinarum rerum ſtudio avocant, ſed nos a Dei amore prorſus ſejungunt.

22. Externæ actiones, quæ ad Dei cultum referuntur, Sabbato non interdicuntur.

Neque tamen eæ actiones, nec ea opera vetantur, quæ ad divinum cultum attinent, etiamſi ſervilia ſint; ut altare inſtruere, templa alicujus feſti diei cauſa ornare, & reliqua hujus generis. Ideoque a Domino dictum *D. Th. loco ſupra citato.*

eſt,

a) *Matth.* 12. 5. *Levit.* 24. 8. *Num.* 18. 9. *Joan.* 7. 22. 23.

est, (a) Sacerdotes in templo Sabbatum violare, & sine crimine esse.

23. Quædam etiam servilia opera ob necessitatem diebus festis conceduntur.

Multa licent in diebus festis, v. de cap. licet, de feriis, & cap. Conquestus eod. in fine.

Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quarum jactura facienda sit, si die festo prætermittantur, quemadmodum sacris etiam Canonibus permissum est. Multa alia Dominus in Evangelio festis diebus fieri posse declaravit, quæ facile Parochus

b) *Matth.* 1. 2. 3. 4. 5. *Marc.* 3. 4. *Luc.* 6. 34. c) *Joan.* 5. 8.

apud sanctos (b) Matthæum, (c) & Joannem observabit.

24. Cur jumenta quiescere Dominus voluerit.

Sed: ut nulla res prætermitteretur, cujus actione hic Sabbati cultus impediretur, facta est jumenti mentio; quo animalium genere impediuntur homines, quominus Sabbatum diem colant. Si enim die Sabbati alicujus operis actioni jumenti usus destinatur, necessaria est etiam ad id hominis opera, qui jumentum agat, itaque solum per se opus facere non potest, sed hominem, qui illud molitur, adjuvat. Eo autem die nemini opus facere licet: ergo neque jumentis, quorum opera ad id homines utuntur. Itaque hujus Præcepti Lex eo etiam spectat, ut, si jumentorum laboribus homines parcere Deus vult, eo certe magis ipsi cavere debeant, ne inhumani sint in eo, quorum opera, atque industria utuntur.

25. Quibus præcipue in operibus Christiani diebus festis se exercere debeant.

Servi, & ancillæ die festo non sunt a cultu Dei avocandi.

Neque vero Parochus illud prætermittere debet, ut diligenter doceat, quibus in operibus, atque actionibus Christiani homines die-

bus

bus festis exercere se debeant. Illæ vero ejusmodi sunt, ut ad Dei templum accedamus, eoque loco sincera, piaque animi attentione sacrosanctæ Missæ sacrificio interfimus; divina Ecclesiæ Sacramenta, quæ ad salutem nostram instituta sunt, ad animæ vulnerum curationem crebro adhibeamus.

Missa die festo integre audienda. Conc. Agathen. c. 47. & de cons. dist. 1. cap. Missas. item Concil. Aurel. can. 28. ibid. cap. Cum ad celebrandas.

Nihil vero est, quod opportunius, aut melius Christianis hominibus fieri possit, quam si peccata sua Sacerdotibus sæpe confiteantur. Ad quam rem perficiendam poterit Parochus Populum adhortari, sumpta hujus probandæ rei ratione, & copia ex iis, quæ de Pœnitentiæ Sacramento suo loco tradita, & præcepta sunt. Neque solum ad hoc Sacramentum Populum excitabit, sed sedulo etiam, atque etiam ad illud adhortabitur, ut sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum crebro percipiant.

Pœnitentia, & Eucharistiæ Sacramentum diebus festis frequentandum. Aug. de Eccles. dogm. cap. 53. & habetur de cons. dist. 2. c. Quotidie.

Attente præterea, diligenterque sacra Concio fidelibus audienda est. Nihil enim minus ferendum est, neque tam profecto indignum, quam Christi verba contemnere, aut negligenter audire. Exercitatio item, & studium fidelium in precibus, divinisque laudibus frequens esse debet, præcipuaque eorundem cura; ut, quæ ad Christianæ vitæ institutionem pertinent, ea diligenter addiscant, seduloque se exerceant in iis officiis, quæ pietatem continent, pauperibus, & egenis eleemosynam tribuendo, ægros homines visitando, mœrentes, quique dolore afflicti jacent, pie consolando. Nam, ut est apud sanctum Jacobum, (a) *religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.* Ex his,

Concio frequentanda. Just. Apol. 2. ex Act. 20. Indignum est Christi verba contemnere. Aug. lib. 50. hom. 26. & habetur in qu. 2. c. Interroga. Pietatis opera diebus potissimum festis exercenda.

a) *Jacob. 1. 27.*

quæ dicta sunt, facile erit colligere, quæ contra hujus præcepti regulam committuntur.

26. Cur necesse fuerit certos quosdam dies divino cultui deputare.

Legant ad hoc argumentum de consc. dist. 2. & titulum de feriis in Decreto. Ignat. in Ep. ad Philippens. Leo ser. 3. de Quadr. Aug. ser. 25. de Tempore.

Parochi vero officium in eo item esse debet, ut certos quosdam locos in promptu habeat, unde rationes, atque argumenta sumat, quibus Populo illud maxime persuadeatur, ut, hujus Præcepti legem summo studio, accurataque diligentia servet. Ad hoc plurimum valet, ut populus scilicet intelligat, ac plane perspiciat, quam justum ac rationi consentaneum sit, nos certos quosdam dies habere, quos totos divino cultui tribuamus, Dominumque nostrum, a quo summa, & innumerabilia beneficia accepimus, agnoscamus, colamus, ac veneremur. Si enim jussisset, nos quotidie religionis cultum sibi tribuere, nonne pro suis erga nos beneficiis; quæ maxima, & infinita sunt, omnis opera danda esset, ut prompto, alacrique animo ejus dicto audientes essemus? Nunc vero, paucis ad ejus cultum institutis diebus, non est cur nos negligentes, atque difficiles in ejus officii functione simus, quod sine gravissima culpa prætermittere non possumus.

27. Quæ utilitas ad eos redeat, qui sedulo huic Præcepto obtemperaverint.

Demonstret deinde Parochus, quanta hujus Præcepti virtus sit, cum ii, qui illud recte servaverint, in conspectu Dei esse, cum eoque colloqui videantur. Nam & precibus faciendis Dei majestatem contemplamur, & cum eo colloquimur: &, Concionatoribus audiendis, Dei vocem accipimus, quæ ad aures nostras eo-

Exod. 23. 17. & Deut. 16. 16.

rum

rum opera pervenit, qui de rebus divinis pie, sancteque concionantur: tum in altaris Sacrificio præsentem Christum Dominum adoramus. Et his quidem bonis illi maxime fruuntur, qui hoc Præceptum servant diligenter.

28. *Quid contra de illis sentiendum sit, qui hanc Legem omnino neglexerint.*

Qui vero hanc Legem omnino negligunt, ii, cum Deo: (a) & Ecclesiæ non obediant, neque ejus Præceptum audiant, & Dei, & sanctarum Legum hostes sunt. Quod animadverti potest ex eo, quod Præceptum hoc ejusmodi est, ut nullo labore servari queat. Cum enim Deus non labores nobis imponat, quos vel difficillimos ejus causa suscipere deberemus, sed quietos illis diebus festis, a terrenis curis liberos esse jubeat, magnæ temeritatis indicium est, hujus Præcepti Legem recusare. Exemplo nobis esse debent supplicia, quæ de illis Deus sumpsit, qui illud violarunt, ut ex libro Numerorum licet intelligere. Ne igitur in hanc Dei offensionem incidamus, operæ pretium erit, sæpe illud verbum, *Memento*, cogitatione repetere, magnasque illas utilitates, & commoda sibi ante oculos proponere, quæ ex festorum dierum cultu percipi supra declaratum est, & multa alia ad id genus pertinentia, quæ bonus, & diligens Pastor, ut occasionis ratio postulabit, copiose, lateque persequi poterit.

a) *Matt.* 18. 17. *Luc.* 10. 16 *Joan.* 20. 21. *Hebr.* 13. 17.

Num. 15. 32. *& seq.*

DE QUARTO PRÆCEPTO.

CAPUT V.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

1. *Quæ ſit hujus Præcepti dignitas, & quomodo cum ſuperioribus conveniat.*

In præceptis primæ Tabulæ magna dignitas, ſed in ſecundæ Tabulæ Præceptis eſt magna neceſſitas. Vide D. Aug. in Pſal. 32. conc. 1.

Cum in ſuperioribus Præceptis ſumma ſit vis, & dignitas, merito quæ nunc perſequimur, quia maxime neceſſaria ſunt, proximum locum obtinent. Nam illa (a) finem, qui Deus eſt, continuo ſpectant: hæc nos ad proximi charitatem erudiunt: etſi longius progreſſa, ad Deum, id eſt, illud extremum (b) cujus gratia proximum ipſum diligimus, perducunt. Quamobrem (c) Chriſtus Dominus Præcepta illa duo de diligendo Deo, & proximo ſimilia inter ſe eſſe dixit. Hic autem locus, dici vix poteſt, quantas habeat utilitates; cum & ſuos fructus ferat, uberes illos quidem, ac præſtantes, & ſit tanquam ſignum, ex quo primi Præcepti obedientia, & cultus elucet. (d) *Qui non diligit*, inquit divus Joannes, *fratrem ſuum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Ad eundem modum, ſi parentes, quos ſecundum Deum diligere debemus, non veneramur, & colimus, cum nobis in

a) 1. *Tim.* 1. 5.

b) *D. Aug. lib.* 3. *de doctr. Chr. c.* 10. *& lib.* 50. *Hom. hom.* 38. 39.

c) *Matt.* 22. 39 *Marc.* 12. 31.

d) 1. *Joan.* 4. 20.

Signum dilectionis Dei ex dilectione parentum elucet.

in conſpectu fere ſemper ſint; Deo, (a) ſummo parenti, & optimo, qui nullum ſub aſpectum cadit, quem honorem, quem cultum tribuemus? Ex quo perſpicuum eſt, utraque Præcepta in ſe congruere.

a) *Malach.* 1. 6.

2. *Quam late pateat hujus Præcepti vis, & quantum parentes ex hoc Præcepto adjuventur.*

Hujus autem præcepti uſus latiſſime patet; nam præter eos, qui nos genuerunt, multi præterea ſunt, quos in parentum loco colere debemus, (b) vel poteſtatis, vel (c) dignitatis, vel (d) utilitatis, vel præſtantis alicujus muneris, & officii nomine. Parentum præterea, majorumque omnium laborem levat: cum enim id in primis curent, ut quos habent in ſua poteſtate, ii recte, & divinæ Legi convenienter vivant, erit hæc cura perfacilis, ſi omnes intelligant, Deo auctore & monitore, ſummum honorem parentibus tribui oportere. Quod ut præſtare poſſimus, neceſſe eſt noſſe quandam differentiam, quæ eſt inter Præcepta primæ & ſecundæ Tabulæ.

Parentis nomen cum late pateat, fit ut iſtud Præceptum ad plures extendatur.

b) 4. *Reg.* 5. 13.
c) 1. *Cor.* 4. 15.
d) *Eccl.* 4. 10.

3. *Præceptorum Legis in duas Tabulas quorſum facta ſit diſtinctio.*

Ergo hæc primum a Parocho ſunt explicanda, idque in primis moneat, (e) divina Decalogi Præcepta fuiſſe in duabus Tabulis inciſa: in quarum altera, quemadmodum a ſanctis (f) Patribus accepimus, tria illa continebantur, quæ jam ſunt expoſita: reliqua vero in alteram Tabulam erant incluſa. Atque hæc nobis perappoſita fuit deſcriptio, ut Præceptorum rationem ordo ipſe diſtingueret. Nam quicquid in ſacris Literis divina lege jubetur, aut

Primæ, & ſecundæ Tabulæ differentia latius exponitur.

e) *Exod.* 24. 12. & 31. 18. *Deut.* 4. 13. & 5. 22. & 9. 9. 10.
f) *Clem. Alex. lib.* 6. *ſtromat. Mag. in* 3. *diſt.* 37 *Alex. de Ales* 3. *p. q.* 29. *mem.* 2. *art.* 3.

vetatur, id duorum generum oritur ex altero: aut enim erga Deum, aut erga homines charitas in omni officio ſpectatur. Et quidem charitatem in Deum ſuperiora tria Præcepta docent: quod vero ad hominum conjunctionem, & ſocietatem pertinet, id reliquis ſeptem Præceptis continetur. Quocirca non ſine cauſa ejuſmodi facta eſt diſtinctio, ut alia ad priorem, alia ad alteram Tabulam Præcepta referantur.

4. Quomodo charitas erga Deum tribus primis Præceptis, & charitas erga proximum cæteris contineatur, & quæ ſit inter utraque differentia.

Vide Aug. in Pſ. 32. con. 1. & D. Th. in 2. 2. q. 122. art. 1. & 2.

Nam ſuperioribus tribus Præceptis, de quibus dictum eſt, quaſi ſubjecta materies, quam tractent, eſt Deus, id eſt, ſummum bonum; cæteris vero proximi bonum: illis ſummus, his proximus amor eſt propoſitus: illa finem, hæc autem ea, quæ ad finem referuntur, ſpectant.

Deus per ſe amandus, Bernar. in lib. de Diligendo Deo. Quomodo omnes homines propter Deum diligendi. Aug. lib. 3. de doctrina Chriſti c. 129. & lib. 4. Conf. c. 9. 10. 11. 12.

Præterea charitas Dei ex ipſo pendet; Deus enim per ſe, non alterius rei cauſa, ſumme diligendus eſt. Charitas autem proximi a charitate Dei ortum habet, atque ad eam tanquam ad certam regulam dirigenda eſt. Nam ſi parentes charos habemus, ſi dominis paremus, ſi dignitate antecedentes reveremur, id ea re maxime faciendum eſt, quod eorum procreator eſt Deus, eosque aliis præeſſe voluit, quorum opera cæteros homines regit, ac tuetur: qui cum nobis auctor ſit, ut ejuſmodi perſonas vereamur, idcirco id præſtare debemus, quia a Deo hoc ipſo honore dignantur. Ex quo fit, ut honor, quem parentibus habemus, Deo potius, quam homi-

nibus

nibus haberi videatur. Sic enim apud ſanctum Matthæum eſt, cum de obſervantia in ſuperiores agitur, (a) *Qui recipit vos, me recipit*, & Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſios, ſervos inſtituens, (b) *Servi*, inquit, *obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti.*

a) *Matt.* 10. 40

b) *Eph.* 6. 5. *idem habetur* 1. *Pet.* 2. 18.

5. Quomodo charitas Dei nullo fine, charitas vero proximi ſuis finibus circumſcribatur.

Accedit, quod Deo nullus honor, nulla pietas, nullus cultus ſatis digne tribuitur, in quem amor augeri infinite poteſt: propterea noſtra erga illum charitas in dies fiat ardentior neceſſe eſt, quem ejus juſſu (c) ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus amare debemus. At charitas, qua proximum complectimur, ſuis finibus circumſcribitur. (d) Jubet enim Dominus proximos diligere, ſicut nos ipſos, quod ſi quis eos fines egreſſus fuerit, ita ut parem Deo, & proximis amorem tribuat, is maximum ſcelus admittit. (e) *Si quis venit ad me*, inquit Dominus, *& non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; in quam ſententiam etiam dictum eſt, (f) *Sine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos*: cum quidam primum humare patrem vellet, poſtea Chriſtum ſequi. Cujus rei dilucidior illa apud ſanctum Matthæum explicatio eſt: (g) *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.*

Augeri Charitas in infinitum poteſt. *D. Aug. ſuper Pſ.* 62. *& D. Th. in* 2. 2. *q.* 24. *art.* 7. *& 8. & confirmatur ex Apoſt. Poſil.* 3.

c) *Deut.* 6. 5. *Matth.* 22. 37. *Marc.* 12. 30. *Luc.* 1. 27.

d) *Lev.* 19. 18. *Matth.* 22. 30. *Deus, & proximus nequaquam pari amore diligendi. Vide D. Thom. in* 2. 2. *q.* 26. *art.* 2.

e) *Luc.* 14. 26.

f) *Matt.* 8. 22. *Luc.* 9. 60.

g) *Matt.* 10. 37.

6. Quomodo parentes sint amandi, quaque ex causa illis subinde non obtemperandum sit.

Secundum Deum, parentes diligendi, & colendi sunt vide D. Th. in 2. 2. q. 101. a. 4.

Nec tamen ulla dubitatio est, quin parentes vehementer amandi, observandique sint; sed ad pietatem in primis necessarium est, Deo, (a) qui parens, & effector est omnium, præcipuum honorem, & cultum tribui; ideoque mortales parentes amari, ut ad cœlestem, sempiternumque Patrem tota amoris vis referatur. Quod si interdum parentum jussa Dei præceptis repugnent, non dubium est, quin liberi parentum cupiditati Dei voluntatem anteferre debeant, divinæ illius sententiæ memores, (b) *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

a) *Deut. 32. 6. Is. 63. 16. & 64. 8. Hier. 31. 9. Malach. 2. 10.*

Parentibus filii quando teneantur non obedire.

b) *Act. 5. 29.*

7. Quid in hujus Præcepti sententia proprie Honorandi vox denotet.

Honorare quid sit. Vide D. Th. in 1. 2. q. 122. art. 3. & qu. 63. art. 5. Aristt. in 1. Eth. ca. 6. Cur hic Honorandi verbum positum sit. D. Th. in 1. 2. q. 122. art. 5. ad 3.

Quibus rebus expositis, Parochus verba Præcepti interpretabitur, atque illud primum, *Honorare* quid sit. Est enim de aliquo honorifice sentire, & quæ illius sunt, maximi putare omnia. Huic autem honori hæc omnia conjuncta sunt, amor, observantia, obedientia, & cultus. Scite autem in Lege posita est *Honoris* vox, non amoris, aut metus, etiamsi valde amandi, ac metuendi parentes sunt. Etenim qui amat, non semper observat, & veneratur; qui metuit, non semper diligit; quem vero aliquis ex animo honorat, item amat, & veretur. Hæc cum Parochus explicaverit, tum aget de patribus, quique sint ii, qui vocentur hoc nomine.

8. Quinam Patris nomine hic intelligantur.

Primo dicuntur patres secundum carnem.

Nam, etsi de iis præcipue patribus Lex loquitur, ex quibus generati sumus, tamen ad

alios

alios quoque pertinet hoc nomen, quos etiam complecti Lex videtur, quemadmodum ex pluribus divinæ Scripturæ locis facile colligimus. Præter illos igitur, qui nos procrearunt, patrum genera item alia sunt in sacris Literis (quod antea attigimus) quibus singulis suus honor debetur. Ac primum Ecclesiæ Præsides & Pastores, & Sacerdotes patres dicuntur, quemadmodum ex Apostolo constat, qui ad Corinthios scribens. (a) *Non*, inquit, *ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo: nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*; & in Ecclesiastico scriptum est: (b) *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.*

Secundo Ecclesiæ Præsides & Sacerdotes.

a) 1. *Cor.* 4. 14. *Jud.* 17. 10. & 18. 19. 4. *Reg.* 2. 12. 13. & 6. 21. 13. 14. *Isa.* 22. 21. *Psal.* 44. 17.

b) *Eccl.* 44. 1.

Deinde ii, quibus aut Imperium: aut Magistratus, aut potestas commissa est, qui Rempublicam gubernant, Patres appellantur. (c) Sic Naaman a famulis Pater vocabatur.

Tertio Magistratus.

c) 4. *Reg.* 5. 13. 1. *Reg.* 24. 12.

Præterea patres eos dicimus, quorum procurationi, fidei, probitati, sapientiæque alii commendantur; cujusmodi sunt tutores, & curatores, pædagogi, & magistri. Quare Eliam, & Elisæum filii Prophetarum patrem vocabant.

Quarto tutores, pædagogi, & magistri.

1. *Mach.* 2. 65.

Postremo patres dicimus senes, & ætate confectos, quos etiam vereri debemus. Atque hoc in Parochi Præceptis maximum sit, ut doceat, patres, cujuscunque sint generis, præsertim vero eos, ex quibus nati sumus, a nobis honorandos, de quibus divina Lex præcipue loquitur.

Quinto grandævi.

Lev. 19. 22. *Sap.* 2. 10. & 4. 6.

9. Cur parentibus secundum carnem Christianorum filii præcipuum honorem impendere debeant.

Patres secundum carnem sunt Dei simulacra, quod nostri sint altera principium. D. Thom. in 2. 2. q. 101. art. 2. Matribus quanta filii debeant. Vide Tob. 3. 4. & Eccl. 7. 29. & 2. 30. Malach. 7. 27.

Sunt enim immortalis Dei quasi quædam simulacra, in iisque ortus nostri imaginem intuemur, ab iis nobis vita data est, iis Deus usus est, ut nobis animum, mentemque impertiret, ab iis ad Sacramenta deducti, ad religionem, ad humanum cultum, civilemque institituti, ad morum integritatem, & sanctitatem eruditi sumus. Doceat vero Parochus, merito nomen matris in hoc Præcepto expressum, ut ejus beneficia, & merita erga nos consideremus, quanta cura, quantaque solicitudine nos in utero gesserit, quanto cum labore, & dolore peperit, ac educarit.

10. Quibus rationibus honore afficiantur carnales parentes.

Primus modus quo parentes decent honorari.

Porro ita observandi parentes sunt, ut, quem eis tribuimus, honor ex amore, atque intimo animi sensu depromptus videatur: quibus hoc officium debetur maxime, cum erga nos sint ita affecti, ut nullum laborem, nullam contentionem, nulla pericula nostri causa refugiant; nihilque illis accidere possit jucundius, quam ut filiis charos se esse sentiant, quos maxime diligunt. Joseph, (a) cum in Ægypto honore, & amplitudine Regi esset proximus, (b) patrem, qui in Ægyptum venerat, honorifice excepit: & (c) Salomon matri advenienti assurrexit, eamque veneratus in regio solio ad dexteram collocavit.

a) *Gen.* 40. 37.

b) *Gen.* 46. 29. & 47. 7.

c) 2. *Reg.* 2. 19.

Pro eis Deus orandus.

Alia præterea sunt honoris officia, quæ in parentes conferri debent. Nam eos tum etiam honoramus, cum a Deo suppliciter petimus,

ut

ut eisdem bene, & feliciter omnia eveniant, ut in maxima gratia, & honore sint apud homines, ut ipsi Deo, ac Sanctis, qui in cœlis sunt, commendatissimi sint.

Eorum voluntati standum est.

Item parentes honoramus, cum nostras rationes ad eorum arbitrium, voluntatemque conferimus. Cujus rei suasor Salomon, (a) *Audi*, inquit, *fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tui, & torques collo tuo:* cujusmodi sunt etiam divi Pauli cohortationes, (b) *Filii, obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est:* item, (c) *Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino*, & sanctissimorum hominum exemplis confirmatur: etenim (d) Isaac, cum a patre ad sacrificium vinciretur, modeste ac sine recusatione paruit: & (e) Rechabitæ, ne a patris consilio unquam discreparent, vino se in perpetuum abstinuerunt.

a) *Prov.* 1. 8. *Vide item Eccl.* 3. *fere per totum.*

b) *Eph.* 6. 1.

c) *Col.* 3. 20.

d) *Gen.* 22. 8.

e) *Jer.* 35. 6. 7. 8.

Parentes studiosè imitandi.

Item parentes honoramus, cum eorum recte facta, moresque imitamur: iis enim plurimum tribuere videmur, quorum esse volumus, quam simillimi. Item Parentes honoramus, quorum consilia non modo exquirimus, verum etiam sequimur.

Quomodo subveniendum parentibus, vide apud Basil. in homil. de Honore parentum, & in Hexam. Ho. 9. *Idem Ambr. lib.* 5. *Hexam. c.* 16. *Conc. Gang. can.* 16. *& c. Est probanda. & c. Caterum, & c. Pasce. dist.* 86. *vide item D. Tho.* 2. 2. *q.* 101. *art.* 2. *&* 4.

II. Quomodo parentibus in necessitate constitutis sit subveniendum, & maxime in mortis periculo.

Item, quibus subvenimus, ea impertientes, quæ victus, cultusque desiderat. Quod Christi testimonio comprobatur, qui (f) Pharisæorum impietatem redarguens, *Quare & vos*, inquit, *transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit, Honora patrem, & matrem: &, qui maledixerit patri, vel matri, mor-*

f) *Matt.* 15. 4. 5

Hier. in lib. 2. comment. in Matth. D. Aug. lib. 1. q. Evang. c. 14.

morte moriatur: vos autem dicitis, quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificavit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

Et honoris quidem officia parentibus tribuere semper debemus, sed tum maxime, cum periculose ægrotant. Danda enim opera est, ne quid prætermittant, quod vel ad peccatorum Confessionem attinet, vel ad reliqua Sacramenta, quæ a Christianis hominibus percipi debent, cum mors appropinquat; idque nobis curæ sit, ut pii, religiosique homines eos crebro invisant, qui vel imbecillos consilio, confirment & juvent, vel optime animatos ad spem erigant immortalitatis, ut, cum mentem a rebus humanis excitarint, totam conjiciant in Deum. Sic fiet, ut fidei, spei, & charitatis beatissimo comitatu, ac religionis præsidio muniti, mortem non modo non pertimescendam, cum necessaria sit, sed cum aditum ad æternitatem expediat, etiam appetendam censeant.

12. Quomodo mortuis parentibus honorem exhibeamus.

Vide Gen. cap. 25. & 35. & 50. per totum.

Postremo vel mortuis parentibus honor tribuitur, si iis funus facimus, si exequias cohonestamus, si honorem sepulturæ impertimus, si justa, & sacrificia anniversaria curamus, si quæ ab iis legata sunt, diligenter persolvimus.

13. Quo pacto Episcopi, & Sacerdotes sint honorandi.

Patres honore, & officio sunt Episcopi, Pastores, & Sacerdotes.

Honorandi autem sunt non modo ii, ex quibus nati sumus, verum etiam alii, qui Patres appellantur, ut Episcopi, & Sacerdotes, ut

Re-

Reges, ut Principes, ut Magiſtratus, ut tutores, ut curatores, ut magiſtri, ut pædagogi: ut ſenes, & cæteri hujuſmodi. Digni enim ſunt, qui ex charitate, ex obedientia, ex ope noſtra fructus percipiant, ſed alius alio magis. De Epiſcopis, & aliis Paſtoribus ita ſcriptum eſt: (a) *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.* Jam vero, quanti erga Apoſtolum amoris documenta Galatæ dederunt? quibus is præclarum illud benevolentiæ teſtimonium tribuit: (b) *Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.*

a) 1. *Tim.* 5. 17. *Vide Ambr. in comm. in eum locum.*

b) *Gal.* 4. 15.

Sacerdotibus ſuppeditanda ſunt ad victum neceſſaria.

14. *Quomodo Sacerdotibus neceſſaria ad victum ſuppeditari debeant.*

Quin etiam Sacerdotibus ea ſuppeditanda ſunt, quæ ad vitæ uſus neceſſarios requiruntur. Quare Apoſtolus, (c) *Quis*, inquit, *militat ſuis ſtipendiis unquam?* & in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt: (d) *Honorifica Sacerdotes, & purga te cum brachiis: da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum, & purgationis.* Illis etiam obtemperandum eſſe docet Apoſtolus; (e) *Obedite*, inquit, *Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Quin potius a Chriſto Domino præceptum eſt, ut vel improbis Paſtoribus obtemperemus, cum dicat: (f) *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.*

c) 1. *Cor.* 9. 7.

d) *Eccl.* 7. 33. 34. *Matth.* 10. 10. & 22. 13. *Luc.* 10. 1. 1. *Tim.* 5. 18. *Levit.* 27. 30. 32. *Num.* 18. 21. *Deut.* 12. 6. & 14. 23. *Conc. Aurel. I.* c. 17. *Later. cap.* 53. *Trident. Syn. ſeſſ.* 25. c. 13.

e) *Hebr.* 13. 17.

f) *Matth.* 23. 2. 3.

15. *Ma-*

15. Magistratibus Politicis honorem deferendum ostenditur.

Magistratus Politici.

Idem de Regibus, de Principibus, de Magistratibus, & reliquis, quorum potestati subjicimur, dicendum est. Iis vero quod honoris, cultus observantiæ genus tribuendum sit, Apostolus ad (a) Romanos late explicat: (b) pro quibus etiam orandum esse monet: & divus Petrus, (c) *Subjecti*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis.* Nam si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur: habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus, quia divinæ potestatis est instar: in quo etiam Dei Providentiam veneramur, qui publici muneris procurationem iis attribuit, (d) quibusque utitur tanquam potestatis suæ ministris.

a) *Rom.* 13. 1. 2. 13. *Sap.* 6. 2. 3. 4. *Tit.* 3. 1.
b) 1. *Tim.* 2. 2.
c) 1. *Pet.* 2. 13.
d) *Vide Isa.* 10. 5. 6. & 45. 1. 2 *Jer.* 27. 6. 7. *Ezech.* 29. 18. 19.

16. Cur Magistratibus Politicis etiam improbis sit obtemperandum, & quando non sit.

Nec enim hominum improbitatem, aut nequitiam, si tales sunt Magistratus, sed divinam auctoritatem, quæ in illis est, reveremur: ut, quod permirum fortasse videtur, quamvis inimico, infensoque animo, quamvis implacabiles, tamen non satis digna causa sit, cur eos non perofficiose observemus. Nam & (e) Davidis magna in Saulem officia extiterunt, cum ei tamen esset offensior: quod innuit illis verbis: (f) *Cum iis, qui oderunt pacem, eram pacificus.*

e) 1. *Reg.* 17. 18. 19.
f) *Ps.* 119. 6.

At vero, si quid improbe, si quid inique imperent, cum id non ex potestate, sed ex injustitia, atque animi perversitate agant, o-

mni-

minino non ſunt audiendi. Ubi hæc Parochus ſingillatim expoſuerit, deinceps conſideret, quodnam præmium, quamque conſentaneum iis propoſitum ſit, qui divino huic Præcepto obediunt.

17. Quod præmium obedientiæ in parentes divinitus ſit propoſitum.

Nam in eo fructus eſt maximus, ut diu vivant: propterea quod digni ſunt, qui beneficio quam diutiſſime perfruantur, cujus memoriam perpetuo conſervant. Cum igitur qui parentes colunt, iis gratiam referant, a quibus lucis, & vitæ uſuram habent, jure & merito vitam ad ſummam ſenectutem perducunt. Tum adjungenda eſt divinæ promiſſionis illuſtris explanatio: neque enim ſolum ſempiternæ, ac beatæ, ſed hujus etiam, quam in terris agimus, vitæ uſus promittitur. Cujus ſententiæ interpres eſt D. Paulus, cum inquit: (a) *Pietas ad omnia utilis eſt, habens promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.*

Cur filii parentibus morigeri diu vivant. D. Thom. in 2. 2. q. 122. a. 5. ad 4.

Utriuſque vitæ felix uſus præmittitur.

a) *1. Tim. 4. 8.*

18. Diuturnæ vitæ promiſſio quanti hic facienda ſit.

Nec vero hæc merces aut exigua eſt, aut contemnenda, etiam ſi ſanctiſſimis viris, ut (b) Job, ut (c) Davidi, ut (d) Paulo, mors fuerit optabilis; & ærumnoſis, ac miſeris hominibus vitæ propagatio ſit injucunda. Nam illorum verborum adjunctio. *Quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, non modo temporis diuturnitatem ad vivendum, ſed otium, quietem, incolumitatem ad bene vivendum pollicetur. Nam in Deuteronomio non ſolum inquit, (e) *Ut longo vivas tempore;* ſed illud etiam addit.

b) *Job 3. 3. & 10. 1.*
c) *Pſal. 119. 5.*
d) *Philip. 1. 23.*

Præmium hic promiſſum non tam in diuturnitate, quam in incolumitate vitæ eſt repoſitum.

e) *Deut. 5. 16.*

Ut

a) *Eph.* 6. 3. *Ut bene sit tibi :* quod deinde ab (a) Apostolo repetitum est.

19. Quomodo qui parentes honorunt, etiamsi cito moriuntur, hujus Præcepti præmium capiant.

Cur boni viri immatura morte tolluntur.

Hæc autem bona iis suppetere dicimus, quorum pietati Deus gratiam referat. Aliter enim divini promissi fides, & constantia non erit, cum interdum qui majorem pietatem parentibus præstiterunt, iis vita brevior sit. Quibus id quidem contingit, vel quod iis optime consulitur, qui prius e vita excedunt, quam a virtutis, & officii religione discedant:

b) *Sap.* 4. 11. (b) rapiuntur enim, ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animam illorum : vel quia dum pernicies, & rerum omnium perturbatio impendet, e corporibus evocantur, ut communium temporum acerbitatem evadant. (c) *A facie enim malitiæ*, inquit Propheta, *collectus est justus.* Quod sit ne eorum aut virtus, aut salus periclitetur, cum a mortalibus flagitiorum pœnas repetit Deus: vel ne tristissimis temporibus ex propinquorum, amicorumque calamitatibus acerbissimos luctus sentiant. Quare metuendum est majorem in modum, cum bonis viris immatura mors accidit.

c) *Isa.* 57. 1.

Superstitibus supervenire solent plagæ.

20. Quibus pœnis ii afficiantur, qui hujus Præcepti prævaricatores existunt.

Ingrati filii graviter puniendi.

Ac quemadmodum iis, qui grati in parentes sunt, officii merces, & fructus est a Deo propositus, sic ingrati, & impii filii gravissimis pœnis reservantur. Scriptum est enim,

d) *Exod.* 21. 17. *Levit.* 20. 9. *Matth.* 15. 4. (d) *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur :* &, (e) *Qui affligit patrem, & fugat matrem,*

e) *Prov.* 19. 26.

trem, ignominiosus est, & infelix: & (a) *Qui maledicit patri suo, vel matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris:* &, (b) *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Qui parentibus injuriam intulerunt, (c) multos fuisse legimus, in quibus ulciscendis Dei iracundia exarsit. Non enim Davidem inultum reliquit, sed sceleri debitas pœnas dedit (d) Absalon, quem, ob ejus scelus, tribus transfixum hastis punivit.

a) *Prov.* 20. 20.

b) *Prov.* 30. 17. *Quale pœna proservi filii digni sint, vide in Deut.* 21. 18. 19.

c) *Gen.* 9. 21. & 26. 34. & 35. 22. & 49. 4.

d) 2. *Reg.* 18. 14. 15. 16.

De iis vero, qui Sacerdotibus non obtemperant, scriptum est: (e) *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille.*

e) *Deut.* 17. 12.

21. Quibus potissimum rationibus parentes se dignos honore illo divinitus præscripto reddere possint.

Et quemadmodum divina Lege sancitum est, ut parentibus filii honorem habeant, ut pareant, ut obsequantur: sic parentum propria officia sunt, atque munera, ut sanctissimis disciplinis, ac moribus filios imbuant, iisque optima dent vivendi præcepta; ut ad religionem instructi, & parati, Deum sancte, inviolateque venerentur: (f) quod a parentibus Susannæ factum esse legimus.

Quod sit Parentum in filios officium, colligi potest ex Gen. 20. 19. *Exod.* 12. 26. & 13. 18. *Job* 1. 5. *Prov.* 19. 17. *Eccles.* 7. 26. *Prov.* 3. 24. *Eccles.* 30. *fere per totum.*

f) *Dan.* 13.

Itaque sacerdos parentes commoneat, ut se liberis magistros præbeant virtutis, æquitatis, continentiæ, modestiæ, & sanctitatis; triaque præsertim declinent, in quibus offendere sæpe consueverunt: primum, ne quid acerbius in liberos aut loquantur, aut statuant: quod Apostolus in Epistola ad Coloss-

Tria parentibus in educatione liberorum vitanda.

Primum.

a) *Col.* 3. 21. *Ephes.* 6. 4.

senses ita præcipit: (a) *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Nam periculum est, ne fracto, abjectoque animo sint, dum omnia timent. Quare illud præcipiat, ut nimiam severitatem effugiant, malintque liberos corrigere, quam ulciscí.

22. *Quomodo parentes erga liberos remissi esse non debeant, nec eis ut nimis amplum patrimonium relinquant, nimis laborare.*

Secundum.

Deinde, si qua culpa commissa est, cum necessaria sit castigatio, & objurgatio, ne quid liberis per indulgentiam dissolute remittant: sæpe enim filii parentum nimia lenitate, & facilitate depravantur. Quamobrem a dissoluta indulgentia deterreat exemplo Heli summi Sacerdotis, qui, quod in liberos indulgentior fuerat, (b) maximo supplicio est affectus.

Heli exemplum nimiæ parentum indulgentiæ.

b) 1. *Reg.* 4. 12. & *seq. sic & David.* 2. *Reg.* 13. 20. 3. *Reg.* 1. 6. *Item mater filiorum Zebedæi. Matth.* 20.

Postremo, ne, quod fœdissimum est, in filiorum educatione, ac doctrina, præposteræ consilia ineant. Etenim permulti in hac una cogitatione, curaque versantur, ut opes, ut pecunias, ut lautum, amplumque patrimonium liberis relinquant; quos non ad religionem, non ad pietatem, non ad bonarum artium disciplinam, sed ad avaritiam, & ad rem familiarem augendam cohortantur; nec de filiorum existimatione, aut salute sunt soliciti, dummodo pecunios sint, & prædivites, quo quid dici, aut cogitari turpius potest? Ita fit, ut ad illos non tam rerum copias, quam sua scelera, & flagitia transferant, quibus tandem non ad cœlum se duces præbent,

Vide Ambr. l. 5. de fide ad Gratianum c. 3. Tertium.

Huc referri possunt quæ habentur. Eccles. 2. 18. 19. & 5. 12. 14. & 6. 2. 3.

bent, ſed ad Inferorum ſupplicia ſempiterna. Sacerdos igitur optimis præceptis parentes inſtituat, eoſque ad (a) Tobiæ exemplum, ac ſimilem virtutem excitet; ut, cum filios ad Dei cultum, & ſanctimoniam probe erudierint, ab iis etiam amoris, & obſervantiæ, & obſequii uberrimos fructus capiant.

a) *Tob. 4. per tot.*

DE QUINTO PRÆCEPTO.

CAPUT VI.

Non occides.

1. Quis sit ejus doctrinæ, quæ hoc Præcepto includitur, fructus, & utilitas.

Magna illa, quæ pacificis hominibus propoſita eſt, felicitas, (a) *Quoniam Filii Dei vocabuntur*, Paſtores maxime commovere debet, ut hujus Præcepti diſciplinam fidelibus diligenter, accurateque tradant. Nam ad conciliandas hominum voluntates nulla melior ratio iniri poteſt, quam ſi ejuſmodi Præcepti Lex recte explicata, ab omnibus ita, ut oportet, ſancte ſervetur; quoniam tum ſperare licet, ut ſumma animi conſenſione conjuncti homines concordiam, & pacem maxime colant.

a) *Matt.* 5. 9. *Homines quantum ex hoc Præcepto commodi capiant.*

Sed quam neceſſe ſit Præceptum hoc explicari, ex eo perſpicitur, quod, (b) immenſa illa univerſæ terræ inundatione facta, hoc unum in primis eſt, quod Deus hominibus interdixit. (c) *Sanguinem*, inquit, *requiram animarum veſtrarum de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis.* In Evangelio etiam, quo primum veteres Leges a Domino explicatæ ſunt, in iis hæc prima eſt, de qua apud ſanctum Matthæum ita ſcriptum eſt: (d) *Dictum eſt enim,*

Deus etiam ante legem homicidium interdixit.

b) *de quo Gen.* 6. *&* 7. *per tot.*

c) *Gen.* 9. 5.

d) *Matt.* 5. 22.

Non

Non occides: & reliqua, quæ hac de re eo ipso loco deinceps commemorantur.

Fideles præterea attente, libenterque præceptum hoc audire debent. Si enim ejus vis spectatur, ad vitam cujusque tuendam valet, quoniam iis verbis: *Non occides*, homicidium omnino interdictum est. Itaque singuli homines tanta cum voluptate animi illud accipere debent, perinde ac si, ira Dei proposita, aliisque gravissimis pœnis nominatim prohibitum sit, ne quis eorum lædatur. Ergo ut Præceptum hoc auditu jucundum est: ita ejus peccati cautio, quod Præcepto prohibetur, jucunditatem habere debet.

Deus vitæ nostræ hoc Præcepto consuluit.

2. Quid hoc Præcepto cum vetetur, tum jubeatur.

Cum autem hujus Legis vim (a) Dominus explicaret, in eo duo contineri ostendit: alterum, ne occidamus, quod a nobis fieri vetitum est: alterum, (b) quod facere jubemur, ut concordi amicitia, charitateque inimicos complectamur, pacem habeamus cum omnibus: cuncta denique incommoda patienter feramus.

a) *Matth.* 5. 22. 23. *Exod.* 21. 12. 13. 14. *Levit.* 24. 17.

b) *Coloss.* 3. 8. 12. *Eph.* 4. 16.

3. Licet bestiis vesci, & animalia occidere.

In eo autem, quod cædes prohibetur, illud primum docendum est, quæ cædes sint ejusmodi, quæ hac Præcepti Lege non vetentur. Nam (c) bestias occidi non est prohibitum; quoniam si illis vesci, a Domino hominibus est concessum, fas item est, illas occidi. Qua de re ita sanctus Augustinus: *Cum audimus*, inquit, *Non occides, non accipimus hoc dictum esse de fructetis, quia nullus est iis sensus, nec de irrationabilibus animalibus, quia nulla nobis ratione sociantur.*

Bestiarum cædes non est prohibita. D. Thom. in 2. 2. q. 64. art. 1.

c) *Gen.* 9. 2. *Exod.* 12. *per tot. & passim. Aug. l. 1. de civ. Dei c.* 20. *vide eundem de moribus Manich. lib.* 2. *cap.* 13. 14. 15.

4. Licet homines in judicio vel morti adjudicare, vel interimere.

Aug. epist. 154. ad Public. & habetur 23. q. 5. cap. De occidend. & in ep. 54. ad Maced. & habetur eadem q. c. Non est iniquitatis; & multa alia ib, Vide item D. Th. in 2. 2. q. 64. art. 2.

Alterum permissum cædis genus est, quod ad eos Magistratus pertinet, quibus data est necis potestas, qua ex Legum præscripto, judicioque in facinorosos homines animadvertunt, & innocentes defendunt. Quo in munere dum juste versantur, non modo ii cædis non sunt rei, sed huic divinæ Legi, qua cædes vetantur, maxime obediunt. Cum enim Legi huic finis is propositus sit, ut hominum vitæ, salutique consulatur: Magistratuum item, qui legitimi sunt scelerum vindices, animadversiones eodem spectant, ut, audacia, & injuria suppliciis repressa, tuta sit hominum vita. Quare

a) *Psal. 100. 8.* David, (a) *In matutino*, inquit, *interficiebam, omnes peccatores terræ, ut disperterem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

5. Quomodo etiam qui in bello justo occidunt, rei cædis non sint.

Bello Justo licere homines occidere, colligitur ex Gen. 14. 15. Exod. 17. 9, 10. 1. Reg. 14. 15. & 17. 51. Luc. 2. 14,

Qua ratione ne illi quidem peccant, qui Justo bello, non cupiditate, aut crudelitate impulsi, sed solo publicæ utilitatis studio, vitam hostibus adimunt. Sunt præterea ejusmodi cædes, quæ nominatim jussu Dei fiunt. (b) Levi filii non peccaverunt, qui uno die tot millia hominum occiderunt: qua cæde facta, sic ad eos locutus est Moyses: (c) *Consecrastis manus vestras hodie Domino.*

b) *Exod. 32. 29.*

c) *Ibid.*

6. Hujus præcepti reus non est, qui hominem fortuito casu interimit.

Neque vero hujus Præcepti reus est, qui non sponte, nec meditato, sed fortuito hominem occidit. Qua de re in Deuteronomii li-

libro ita eſt: (a) *Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & qui heri, & nudius tertius nullum contra eum odium habuiſſe comprobatur, ſed abiiſſe ſimpliciter cum eo in ſylvam ad ligna cædenda, & in ſucciſione lignorum ſecuris fugerit manum, ferrumque lapſum de manubrio amicum ejus percuſſerit, & occiderit, &c.* Hæ cædes ejuſmodi ſunt, quæ, quia non voluntate, neque de induſtria inferuntur, propterea non omnino in peccatis numerantur. Quod S. Auguſtini ſententia comprobatur. *Abſit enim*, inquit, *ut quæ propter bonum, ac licitum facimus, ſi quid per hæc præter voluntatem noſtram cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.*

a) *Deut.* 19. 5. *Fortuita cædes culpam non habet, ſi in rei honeſtæ, & licitæ occupatione ea contingat. Vide diſt.* 5, *c. Si quid.*

Aug. ep. 154. *ad Publicol.*

7. Quomodo homicidii reus ſit, qui caſu cædem fecit.

In quo tamen duabus de cauſis peccari poteſt: altera, ſi quis in re injuſta occupatus hominem occiderit (exempli cauſa, ſi quis gravidam mulierem pugno, vel calce percuteret, ex quo abortus ſequeretur, fuiſſet quidem illud præter percuſſoris voluntatem, non tamen præter culpam, cum illi non liceret ullo modo gravidam mulierem percutere) (b) altera, ſi non omnibus circumſpectis, negligenter, & incaute aliquem occiderit.

Videatur Trid. Syn. ſeſſ. 14. *Decr. de Reform. c.* 7.

Exod. c. 21. 22.

b) *Sicut fuit peccatum Lamech.*

8. Licet etiam ſalutis ſuæ tuendæ cauſa alterum occidere.

Qua etiam ratione, ſi quis ſalutis ſuæ defendendæ cauſa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac Lege non teneri ſatis apparet. Atque hæ quidem, quas modo commemoravimus, cædes ſunt, quæ hoc Legis Præcepto non continentur, quibus exceptis, reliquæ omnes prohibentur, ſive homicidam quis

ſpectet, ſive qui occiditur, ſive modos, quibus cædes fit.

9. Nemini licet privata auctoritate cædem facere.

Nam, quod ad eos pertinet, qui cædem faciunt, nemo plane excipitur, non divites, non potentes homines, non domini, non parentes: ſed delectu omni, & diſcrimine remoto, occidere vetitum eſt omnibus.

10. Nemo prorſus eſt, qui hac Lege tutus eſſe non poſſit.

Si vero ii ſpectantur, qui interficiuntur, ad omnes hæc Lex pertinet: nec quiſquam eſt tam humilis, & abjectæ conditionis homo, quin Legis hujus vi defendatur. Neque vero ſeipſum interficere cuipiam fas eſt; cum vitæ ſuæ nemo ita poteſtatem habeat, ut ſuo arbitratu mortem ſibi conſciſcere liceat: ideoque hujus Legis verbis non ita præſcriptum eſt, *Ne alium occidas*, ſed ſimpliciter, *Ne occidas.*

11. Quot modis hoc Præceptum violari contingat.

Sin autem multiplicem cædis faciendæ modum attendimus, nemo eſt, qui excipiatur. Non ſolum enim ſuis cuiquam manibus, aut ferro, aut lapide, aut baculo, aut laqueo, aut veneno, vitam homini eripere non licet; ſed conſilio, ope, auxilio, aut alia quacunque ratione id fieri prorſus vetitum eſt. In quo ſumma tarditas, ſtuporque Judæorum fuit, qui crederent ſe hoc Præceptum ſervare, ſi manus tantum a cæde abſtinerent. Sed homini Chriſtiano, qui interprete Chriſto, didicit hanc Legem ſpiritualem eſſe, nempe quæ non manus ſolum puras, ſed animum etiam caſtum, ſincerumque nos habere jubet, illud

Judæorum quam ſtupidum fuerit de homicidio Judicium.

non

non ſatis omnino eſt; quod illi ſatis cumulate ſe præſtare arbitrantur. Nam ne iraſci quidem cuiquam licere in Evangelio traditum eſt, cum dicat Dominus: *Ego autem dico vobis omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri ſuo, racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. 5. 22.

12. *Quomodo quis iraſcendo peccare, vel non peccare poſſit.*

Ex quibus verbis perſpicuum eſt, eum culpa non carere, qui fratri ſuccenſeat, quamvis iram animo incluſam contineat; qui vero ejus iræ ſignificationem aliquam graviter dederit, peccare; ac multo gravius, qui non vereatur, dure fratrem accipere, & ei convitium facere. Interpretati verborum Chriſti ex D. Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte.

Et quidem hoc verum eſt, ſi nulla ſubſit iraſcendi cauſa: nam iræ cauſa, quæ (a) a Deo, (b) Legibuſque conceditur, ea eſt, cum in eos animadvertimus, qui noſtro imperio, poteſtatique parent, ſi in eis ſit culpa: Chriſtiani enim hominis ira non a carnis ſenſibus, ſed a Spiritu Sancto proficiſci debet; (c) cum nos templa Sancti Spiritus, (d) in quibus Jeſus Chriſtus habitet, eſſe conveniat. Juſta ira.

a) Pſal. 45. Epheſ. 4. 26.

b) Videtur alludere ad id, quod ait lex ff. ad Leg. Juliam. de advocat.

c) 1. Cor. 6. 19.

d) Eph. 3. 17.

13. *Quomodo homines perfecte hanc Legem obſervent, & quam multi in eam peccent.*

Multa præterea ſunt a Domino tradita, quæ ad perfectam hujus Legis rationem pertinent, qualia illa ſunt. (e) *Non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicunque te angariaverit, mille paſſus, vade cum*

e) Matt. 5. 39. Luc. 6. ubi non habet: in dexteram, ſed in maxillam.

D. Aug. ep. 5. ad Marcell.

illo & alia duo. Ex his, quæ jam commemorata sunt, animadvertere licet, quam proclives sint homines ad ea peccata, quæ hoc Præcepto vetita sunt; quamque multi reperiantur, qui si minus manu, animo saltem cædis scelus committunt.

14. Quantum in sacris Literis homicidium Deus detestetur.

Quam grave peccatum sit homicidium.

Et quoniam huic tam periculoso morbo remedia in sacris Literis adhibita sunt. Parochi est officium ea diligenter fidelibus tradere. Præcipuum autem illud est, ut intelligant, quam nefarium sit peccatum hominis cædes: idque vel (a) plurimis, maximisque sanctarum Literarum testimoniis perspici potest: usque enim adeo homicidium detestatur Deus in sanctis Literis, (b) ut a bestiis hominum cædis pœnam se repetiturum dicat; (c) ac belluam, quæ hominem læserit, occidi jubeat. Neque aliam ob causam a sanguine hominem abhorrere voluit, nisi ut omni ratione a nefaria hominis cæde & animum, & manus abstineret.

a) Genes. 4. 10. Exod. 21. 12. Levit. 24. 12.

b) Gen. 9.

c) Exod. 21. 28.

15. Quantum sit scelus hominis cædes, ratione demonstratur.

D. Thom. in 2. 2. q. 64. art. 5.

Sunt enim homicidæ humani generis, atque adeo naturæ hostes acerbissimi; qui, quantum in eis est, universum Dei opus evertunt, cum hominem tollant, cujus causa is omnia, (d) quæcunque procreata sunt, se feciſſe testatur. Imo vero in Genesi (e) cum prohibitum sit hominem occidere, quia illū Deus ad imaginem suam, & similitudinem creavit, insignem Deo injuriam is facit, quasique violentas illi manus inferre videtur, qui ejus imaginem e medio tollit.

d) Genes. 1. 26. vide D. Th. in 1. p. q. 96. art. 1. & 2.

e) Genes. 9. 6.

lit. Hoc divina animi cogitatione meditatus David, graviſſime de ſanguinariis hominibus conqueſtus eſt illis verbis; (a) *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem:* neque ſimpliciter dixit, *Occidunt*, ſed, *Effundunt ſanguinem:* quæ verba ad deteſtabilis illius ſceleris amplificationem, immanemque illorum crudelitatem oſtendendam, protulit: utque declararet in primis, quam præcipites illi Diabolico impulſu ad id facinus ferantur, dixit, *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.*

a) *Pſal.* 13. 3. *Prov.* 1. 16. *Iſa.* 59. 7. *Rom.* 3. 15.

Pſal. 13. 3.

16. *Quid in hoc Præcepto Deus faciendum imperet.*

Jam vero, quæ in hoc Præcepto ſervanda eſſe Chriſtus Dominus jubet, eo ſpectant, ut (b) pacem cum omnibus habeamus. Inquit enim, cum hunc locum interpretaretur, (c) *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum;* & quæ ſequuntur. Quæ ita a Parocho explicabuntur, ut doceat, ſine ulla exceptione omnes charitate complectendos eſſe: ad quam in hujus Præcepti explicatione fideles, quam maxime poterit, incitabit, quod in eo proximi diligendi virtus maxime elucet. Cum enim odium hoc Præcepto aperte vetetur, quoniam, (d) *qui fratrem ſuum odit, homicida eſt;* certe illud conſequitur, ut amoris, & charitatis Præceptum detur.

Pax & dilectio mutua ſervanda.

b) *Rom.* 12. 18. *Hebr.* 12. 14.

c) *Matt.* 5. 24. *Amb. l.* 1. *Offic. c.* 48.

d) 1. *Joan.* 3. 15.

17. *Quæ officia ſint charitatis, quæ hoc Præcepto continentur.*

Cumque hac Lege de charitate, & amore præceptum ſit, tum omnium etiam illorum offi-

cio-

ciorum, atque actionum, quæ charitatem ipſam
a) 1. Cor. 13. 5. *Quomodo charitas hæc omnia ſit, vide D. Th. in 2. 2. q. 23. art. 4. ad 2.* conſequi ſolent, Præcepta traduntur. (a) *Charitas patiens eſt*, inquit divus Paulus: patientia igitur nobis præcipitur, (b) in qua nos animas noſtras poſſeſſuros eſſe Salvator docet. Beneficentia deinde charitatis comes eſt, & ſocia; quoniam (c) *Charitas benigna eſt.* Benignitatis autem, atque beneficentiæ virtus late patet; ejuſque officium in iis rebus maxime verſatur, ut pauperibus ſuppeditemus res neceſſarias, cibum eſurientibus, ſitientibus potum demus, nudos veſtiamus, & quo quiſque opis noſtræ magis indiget, eo in illum plus liberalitatis conferamus.

b) Luc. 21. 19. *Beneficentia & ejus officium. Vide D. Thom. in 2. 2. q. 3. art. 1.*

c) 1. Cor. 13. 5.

18. Quomodo omnium charitatis officiorum perfectiſſimum ſit inimicorum dilectio.

D. Th. in 2. 2. q. 25. art. 8. & 9. Hæc beneficentiæ, & bonitatis officia, quæ per ſe ſunt illuſtria, eo fient illuſtriora, ſi inimicis præſtentur. Ait enim Salvator: (d) *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos:* quod etiam Apoſtolus monet illis verbis: (e) *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus: noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* Deinde, ſi charitatis Legem ſpectemus, quæ benigna eſt, omnia, quæcunque ad manſuetudinem, lenitatem, aliaſque id generis virtutes pertinent, officia colere, ea Lege præſcribi intelligemus.

d) Matt. 5. 44.

e) Rom. 12. 20. Prov. 25. 21. 1. Cor. 13. 4.

19. Qua præcipue re charitas proximi, quæ hic imperatur, eluceſcat.

Condonandas eſſe iniurias hæc loca Scriptura demonſtrant, At vero longe omnium præſtantiſſimum officium, quod charitatis pleniſſimum eſt, in quo nos maxime exercere convenit, illud, ut injurias,

jurias, quas accepimus, æquo animo remittamus, atque condonemus. Quod ut plane efficiamus, sæpe nos divinæ Literæ, ut antea dictum est, monent, atque hortantur; cum non beatos solum eos dicant, qui ita prorsus faciunt, sed erratorum etiam veniam iisdem a Deo datam affirment: qui vero hoc ipsum facere negligunt, aut omnino recusant, illam non consequuntur. Sed quoniam ulciscendi libido hominum mentibus fere insita est, Parochus maximam in eo diligentiam ponat, necesse est, ut injuriarum obliviscì, easque remittere Christianum hominem oportere, non doceat solum, sed penitus etiam fidelibus persuadeat. Cumque hac ipsa de re apud sacros Scriptores multa fiat mentio, eos consulat, ad refellendam eorum pertinaciam, qui in ulciscendi cupiditate animo obstinato sunt, atque obfirmato: argumenta in promtu habeat, quæ illi Patres gravissima, & ad eam rem maxime accommodata pie adhibuerunt.

Deut. 32. 35. *1. Reg.* 25. 32. 33. 26. & 24. 5. 7. 8. *2. Reg.* 19. 20. *Psal.* 7. 5. *Eccl.* 28. *per tot.* *Isa.* 58. 6. *Matt.* 6. 14. 15. *Marc.* 11. 25. 26. *Luc.* 6. 38. *Act.* 7. 60.

Vide Tert. in Apolog. cap. 31. & 37. *D. Aug. tract.* 51. *in Joan. & lib.* 50 *Hom. hom.* 6. & *serm.* 61. *de Tempore.*

20. *Quibus præsertim rationibus odium reprimendum sit, inducendique sint fideles ad injuriarum oblivionem.*

Verum hæc potissimum tria explicanda sunt. Primum est, ut, qui se injuriam accepisse putat, ei maxime persuadeatur, illum detrimenti, aut injuriæ præcipuam causam non fuisse, quem ipse ulcisci cupit. Sic admirabilis ille Job fecit, qui a Sabæis hominibus, a Chaldæis, & a Dæmone graviter læsus, nulla tamen habita eorum ratione, ut vir rectus, & homo admodum pius, recte, pieque iis verbis usus est: (a) *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Itaque patientis-

Prima ratio reprimendi odii. Non potest habere concordiam cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano.

a) *Job* 1. 21. & 2. 10.

tiſſimi illius viri oratione, & exemplo, Chriſtiani homines ſibi perſuadeant, quod veriſſimum eſt, omnia, quæcunque in hac vita patimur, a Domino, qui juſtitiæ omnis, miſericordiæque parens eſt; & auctor, proficiſci.

21. Homines nos perſequentes Dei miniſtri, ac ſatellites ſunt, quamvis id ex mala voluntate faciant.

Pœnas omnes & afflictiones divinitus hominib. immitti ad certam aliquam utilitatem omnibus debet eſſe perſuaſiſſimum.
Amos 3. 6.
a) *Prov. 13. 11. Hebr. 12. 6. Apoc. 3. 19.*
b) *Gen 45. 5. 6. 7.*
c) *2. Reg. 16. 10. 11. 12.*
Chryſoſt. tom. 5. in Hom. quod nemo lædatur, niſi a ſeipſo.

Neque vero ille nos, quæ ejus eſt immenſa benignitas, ut inimicos punit, ſed (a) uti filios corrigit, & caſtigat. Nec profecto, ſi recte animadvertimus, in hiſce rebus homines aliud omnino ſunt, niſi miniſtri, & quaſi ſatellites Dei: & quamquam homo poteſt male aliquem odiſſe, peſſimeque illi cupere: tamen ei, niſi permiſſu Dei, nocere nullo modo poteſt. Hac ratione (b) adductus Joſeph, fratrum impia conſilia; ſic (c) David injurias ſibi a Semei illatas æquo animo tulit. Ad hanc item rem illud argumenti genus valde pertinet, quod ſanctus Chryſoſtomus graviter, atque erudite pertractavit, neminem ſcilicet niſi a ſeipſo lædi. Nam qui ſe injurioſe tractatos eſſe opinantur, ſi rem recta ſecum via reputent, comperient, nullam profecto ſe ab aliis injuriam, aut damnum accepiſſe. Etſi enim, quibus ipſi læduntur, ea extrinſecus eveniunt; tamen ſe maxime ipſi offendunt, cum animum odio, cupiditate, invidia nefarie contaminant.

22. Quæ ad eos commoda proveniant, qui injurias libenter condonant.

Secunda ratio inducens ad iniuriarum oblivionem.
d) *Matt. 6. 14. & 18. 33.*

Alterum eſt, quod duo præcipua commoda complectitur, quæ ad eos pertinent, qui pio erga Deum ſtudio adducti, injurias libenter remittunt. Quorum primum illud eſt, (d) quod

alie-

aliena debita remittentibus promiſit Deus fore, ut ipſi etiam peccatorum veniam impetrent: ex quo promiſſo, quam gratum illi ſit hoc pietatis officium, facile apparet. Alterum commodum eſt, quod nobilitatem quandam, & perfectionem aſſequimur; quoniam condonandis injuriis, quodammodo Dei ſimiles efficimur, (a) qui *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos.*

a) *Matt.* 5. 45. *Luc.* 6. 27.

23. Quæ, & quot incommoda ex odio inimicorum proveniant.

Poſtremo explicanda ſunt incommoda illa, in quæ nos tum incidimus, cum injurias, quæ nobis illatæ ſunt, condonare nolumus. Itaque Parochus illis, qui ſibi in animum inducere non poſſunt, ut inimicis ignoſcant, ob oculos ponat, odium non ſolum grave peccatum eſſe, ſed etiam diuturnitate peccandi gravius inhærere. Cum enim is, in cujus animo hic affectus inſederit, inimici ſui ſanguinem ſitiat, illius ulciſcendi ſpe plenus, dies, noctesque, in perenni quadam mala mentis agitatione ita verſatur, ut nunquam a cædis, aut nefariæ alicujus rei cogitatione ceſſare videatur. Quo fit, ut is vel nunquam, vel maximo negotio ad id impellatur, ut aut prorſus ignoſcat, aut aliqua ſaltem ex parte injurias remittat. Quare merito vulneri comparatur, cui telum infixum hæret.

Tertia ratio. Odii perverſitas. Vide D. Thom. in 2. 2. q. 34. art. 3. & 4.

24. Multa peccata ex odio naſci demonſtratur.

Multa præterea incommoda, & peccata ſunt, quæ hoc uno odii peccato, tanquam vinculo quodam, conjuncta tenentur: ideoque divus Joannes in hanc ſententiam ita dixit: (b) *Qui fra-*

b) 1. *Joan.* 2. 11.

fratrem ſuum odit, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit, quo eat; quia tenebræ obcœcaverunt oculos ejus: itaque ſæpius labatur neceſſe eſt. Etenim quo pacto fieri poteſt, ut dicta aliquis, aut facta illius probet, quem oderit? Hinc temeraria, & iniqua judicia exiſtunt, iræ, invidiæ, obtrectationes, & alia ejuſmodi, quibus illi quoque implicari ſolent, qui aut cognatione, aut amicitia juncti ſunt. Itaque ſæpe fit, ut ex uno peccato multa exiſtant. Neque injuria dicitur (a) hoc peccatum eſſe Diaboli; quandoquidem (b) ipſe ab initio homicida fuit. Quamobrem Dei Filius Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cum ſibi mortem Phariſæi afferre cuperent, (c) illos a parte Diabolo genitos eſſe dixit.

a) 1. *Joan.* 3. 10. 11.

b) *Joan.* 8. 44. *Diabolus homicidii, & odii verus parens.*

c) *Joan.* 8. 44.

25. Remedia adverſus peccatum odii.

Sed præter hæc, quæ dicta ſunt, unde ſceleris hujus deteſtandi rationes peti poſſunt, alia quoque remedia, & ea profecto maxime opportuna, ſanctarum Literarum monumentis tradita ſunt. Ac primum omnium remedium, & maximum eſt Salvatoris noſtri exemplum, quod ad imitandum nobis proponere debemus. Is enim, cum (d) ne minima quidem peccati ſuſpicio in eum cadere poſſet, virgis cæſus, ſpinis coronatus, & cruci denique affixus, eam habuit orationem pleniſſimam pietatis: (e) *Pater dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt:* cujus aſperſionem ſanguinis teſtatur (f) Apoſtolus melius loquentem, quam Abel.

Chriſti exemplum valet ad reprimendum odium.

d) *Iſa.* 53. 9. *Joan.* 8. 46. 1. *Petr.* c. 2. 2. 1. *Joan.* 3. 5.

e) *Luc.* 23. 34.

f) *Hebr.* 12. 24.

Alterum autem remedium ab Eccleſiaſtico propoſitum eſt, ut mortem, atque illum Judicii diem recordemur: (g) *Memorare,* inquit ille,

Noviſſimorum memoria valet ad odium reprimendum.

g) *Eccleſ.* 7. 40.

le, *novissima tua, & in æternum non peccabis.* Quæ sententia eodem spectat, ac si dicat: Illud sæpe etiam atque etiam cogita, brevi fore, ut mortem obeas: proinde, quia tali tempore tibi optatissimum erit, & maxime necessarium summam Dei misericordiam impetrare, eam tibi ob oculos jam nunc, perpetuoque proponas necesse est; ita enim fiet, ut immanis illa ulciscendi cupiditas tibi exhauriatur; cum ad misericordiam Dei implorandam nullum aptius, majusve remedium invenias, quam oblivionem injuriarum, & amorem in eos, qui te, aut tuos re, aut oratione violarint.

DE SEXTO PRÆCEPTO.

CAPUT VII.

Non mœchaberis.

1. Quo pertineat iſtud Præceptum, quaque ratione a Parochis tractandum ſit.

Quare poſt Præceptum de homicidio illud ponatur, quod ad adulterium ſpectat.

Quoniam viri, & uxoris vinculum arctiſſimum eſt, & nihil utrique jucundius accidere poteſt, quam intelligere, ſe mutuo quodam, & ſingulari amore diligi, contra nihil moleſtius, quam ſentire, a ſe debitum, & legitimum amorem alio transferri; recte quidem, atque ordine illam, quæ hominis vitam a cæde tuetur, Legem, hæc, quæ de mœchia, ſive adulterio eſt, conſequitur; ut ſanctam illam, & honorabilem Matrimonii conjunctionem, unde magna charitatis vis exiſtere ſolet, nemo ullo adulterii ſcelere violare, aut dirimere audeat. Sed tamen in hac ipſa re explicanda cautus admodum ſit Parochus, & prudens, & tectis verbis rem commemoret, quæ moderationem potius deſiderat, quam orationis copiam. Verendum eſt enim, ne, dum is late, atque copioſe nimis explicare ſtudet, quibus modis homines ab hujus Legis præſcripto diſcedant, in illarum rerum ſermonem forte incidat, unde excitandæ potius libidinis materia, quam reſtinguendæ illius ratio emanare ſolet.

De adulterio recte, & moderate eſt loquendum.

2. Quæ

2. *Quæ in hoc Præcepto jussa comprehendantur.*

Sed quoniam hoc Præcepto multa continentur, quæ prætermittenda non sunt, ea suo loco explicabuntur a Parochis. Ejus igitur duplex vis est: altera, qua disertis verbis adulterium vetatur: altera, quæ eam sententiam inclusam habet, ut animi, corporisque castitatem colamus.

3. *Quid sub nomine Mœchiæ, seu adulterii hic prohibeatur.*

Ut autem ab eo, quod prohibitum est, docendi initium sumatur; Adulterium est legitimi tori injuria, sive alienus, sive proprius ille sit. Etenim si maritus cum muliere soluta rem habet, suum ipse torum violat: si vero solutus vir alienam uxorem cognoscat, adulterii labe torus alienus inquinatur. Hoc vero adulterii interdicto omnia prohiberi, Divus Ambrosius, & Augustinus auctores sunt, quæcunque inhonesta sunt, & impudica. In hanc sententiam hæc verba accipienda esse, ex sacris Literis tum veteris, tum novi Testamenti licet colligere: nam præter adulterium alia libidinis genera apud Moysen puniuntur.

Quid sit adulterium. Grat. 36. q. 1. cap. 2. §. Cum vero.

Hoc Præcepto omnem impuram libidinem prohiberi. D. Ambr. lib. 1. offic. cap. 50. in fine. D. Aug. q. 71. super Exo.

4. *Variæ libidinum species, quæ in Scripturis numerantur.*

Est Judæ in (a) Genesi judicium in nurum suam: est præclara illa in (b) Deuteronomio Moysis Lex, ne de filiabus Israel ulla esset meretrix: extat præterea Tobiæ ad filium ejusmodi adhortatio: (c) *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione.* Ecclesiasticus item, (d) *Erubescite,* inquit, *a respectu mulieris fornicariæ:* in Evangelio etiam Christus Dominus inquit, (e) de corde exire adulteria, & fornicationis, quæ

D. Thom. in 2. 2. q. 154. art. 1.
a) *Gen. 38. 24.*
b) *Deut. 23. 17.*
c) *Tob. 4. 13.*
d) *Eccl. 41. 25.*
e) *Matt. 15. 19.*

coinquinant hominem. Apoſtolus vero Paulus hoc vitium ſæpe multis, graviſſimiſque ver-

a) 1. Theſſ. 4. 3. bis deteſtatur. (a) *Hæc eſt*, ait, *voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos a fornicatione:*

b) 1. Cor. 6. 18. &, (b) *Fugite fornicationem:* &, (c) *Ne commiſcea-*

c) 1. Cor. 5. 9. *mini fornicariis:* &, (d) *Fornicatio autem, & omnis*

d) Eph. 5. 3. *immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis:*

e) 1. Cor. 6. 9. &, (e) *Neque fornicarii, neque adulterii, neque molles, neque maſculorum concubitores Regnum Dei poſſidebunt.*

5. Cur præcipue in hoc Præcepto adulterii ſit facta mentio.

Cur Legislator omnem impuram libidinem prohibiturus peculiariter adulterii meminerit.

Præcipue vero ob eam rem adulterium diſerte vetitum eſt, quia præter turpitudinem, quæ illi cum aliis intemperantiæ generibus communis eſt, injuſtitiæ quoque peccatum non ſolum in proximum, ſed etiam in civilem ſocietatem adjunctum habet. Eſt illud item certum, qui ſe a libidinum cæterarum intemperantia non abſtinet, eum ad hanc, quæ adulterii eſt,

Voluntas pro facto hic habetur. incontinentiam facile labi. Quare hoc adulterii interdicto facile intelligimus omne impuritatis, & impudicitiæ genus, quo polluitur corpus, prohiberi. Imo vero omnem intimam animi libidinem hoc Præcepto vetitam eſſe, tum ipſius Legis vis ſignificat, quam ſpiritualem eſſe conſtat, tum Chriſtus Dominus docuit

f) Matth. 5. 28. 29. illis verbis: (f) *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quod omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Hæc ſunt, quæ Fidelibus publice tradenda duximus, ſi tamen ea addantur, quæ a ſacra Tridentina Synodo in

Trid. Syn. ſeſſ. 24. c. 8. de Refor. adulteros, & eos, qui ſcorta, & pellices alunt, de-

decreta ſunt, prætermiſſis multis aliis, ac variis impudicitiæ, & libidinis generibus, de quibus privatim unuſquiſque a Parocho admonendus erit, ut temporis, & perſonarum ratio poſtulabit. Sequitur nunc, ut ea explicentnr, quæ jubendi vim habent.

6. Quid præter ea, quæ prohibentur, hic neceſſario obſervandum præſcribatur.

Docendi igitur ſunt Fideles, ac vehementer hortandi, ut pudicitiam, & continentiam omni ſtudio colant, (a) mundentque ſe ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. In primis autem admonendi ſunt, quamvis caſtitatis virtus in eorum hominum genere magis eluceat, qui pulcherrimum illud, ac plane divinum virginitaiis propoſitum ſancte, & religioſe colunt, tamen iis etiam convenire, qui vel cœlibem vitam agunt, vel Matrimonio juncti, a vetita libidine ſe puros, & integros ſervant.

Caſtitas unicuique pro diverſitate ſtatus neceſſario ſervanda.

a) 1. Cor. 7. 1. *Caſtitas in triplici hominum genere invenitur. Vide Trid. Syn. ſeſſ. 24. de Matrimon. can. 9. & ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 1.*

7. Quæ ſint potiſſimum cogitanda volenti libidines ſuas edomare.

Quoniam vero multa a ſanctis Patribus tradita ſunt, quibus docemur domitas habere libidines, & coercere voluptates, ea Parochus ſtudeat populo accurate exponere, atque in hac tractatione diligentiſſime verſetur. Hæc autem ejuſmodi ſunt, partim quæ in cogitatione conſiſtunt, partim quæ in actione. Quod in cogitatione remedium poſitum eſt, id in eo maxime verſatur, ut intelligamus, quanta ſit hujus peccati turpitudo, & pernicies, qua cognita facilior fiet ejus deteſtandi ratio. Per-

Caſtitatis ratio in eo conſiſtit, ut quis a vetita libidine ſe purum, & integrum ſervet.

Quibus cogitationibus remedium adverſus libidines ſit quærendum, quamque pernicioſa ſit libido.

Prima ratio.

nicioſum vero ſcelus eſſe, intelligi ex eo po-
a) 1. Cor. 6. 9. Apoc. 22. 15. Gal. 5. 19. 20. teſt, quoniam propter hoc (a) peccatum e Dei Regno pelluntur, atque exterminantur homines: quod malorum omnium ultimum eſt.

Secunda. Et hæc quidem calamitas omnium ſcelerum communis eſt. Illud autem hujus peccati proprium, quod qui fornicantur, in ſua ipſi corpora peccare dicuntur, ex ſententia Apoſtoli
b) 1. Cor. 6. 18. ita ſcribentis: (b) *Fugite fornicationem: omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Quod ob eam cauſam dictum eſt, quoniam illud injurioſe tractat, cum ejus violat ſanctitatem. Qua de re ad Theſſalonicenſes ita Di-
c) 1. Theſſ. 4. 3. vus Paulus: (c) *Hæc eſt*, inquit, *voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos a fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum.*

Tertia ratio. Deinde, id quod ſceleſtius eſt, ſi homo Chriſtianus meretrici turpiter ſe dedat, membra, quæ Chriſti ſunt, ea meretricis facit. Ita enim Di-
d) 1. Cor. 6. 19. vus Paulus ait; (d) *Neſcitis, quoniam cor ora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?*

Quarta ratio. Eſt præterea homo Chriſtianus, ut idem te-
e) 1. Cor. 6. 19. ſtatur. (e) Templum Spiritus Sancti: quod violare, nihil aliud eſt, niſi ab eo Spiritum Sanctum ejicere.

8. Quibus rationibus adulterii enormitatem intelligere liceat.

f) 1. Cor. 7. 4. Quod ſuum non eſt, alteri tradit adulter. In adulterii autem ſcelere magna ineſt iniquitas. Si enim, ut vult Apoſtolus, (f) qui

Ma-

Matrimonio juncti ſunt, ita eorum alter alterius poteſtati mancipatus eſt, ut neuter ſui corporis poteſtatem, juſque habeat, ſed mutuo quodam ſint inter ſe quaſi ſervitutis vinculo ita devincti, ut vir ad uxoris voluntatem, contraque uxor ad viri nutum, voluntatemque ſe accommodare debeat; certe ſi alteruter corpus ſuum, quod eſt alieni juris, ab eo, cui illud adſtrictum eſt, disjungit, is admodum iniquus eſt, & nefarius. Et quoniam infamiæ metus & ad ea, quæ juſſa ſunt, vehementer incitat homines, & a vetitis magnopere deterret; docebit Parochus, adulterium hominibus inſignem turpitudinis notam inurere. Nam ſacris Literis ita proditum eſt: (a) *Qui adulter eſt, propter cordis inopiam, perdet animam ſuam: turpitudinem, & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur.* Verum hujus ſceleris magnitudo ex ſupplicii ſeveritate facile perſpici poteſt. Adulteri enim, (b) Lege a Domino in veteri Teſtamento præſcripta, obruebantur lapidibus.

Turpitudinis notam inurit adulterium.

a) *Prov.* 6. 32. 33.

Joan. 8. 5. *Adulteri lapidibus obruendi.*

Trid. Syn. ſeſſ. 24 *decret. de reform. Matrim. cap.* 8.

b) *Lev.* 20. 10. *Ob libidinem integra civitas deletur.*

Cujuſmodi pœnæ impuras libidines fere conſequi ſoleant.

Quin etiam ob unius libidinem, non ſolum qui ſcelus admiſit, ſed univerſa interdum civitas (c) ut de Sichimitis legimus, deleta eſt. Multa divinæ animadverſionis exempla in ſacris Literis prodita ſunt, quæ ad deterrendos a nefaria libidine homines Parochus colligere poterit, (d) ut Sodomæ, & reliquarum finitimarum urbium interitus; (e) Iſraelitarum, qui fornicati ſunt cum filiabus Moab in deſerto, ſupplicium; (f) Benjamitarum deletio. Qui

c) *Gen.* 34. 25. 26. 27. *Pentapolitos regia abſorbetur.*

d) *Gen.* 19. 24.

e) *Num.* 25. 4.

f) *Judic.* 20. *per totum.*

Israelitæ in deserto trucidantur.
Beniamitæ prope delentur.
Homines mente obcæcantur, & ad omnia inepti efficiuntur.

vero mortem effugiunt, intolerabiles tamen dolores, ac pœnarum cruciatus, quibus sæpe plectuntur, non effugiunt. Nam mente cœci, quæ pœna gravissima est, ita fiunt, ut neque Dei, neque famæ, neque dignitatis, neque filiorum denique, vitæque suæ rationem habeant: hocque pacto adeo nequam, & inutiles fiunt, ut nihil grave committi eis debeant, & ad nullum fere officii munus idonei sint. Hujus rei exempla a Davide, & Salomone petere nobis licet: (a) quorum alter, postquam adulteratus est, repente sui dissimillimus, ex mitissimo crudelis extitit, ut Uriam optime de se meritum morti obtulerit; (b) alter cum se totum in mulierum libidinem profudisset, ita a vera Dei religione sese avertit, ut alienos Deos sequeretur. (c) Aufert igitur, ut Oseas dixit, hoc peccatum cor hominis, sæpeque excæcat. Nunc ad ea remedia veniamus, quæ in actione consistunt.

a) 2. *Reg.* 11. & 12. *per tot.*

b) 3. *Reg.* 11. *per totum.*

c) *Osc.* 4. 11.

1o. Quibus modis homines ad libidinem incitentur, quos illi evitare præcipue debent.

De remediis libidinum in actione consistentibus.
Otia fugienda Crapula vitanda.

Quorum primum illud est, ut otium maxime fugiamus: in quo Sodomitæ homines, (d) ut est apud Ezechielem, cum hebescerent, in spurcissimum illud nefariæ libidinis scelus præcipites lapsi sunt.

d) *Ezech.* 16. 49.

e) *Jerem.* 5. 7. *Vide Hier. de custodia virg. ep.* 22. 34.

Deinde crapula magnopere est vitanda. (e) *Saturavi eos*, inquit Propheta, *& mœchati sunt*; quoniam venter expletus ac saturatus libidinem parit. Hoc ipsum illis verbis Dominus significavit: (f) *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate:* hoc item Apostolus, (g) *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria.*

f) *Luc.* 21. 34. *Rom.* 13. 13.

g) *Eph.* 5. 18.

Sed

Sed maxime animus ad libidinem oculis inflammari solet : quo pertinet illa Christi Domini sententia : (a) *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum: & projice abs te.* Multæ præterea sunt Prophetarum de eadem re voces, ut est apud Job : (b) *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sunt multa denique, ac pene innumerabilia exempla malorum, quæ ex oculorum aspectu ortum habuerunt. Sic (c) David, (d) sic Rex Sichem peccavit, (e) hocque item pacto senes illi Susannæ calumniatores deliquerunt.

Obtutus.

a) *Matt.* 5. 29. & 18. 9. *Marc.* 9. 47.

b) *Job* 31. 1. *Thren.* 3. 5. *Eccle.* 9. 5.

c) 2. *Reg.* 11. d) *Gen.* 34. 2. e) *Dan.* 13. 8.

11. *Mulierum exquisitus ornatus, sermonesque obscœni, & alia luxuriæ incitamenta fugienda.*

Elegantior item ornatus, quo oculorum sensus valde excitatur, occasionem libidini non parvam sæpe præbet ; ideoque Ecclesiasticus monet : (f) *Averte faciem tuam a muliere compta.* Cum igitur mulieres in nimio ornatus studio versentur, non alienum erit, si Parochus aliquam in eo diligentiam adhibeat, ut eas interdum moneat, objurgetque verbis, quæ hoc de genere gravissima Apostolus Petrus ita protulit (g) *Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Divus Paulus item, (h) *Non in tortis,* inquit, *crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.* Multæ enim auro, & margaritis adornatæ, ornamenta mentis & corporis perdiderunt.

Ornatus elegans, & exquisitus.

Isa. 3.

f) *Eccles.* 9. 8.

g) 1. *Petr.* 3. 3.

h) 2. *Tim.* 2. 9.

Hoc autem libidinis incitamentum quod e vestium exquisito ornatu existere solet, alterum sequitur, quod est turpis, obscœnique sermonis. Nam verborum obscœnitate, quasi

Obscœnus sermo.

face quadam ſubjecta, adoleſcentum animi ac-
a) 1. Cor. 15. 33. cenduntur. (a) *Corrumpunt* enim *mores bonos colloquia mala*, inquit Apoſtolus.

Saltationes & cantus molles.

Hocque ipſum cum maxime efficiant delicatiores, & molliores cantus, ac ſaltationes, ab iis quoque diligenter cavendum eſt.

Libri obſcæni. Imagines fœdæ.

Quo in genere numerantur item libri obſcœne, & amatorie ſcripti: qui ita vitandi ſunt, ut imagines, quæ aliquam turpitudinis ſpeciem præſeferunt; cum ad turpes rerum illecebras, inflammandoſque adoleſcentum animos vis in illis ſit maxima. Sed Parochus in primis curet, ut quæ de iis a ſacroſancto Tridentino Concilio pie, religioſeque conſtituta ſunt, ea ſanctiſſime ſerventur. Hæc vero omnia, quæ commemorata jam ſunt, ſi magno adhibito ſtudio, curaque vitentur, omnis fere libidinis materia tollitur.

Trid. Syn. ſeſſ. 25. in decret. de ſanctis Imaginib.

12. Confeſſionis, & Euchariſtiæ, & piarum rerum uſus ad caſtitatem conſequendam eſt neceſſarius.

Caſtitas recte petentibus non negatur. Matth. 19. 12. Greg. Naz. orat. 31. cap. 8. in fin. 1. Cor. 10. 13.

Sed ad illius vim opprimendam maxime valet frequens Confeſſionis, & Euchariſtiæ uſus; tum aſſiduæ, ac piæ quædam ad Deum preces, cum eleemoſynis, atque jejunio conjunctæ. Eſt enim caſtitas donum Dei, quod recte petentibus non denegat; nec patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus.

13. Corpus caſtitatem ſectanti domandum.

Corpus autem non jejuniis modo, & iis præſertim, quæ ſancta Eccleſia inſtituit, ſed vigiliis etiam, piis peregrinationibus, atque aliis afflictationum generibus exercendum eſt, ſenſuumque appetitiones reprimendæ. In his enim, atque aliis hujuſmodi rebus, maxime cer-

cernitur temperantiæ virtus. In quam ſententiam ad Corinthios ita Divus Paulus ait: (a) *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam:* & paulo poſt: *Caſtigo,* inquit, *corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar;* & alio loco: (b) *Carnis curam ne feceritis in deſideriis.*

a) 1. Cor. 9. 25.

Ibid. 27.

b) Rom. 12. 14.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO.

CAPUT VIII.

Non furtum facies.

1. Quanta sit hujus Præcepti commendatio, & cum duobus præcedentibus connexio.

Veterem hunc Ecclesiæ morem fuisse, ut hujus Præcepti vis, & ratio inculcaretur auditoribus, indicat illa apud Apostolum objurgatio eorum, qui cæteros ab iis vitiis maxime deterrerent, quibus ipsi cumulati reperiebantur (a) *Qui enim*, inquit, *alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?* Quo doctrinæ bono non solum frequens illorum temporum peccatum corrigebant; sed etiam turbas, ac lites sedebant, aliasque malorum causas, quæ Furto commoveri solent. In iis & delictis, & delictorum incommodis, atque calamitatibus cum nostra etiam hæc ætas misere versetur, ad exemplum sanctorum Patrum, & Christianæ disciplinæ Magistrorum, Parochi hunc urgebunt locum, & assidue, ac diligenter hujus Præcepti vim, ac sententiam explicabunt. Ac primum officium, & diligentiam suam conferent ad declarandum infinitum Dei amorem erga genus humanum, qui non modo illis duobus interdictis, *Non occides*, *Non mœchaberis*, quasi præsidiis, & vitam, corpusque nostrum, & famam, existimatio-

a) *Rom.* 2. 21.

Utilitas huius doctrinæ.

tionemque noſtram tueatur; ſed etiam hoc Præcepto *Non furtum facies*, tanquam cuſtodia quadam externa, res, ac facultates muniat, ac defendat.

2. *Quæ ſit hujus Præcepti ſubjecta ſententia.*

Quam enim hæc verba ſubjectam habent notionem, niſi eam, quam ſupra diximus, cum de aliis Præceptis loqueremur? vetare videlicet Deum, bona hæc noſtra, quæ in ejus tutela ſint, a quoquam auferri; aut violari. Quod divinæ Legis beneficium quo majus eſt, eo nos in ipſius beneficii auctorem Deum gratiores eſſe oportet. Et quoniam & habendæ, & referendæ gratiæ nobis optima ratio propoſita eſt; ut non tantum Præcepta libenter auribus accipiamus, ſed etiam re ipſa probemus; ad hoc colendum Præcepti officium Fideles excitandi, & inflammandi ſunt. Eſt autem hoc Præceptum, quemadmodum ſuperiora, diviſum in duas partes, quarum altera, quæ Furtum vetat, aperte eſt enuntiata; alterius ſententia, & vis, qua jubemur benigni, & liberales eſſe in proximos, in priore occulta eſt, & involuta. De priore igitur prius dicetur, *Non furtum facies.*

D. Thom. in 1. 2. q. 100. art. 5. & in 2. 2. q. 122. art. 6.

Hoc Præceptum ut alias, in duas partes dividitur.

3. *Quid* Furti *vocabulo hic Legislator ſignificatum velit.*

In quo illud animadvertendum eſt, *Furti* nomine non id modo intelligi, cum occulte ab invito domino aliquid aufertur, ſed etiam, cum aliquid alienum contra voluntatem ſcientis domini poſſidetur. Niſi forte exiſtimandum eſt, eum, qui Furtum prohibeat, Rapinas factas per vim, & injuriam non improbare;

D. Aug. qu. 71. in Exod. & 32. qu. 4. cap. Meretrices.

cum

a) 1. Cor. 6. 10. cum extet illud Apoſtoli, (a) *Rapaces regnum Dei non poſſidebunt;* quorum omnem rationem, & conſuetudinem fugiendam eſſe, idem ſcribit (b) Apoſtolus. Quamquam vero majus peccatum Rapinæ ſint, quam Furtum, quæ præter rem, quam alicui adimunt, præterea vim afferunt, & majorem imponunt ignominiam.

b) 1. Cor. 5. 10. *Rapina Furto eſt deterior. Vide D. Thom. in 2. 2. qu. 66. art. 4. & 9.*

4. Cum omnem injuſtam rei alienæ uſurpationem Deus hic prohibere velit, cur potius Furti quam Rapinæ meminerit.

Furtum latius patet, quam Rapina, vide ff. 1. & inſtit. de furtis l. de obligationibus, quæ ex delict. naſc. Qui leviora prohibet, procul dubio graviora non admittit.

Mirandum tamen non eſt, quod leviori hoc *Furti* nomine notatum ſit divinæ Legis Præceptum, non Rapinæ. Id enim ſumma ratione factum eſt, quia Furtum latius patet, & ad plura pertinet, quam Rapinæ, quas tantummodo illi facere poſſunt, qui potentia, & viribus præſtant. Quamquam nemo non videt, excluſis ejuſdem generis levioribus peccatis, graviora etiam facinora prohiberi.

5. Ennumerantur Furti latius ſumpti ſpecies.

Variis autem nominibus notatur injuſta poſſeſſio, & uſus rerum alienarum ex varietate eorum, quæ & invitis, & inſciis Dominis auferuntur. Nam ſi privatum quid privato adimitur, *Furtum* dicitur: ſi furripitur publico, *Peculatus* appellatur: *Plagium* vocant, ſi homo liber, vel ſervus alienus in ſervitutem abducitur: ſi vero ſacra res eripitur, nominatur *Sacrilegium*, quod facinus maxime nefarium, ac ſceleſtum adeo in mores inductum eſt, ut bona, quæ neceſſario & ſacrorum cultui, & Eccleſiæ miniſtris, & pauperum uſui pie, ac ſapienter fuerant attributa, in privatas cupiditates, perniciоſaſque libidines convertantur.

6. Non

6. Non illi dumtaxat hoc Præceptum transgrediuntur, qui re ipsa aliena possident, sed etiam animo.

Sed præter ipsum Furtum, id est, externam actionem, furandi etiam animus, & voluntas Dei Lege prohibetur. Est enim spiritualis Lex, quæ animum, fontem cogitationum, & consiliorum inspicit: (a) *De corde enim*, inquit Dominus apud sanctum Matthæum, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, Furta, falsa testimonia.*

Furandi voluntas etiam prohibetur. Lex, quæ Christianis est proposita, etiam cogitationum rationem habet.

a) *Matt.* 15. 19

7. Unde potissimum Furti gravitatem metiri possimus.

Sed quam grave scelus Furtum sit ipsa naturæ vis, & ratio satis ostendit. Est enim justitiæ contrarium, quæ suum cuique tribuit. Nam bonorum distributiones, & assignationes jam inde ab initio jure gentium constitutas, divinis etiam, & humanis legibus confirmatas, ratas esse oportet; ut unusquisque, nisi humanam societatem tollere velimus, ea teneat, quæ ei jure obtigerunt. Nam, ut Apostolus ait, (b) *Neque Fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque Rapaces Regnum Dei possidebunt.* Etsi hujus sceleris importunitatem, & immanitatem permulta declarant, quæ Furtum consequuntur. Fiunt enim judicia temere, & inconsulto, multa de multis; erumpunt odia; suscipiuntur inimicitiæ; existunt interdum acerbissimæ innocentium hominum damnationes.

Bonorum distributio Jure gentium introducta est. dist. 1. c. Jus gentium.

b) 1. *Cor.* 6. 10.

Mala, quæ Furtum consequuntur.

8. Quomodo sint ablata necessario restituenda.

Quid dicemus de necessitate, quæ divinitus imposita est omnibus, satisfaciendi ei, cui aliquid

S. Aug. ep. 54. ad Maced. & habetur 14. q. 6. c. 1.

& in 6. de uſuris cap. cum & eo. & de reg. Jur. ca. Peccatum.

quid ademptum ſit? *Non enim*, inquit Auguſtinus, *remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Quæ reſtitutio, cum quis aſſueverit ex alienis locupletari, quantam habeat difficultatem, præter id, quod unuſquiſque & ex aliorum conſuetudine, & de ſuo ſenſu judicare poteſt, ex teſtimonio Abacuch Prophetæ licet intelligere. Inquit enim; (a) *Væ ei, qui multiplicat non ſua, uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum!* Lutum appellat denſum, rerum alienarum poſſeſſionem, unde emergere, & expedire ſe homines difficile poſſint. Furtorum autem tam multa ſunt genera, ut ea dinumerare ſit difficillimum. Quare de his duobus, Furto, & Rapinis, dixiſſe ſatis erit: ad quæ, tanquam ad caput reliqua, quæ dicemus, referuntur. Ad ea igitur deteſtanda, & ad fidelem Populum a ſceleſto facinore deterrendum, conferent omnem curam, ac diligentiam Parochi. Verum hujus generis partes perſequamur.

9. Quæ ſint præcipua Furtorum genera, quique Furibus ſint annumerandi.

Res Furto ſublatas emere non licet. Nec inventas retinere. D. Aug. lib. 50. hom. 9. & de verbis Apo. ſer. 19. Inventa merito pauperibus danda. cap. Cum tu, de uſuris.

Sunt igitur Fures etiam, qui Furto ſublatas res emunt, vel aliquo modo inventas, occupatas, aut ademptas retinent. Ait enim ſanctus Auguſtinus: *Si inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Quod ſi rerum dominus nulla ratione inveniri poteſt, illa ſunt bona in uſus pauperum conferenda; quæ ut reſtituat qui adduci non poteſt, ea re facile probat, ſe undique ablaturum omnia, ſi poſſit.

Mercatores, qui fraude, & dolo utuntur, ſunt Fures.

Eodem ſe alligant ſcelere, qui in emendis, vendendiſque rebus fraudes adhibent, & vanitatem orationis: horum fraudes vindicabit

Do-

Dominus. Graviores, & iniquiores in hoc Furtorum genere sunt ii, qui fallaces, & corruptas merces vendunt pro veris, & integris; quive pondere, mensura, numero, ac regula decipiunt emptores. Est enim in Deuteronomio: (a) *Non habebis in sacculo diversa pondera,* & in Levitico, (b) *Nolite facere iniquum aliquid, in judicio, in regula, in pondere, in mensura; statera justa, & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius:* est & alio loco: (c) *Abominatio est apud Dominum pondus, & pondus, statera dolosa non est bona.*

a) *Deut.* 25. 13.
b) *Lev.* 19. 36.
c) *Prov.* 20. 23. *Prov.* 11. 1. & 20. 10.

Furtum etiam apertum est operariorum, & artificum, qui totam & integram mercedem ab iis exigunt, quibus ipsi justam, ac debitam operam non dederunt. Nec vero distinguuntur a Furibus servi dominorum, rerumque custodes infidi; quin etiam eo sunt detestabiliores, quam reliqui Fures, qui clavibus excluduntur, quod furaci servo nihil domi obsignatum, aut occlusum esse potest.

Operarii, qui non operantur quantum debent, sunt fures, & servi infidi.

Furtum præterea facere videntur, qui fictis, simulatisque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent: quorum eo gravius est peccatum, quod Furtum mendacio cumulant. Illi quoque in Furum numero reponendi sunt, qui cum ad privatum aliquod, publicumve officium conducti sunt, vel parvam operam navantes, munus negligunt, mercede tantum, & pretio fruuntur. Reliquam Furtorum multitudinem a solerti avaritia, quæ omnes pecuniæ vias novit, excogitatam, persequi longum est, &, ut diximus, difficillimum.

Fures etiam sunt ficti mendici.

Et qui muneri suo non satisfaciunt.

10. Quæ sint Rapinarum genera, quique Raptores dicendi.

Itaque de Rapinis, quod est alterum horum scelerum caput, dicendum videtur; si prius monuerit Parochus Christianum populum, ut
a) 1. Tim. 6. 9. meminerit illius Apostoli sententiæ, (a) *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli:* nec ullo loco sibi patiatur excidere
b) Matt. 7. 12. Præceptum hoc, (b) *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis:* & illud cogitet
c) Tob. 4. 16. Luc. 6. 31. perpetuo, (c) *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias.*

De Rapinarum, & raptorum generibus. Primum genus.

Rapinæ igitur patent, latius: nam qui debitam operariis mercedem non persolvunt, sunt Rapaces. Quos sanctus Jacobus ad pœnitentiam invitat his verbis: (d) *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis:* cujus pœnitentiæ causam subjungit, (e) *Ecce enim merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Quod
f) Lev. 19. 13. g) Deut. 24. 14. h) Malach. 3. 5. i) Tob. 4. 15. genus Rapinarum in (f) Levitico, in (g) Deuteronomio, apud (h) Malachiam, & apud (i) Tobiam vehementer improbatur. In hoc crimine Rapacitatis includuntur, qui, quæ Ecclesiæ Præsidibus, & Magistratibus debentur, vectigalia, tributa, decimas, & reliqua hujus generis non dissolvunt, vel intervertunt, & ad se transferunt.

11. Fœnerari est Rapinam committere, & quam grave scellus illud sit.

Quid usura. Vide c. Plerique & c. Usura 14. q. 3. & tot. q. & seq.

Huc etiam referuntur Fœneratores, in Rapinis acerrimi, & acerbissimi, qui miseram plebem compilant, & trucidant usuris. Est autem

tem usura, quicquid præter sortem, & caput illud, quod datum est, accipitur, sive pecunia sit, sive aliquid aliud, quod emi, aut æstimari possit pecunia. Sic enim apud Ezechielem scriptum est: (a) *Ad usuram non commodaverit, & † superabundantiam non acceperit*, & Dominus apud Lucam, (b) *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Gravissimum semper fuit hoc facinus, etiam apud gentes, & maxime odiosum. Hinc illud, *Quid fœnerari? quid hominem, inquit, occidere?* Nam qui fœnerantur, bis idem vendunt, aut id vendunt, quod non est.

a) *Ezech.* 18. 8. *Exod.* 22. 25. *Lev.* 25. *Deut.* 23. 19. *Psal.* 14. 5. *Prov.* 22. 16. *Hier.* 15. 10. † *al. leg. amplius.*

b) *Luc.* 6. 34. *Catonis Censoriæ sententia, quam refert M. T. in 2. Offic. extremo. Vide item D. Ambr. lib. de Tob. c.* 14.

12. *Judices venales, & creditorum fraudatores Rapinas committunt.*

Item Rapinas faciunt nummerarii Judices, qui venalia habent Judicia; & pretio, muneribusque deliniti, optimas tenuiorum, & egentium causas evertunt. Fraudatores creditorum, & inficiatores, quique sumpto temporis spatio ad solvendum, sua, vel aliena fide merces emunt, neque fidem liberant, damnabuntur eodem crimine Rapinarum. Quorum etiam delictum gravius est, quod mercatores, illorum destitutionis, & fraudationis occasione, magno detrimento civitatis carius vendunt omnia: in quos illa (c) Davidis sententia videtur convenire: *Mutuabitur peccator, & non solvet.*

c) *Psal.* 36. 21.

13. *Locupletes, qui ablatis pignoribus pauperes comprimunt, inter Raptores numerantur.*

Quid de locupletibus dicemus iis, qui ab illis, qui solvendo non sunt, quod commodarunt, exigunt acerbius; & pignora etiam ea

auferunt contra Dei interdictum, quæ ad eorum corpus tuendum sunt necessaria? Inquit enim Deus: (a) *Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddas ei; ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat: si clamavit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Horum exactionis acerbitatem, jure rapacitatem, atque adeo Rapinas, appellabimus.

a) *Exod.* 22. 26. *Deut.* 24. 6. *De pignoribus multa habes in Decr. tit. de pignoribus. & aliis Canonibus. Ambr. lib.* 3. *Offic. cap.* 6.

14. Frumenta necessitatis tempore comprimentes sunt Raptores.

Ex numero eorum, qui Raptores dicuntur a sanctis Patribus, sunt, qui in frugum inopia comprimunt frumentum; faciuntque, ut sua culpa carior, ac durior sit annona: quod etiam valet in rebus omnibus ad victum, & ad vitam necessariis. Ad quos illa Salomonis pertinet execratio: (b) *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Quos suorum scelerum admonitos Parochi liberius accusabunt, ac propositas illis peccatis pœnas explicabunt uberius. Hæc de vetitis: nunc ad jussa veniamus, in quibus satisfactio, vel restitutio primum locum habet. *Peccatum enim non remittitur, nisi restituatur ablatum.*

b) *Prov.* 11. 26.

15. Quosnam ad restitutionem obligari judicandum sit.

Quæ habeat hoc Præceptum de restitutione, & qui ad illam teneantur. Aug. ep. 54. *ad Maced. De restitutione vide D. Th. in* 2. 2. *q.* 62. *per tot.*

Sed quoniam non is solum, qui furtum fecit, ei, cui furatus est, id debet restituere, sed omnes præterea, qui Furti participes fuerunt, hac Lege restitutionis tenentur; aperiendum est, qui sint illi, qui hanc satisfaciendi, vel restituendi necessitatem effugere non possint.

Sunt

Sunt autem plura hominum genera: ac primum est eorum, qui furari imperant: qui non modo sunt ipsi furtorum socii, & auctores, sed etiam in illo Furum genere deterrimi. *Imperantes.*

Alterum genus, par voluntate primis, potestate dispar, in eodem tamen Furum gradu ponendum, eorum est, qui cum jubere non possint, suasores sunt, atque impulsores Furtorum. *Suadentes.*

Tertium genus est eorum, qui cum Furibus consentiunt. *Consentientes.*

Quartum genus est eorum, qui participes Furtorum, inde ipsi etiam lucrum faciunt: si lucrum dicendum est, quod, nisi resipuerint, eos addicit æternis cruciatibus: de quibus sic loquitur David: *Si videbas Furem, currebas cum eo.* *Participantes.* *Psal. 49. 18.*

Quintum genus est Furum, qui cum Furta possint prohibere, tantum abest, ut illis occurrant, & obsistant; ut eorum licentiam permittant, atque concedant. *Non obstantes.*

Sextum genus est eorum, qui, cum & Furtum factum, & ubi factum sit, certo sciant, non indicant rem, sed eam se scire dissimulant. *Non manifestantes.*

Postremum genus est, quod omnes complectitur Furtorum adjutores, custodes, patronos, quique illis receptaculum præbent, ac domicilium: qui omnes & satisfacere debent iis, quibus aliquid detractum est, & ad illud necessarium officium vehementer cohortandi sunt. *Recipientes, & alii.*

Ne hujus quidem sceleris omnino sunt expertes approbatores Furtorum, & laudatores. Nec vero etiam ab eadem culpa sunt alieni filiifamilias, & uxores, qui pecunias a Patribus, & viris furripiunt. *Laudantes, & probantes.*

16. Quid de eleemosynis, quæ involute hic etiam præscribuntur, sentiendum.

De operibus Misericordiæ per eleemosynas in pauperes.

Jam vero huic Præcepto & illa subjecta sententia est, ut pauperum, & inopum misereamur, eorumque difficultates, & angustias nostris facultatibus, & officiis sublevemus. Quod argumentum quia sæpissime, & copiosissime tractandum est, petent ea Parochi ex virorum sanctissimorum (a) Cypriani, (b) Joannis Chrysostomi, (c) Gregorii Nazianzeni, & aliorum libris, qui de eleemosyna præclare scripserunt, quibus huic muneri satisfaciant. Sunt enim inflammandi fideles ad studium, & alacritatem opitulandi iis, quibus aliena misericordia vivendum est. Sunt vero etiam docendi, quantam habeat necessitatem eleemosyna, ut videlicet re, & opera nostra in egentes simus liberales; veriſſimo illo argumento, (d) quod summo illo Judicii die detestaturus sit eos Deus, & sempiternis ignibus addicturus, qui eleemosynæ officia prætermiserint, ac neglexerint; illos autem collaudatos in cœlestem Patriam introducturus, qui benigne fecerint indigentibus. Est utraque Christi Domini ore pronuntiata sententia: (e) *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum*, &, *discedite a me maledicti in ignem æternum.*

a) *Cypr. in lib. de oper. & eleemos.*

b) *Chrys. hom. 32. ad Pop. Antiochen.*

c) *Greg. Naz. in orat. 16. de pauperum amore.*

d) *Matth. 25. 41.*

e) *Ibid. 34.*

17. Quibus modis Populi ad eleemosynam excitandi.

Utentur præterea Sacerdotes accommodatis illis ad persuadendum locis, (f) *Date, & dabitur vobis*; proferent Dei promissum, quo nihil uberius, nihil magnificentius ne cogitari quidem potest: (g) *Nemo est, qui reliquerit domum &c. qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc,*

f) *Luc. 6. 38.*

g) *Marc. 10. 29. 30.*

&

& in sæculo futuro vitam æternam; adjicient illud, quod a Christo Domino dictum est: (a) *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hujus vero necessarii muneris partes exponent, ut qui largiri non possunt indigentibus, quo vitam sustentent, saltem commodent pauperi, juxta Christi Domini præscriptum, (b) *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Atque hujus rei felicitatem beatus David expressit: (c) *Jucundus homo, qui miseretur, & commodat.*

a) *Luc.* 16. 9.

Varia sunt rationes eleemosynæ exercendæ.

b) *Luc.* 6. 34.

c) *Psal.* 111. 5.

18. *Ad largiendas eleemosynas, otiique vitandi causa, laborandum est.*

Est autem Christianæ pietatis, nisi sit aliunde facultas bene merendi de iis, quibus ad victum aliena misericordia opus est, vitandi etiam otii causa, labore, opera, ac manibus ea quærere, quibus inopum indigentiam levare possint. Ad id omnes suo exemplo hortatur in epistola ad Thessalonicenses Apostolus illis verbis: (d) *Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos.* Item ad eosdem: (e) *Operam detis, ut quieti sitis, & vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis:* & (f) ad Ephesios: *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.*

Pium est laborare, ut habeas, unde tribuat necessitatem patienti.

d) 2. *Thes.* 3. 7.

e) 1. *Thes.* 4. 11.

f) *Eph.* 4. 28.

19. *Parce vivendum est ad aliorum sublevandam inopiam.*

Est etiam frugalitati consulendum, parcendumque bonis alienis, ne cæteris graves, aut molesti simus. Quæ temperantia sane quam elucet in omnibus Apostolis, sed maxime emi-

Nimis sumptuosi aliis non oportet esse graves.

net in Divo Paulo, cujus illud est ad Thes-
a) 1. *Thes.* 2. 9. *Act.* 21. 34. 1. *Cor.* 4. 13. salonicenses: (a) *Memores estis, fratres, laboris nostri, & defatigationis; nocte, ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei;* atque idem alio in loco Apo-
b) 2. *Thes.* 3. 8. stolus: (b) *In labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.*

20. *Quibus rationibus Populus Christianus in detestationem Furtorum, & studium benignitatis adducendus sit.*

Sed ut ab universo hoc genere nefariorum facinorum abhorreat Fidelis Populus, Parochis a Prophetis petere, & a reliquis divinis Libris sumere par erit detestationem Furtorum, & Rapinarum, & horribiles minas a Deo propositas iis, qui illa scelera committunt.
c) *Amos* 8. 4. Clamat Amos Propheta: (c) *Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ,*
† *Alias leg. mensis.* *dicentes: quando transibit* † *messis, & venundabimus merces, & Sabbatum, & aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas?* Sunt in eadem sen-
d) *Hier.* 5. 21. & 22. *Isa.* 3. 12. e) *Prov.* 21. 6. & 22. 16. tentia multa apud (d) Hieremiam in (e) Proverbiis, & apud (f) Ecclesiasticum.
f) *Eccles.* 10. 9. 20. 31. & 35. 17. 18. Nec vero dubitandum est, quin hæc malorum semina, quibus malis opprimitur hæc ætas, magna ex parte in his inclusa sint causis. Verum, ut assuescant Christiani homines prosequi omni liberalitatis, ac benignitatis officio egentes, & mendicos, quod ad alteram hujus Præcepti partem pertinet, proferent Parochi maxima præmia, quæ beneficiis, & largis & in hac, & in futura vita daturum se Deus pollicetur.

21. *Quid*

21. Quid de illis ſentiendum ſit, qui vano prætexta ſua Furta, & ſacrilegia excuſant.

Sed quia non deſunt, qui etiam ſe in Furtis excuſent, admonendi ſunt, fore, ut nullam eorum peccati excuſationem accipiat Deus; imo vero futurum, ut illa purgatione non modo non levetur peccatum, ſed mirum in modum augeatur. Ecce Nobilium hominum non ferendæ deliciæ, qui culpam extenuare ſibi videntur, ſi ſe affirmarint, non cupiditate, aut avaritia ad detrahendum alteri ſua deſcendere, ſed tuendæ cauſa amplitudinis familiæ, & majorum ſuorum, quorum exiſtimatio, ac dignitas rueret, niſi rerum alienarum acceſſione fulciretur. Quibus pernicioſus error eripiendus eſt; ſimulque demonſtrandum, unam eſſe rationem conſervandi, & amplificandi copias, & opes, majorumque gloriam, ſi Dei voluntati paruerint, ſi ejus Præcepta ſervarint: quibus contemptis, fundatæ, & optime conſtitutæ opes evertuntur; Reges ex Regio ſolio, & ſummo gradu honoris præcipites exturbantur; in quorum locum infimi interdum homines, & qui ſummo illis in odio fuerunt, divinitus vocantur. Incredibile eſt, quantopere his ſuccenſeat Deus: cujus rei teſtis eſt Iſaias, apud quem ſunt illa Dei verba: (a) *Principes tui infideles, ſocii Furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, fortis Iſrael: Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis, & convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam.*

Primum genus eſt Nobilium quorundam ſua furta inani excuſatione ſui ſplendoris tegentium. Trid. Syn. ſeſſ. 22. Decret. de Reform. cap. 11. Mandatorum divinorum obſervatione opes conſervantur, & augentur, neglectu habita etiam evertuntur.

a) *Iſa. 1. 23.*

22. Quomodo iis respondendum, qui commoditate se ad aliena rapienda adigi affirmant.

Non desunt, qui non jam illam afferant causam splendoris, & gloriæ, sed victus, & vitæ commodiorem facultatem, & elegantiam. Qui refellendi sunt: docendique, quam impia sit eorum & actio, & oratio, qui ullam commoditatem anteferant Dei voluntati, & gloriæ, quam negligendo ejus Præcepta offendimus mirandum in modum. Etsi quæ potest esse in Furto commoditas, quod summa incommoda consequantur? (a) *Super Furem enim*, inquit Ecclesiasticus, *est confusio, & pœnitentia.* Sed fac esse, ut cum illis non agatur incommode: dedecorat Fur divinum Nomen; repugnat ejus sanctissimæ voluntati; salutaria ipsius Præcepta contemnit: quo ex fonte omnis error, omnis improbitas, omnis fluit impietas.

a) Eccl. 5. 17.

23. Quid dicendum sit iis, qui locupletibus spoliandis, vel consuetudine sua Furta obtegunt.

Quid? quod audire licet interdum Fures, qui nihil se eo peccare contendant, quod detrahant aliquid locupletibus, & copiosis hominibus, qui ea detractione nihil damni faciant, ne sentiant quidem. Misera sane, & pestifera defensio. Putat alius satisfactionem suam accipi debere, quod eam furandi consuetudinem cepit, ut non facile possit ab illa mente, & actione desistere. Qui nisi audierit Apostolum dicentem, (b) *Qui furabatur, jam non furetur*, velit, nolit, etiam consuetudinem capiet æternorum suppliciorum.

b) Eph. 4. 28.

24. Quid

24. *Quid rursus illis dicendum sit, qui vel occasione, vel ulciscendi libidine ad furandum induci causantur.*

Nonnulli sunt, qui excusant se, occasione data, alteri aliquid ademisse. Est enim illud tritum sermone proverbium, *Fures, qui non sint, fieri occasione;* qui hac ratione sunt de nefaria sententia deducendi: resistendum esse pravis cupiditatibus. Nam si continuo est re perficiendum id, quod libido persuaserit; quis modus, quis finis erit scelerum, ac flagitiorum? Turpissima igitur est illa defensio, vel summæ potius intemperantiæ, & injustitiæ confessio. Nam qui dicit se non ideo peccare, quia nullam habet peccandi occasionem, idem propemodum fatetur, se semper oblata occasione peccaturum. Sunt qui furari se dicant ulciscendi causa, quod ab aliis eadem injuria sint affecti. Quibus ita respondendum est: primum nemini licere injurias persequi: deinde non posse quemquam rei suæ judicem esse: tum multo minus concedi, ut pœnas ab aliis repetat eorum, quæ alii in eum peccaverunt.

25. *Quid illis dicendum, qui, ut ære alieno liberentur, furantur.*

Postremo quidam Furtum illa ratione satis defensum, tectumque arbitrantur, quod, cum sint ære alieno oppressi, aliter eo liberari non possint, nisi illud Furto dissolvant. Quibuscum ita agendum est: nullum esse gravius æs alienum, & quo magis prematur humanum genus, quam debitum illud, cujus in divina precatione quotidie meminimus, (a) *Dimitte nobis* a) *Matth.* 6. 11.

bis debita noſtra, quare illud inſaniſſimi hominis eſſe, plus velle Deo debere, id eſt plus peccare, ut, quod debet hominibus, diſſolvat; multoque præſtare conjici in carcerem, quam mandari ſuppliciis Inferorum ſempiternis: longe etiam eſſe gravius Dei, quam hominum judicio condemnari: porro autem ſupplices ipſos ad Dei opem, ac pietatem confugere debere, a quo, quid opus ſit, poſſint impetrare. Sunt alia excuſationum genera, quibus Parochi prudentes, ac ſui officii diligentiſſimi facile poterunt occurrere, ut aliquando habeant (a) Populum *ſectatorem bonorum operum.*

a) Tit. 2. 14.

DE OCTAVO PRÆCEPTO.

CAPUT IX.

Non loqueris contra Proximum tuum falſum teſtimonium.

1. Quam utilitatem hoc Præceptum comprehendat.

Quantam non modo utilitatem, ſed etiam neceſſitatem habeat aſſidua hujus & Præcepti explicatio, & officii admonitio, nos Divi Jacobi monet auctoritas illis verbis: (a) *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir;* & idem: (b) *Lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat: ecce quantus ignis quam magnam ſilvam incendit!* & quæ ſequuntur in eandem ſententiam. Quibus duo monemur: primum latiſſime patere hoc linguæ vitium: quod etiam illa Prophetæ ſententia confirmatur, (c) *Omnis homo mendax*, ut propemodum unum hoc ſit peccatum, quod ad omnes homines pertinere videatur. Alterum eſt, inde proficiſci mala innumerabilia, cum ſæpe maledici hominis culpa facultates, fama, vita, animæ ſalus amittatur, vel ejus, qui læditur, quod contumelias patienter ferre non poſſit, ſed eas impotenti animo perſequatur; vel ejus qui lædit, quod pravo pudore, & falſa cujuſdam exiſtimationis opinione deterritus adduci non poſſit, ut illi, qui offenſus ſit, ſatisfaciat. Quare hoc loco monendi Fideles erunt, ut quantas poſſunt ma-

a) *Jacob.* 3. 2.

b) *Ibid.* 5.

Lingua vitium quam late pateat, & perniciosum ſit.

c) *Pſal.* 115. 11. *Rom.* 3. 4. *Vide item Prov.* 18. 21. *Eccl.* 19. 16. & 20. 8. 41. 22. & 28. 27.

ximas Deo gratias agant de hoc salutari Præcepto non dicendi falsi Testimonii, quo non solum ipsi aliis injuriam facere vetamur, sed etiam hac obedientia ab aliorum injuria prohibemur.

2. Quæ sit huic Præcepto subjecta sententia.

Duæ leges una hoc Præcepto, ut in aliis, comprehenduntur.

Verum in hoc Præcepto eadem ratione, & via progrediendum est, qua in cæteris progressi sumus; ut videlicet animadvertantur in eo duæ leges: altera prohibens, ne falsum dicatur Testimonium; jubens altera, ut simulatione, fallaciisque sublatis, dicta, & facta nostra simplici veritate metiamur. Cujus officii Apostolus Ephesios illis verbis admonuit: (a) *Veritatem facientes in charitate, in illo crescamus per omnia.*

a) Eph. 4. 15. Zach. 8. 16.

3. Quid maxime hoc Præcepto caveatur.

Vide D. Thom. in 1. 2. qu. 10. art. 5. & 2. 2 qu. 1. 2. art. 6.

Sed prior hujus Præcepti pars habet hanc rationem, ut, quamvis nomine falsi Testimonii significetur quicquid in bonam, vel in malam partem de altero constanter dicatur, sive in Judicio, sive extra Judicium; tamen præcipue prohibeatur illud testimonium, quod in Judicio falso dicitur a jurato. Jurat enim per Deum testis: quod ita testificantis, & Divinum Nomen interponentis oratio plurimum fidei habet, & ponderis. Itaque quia periculosum est hoc Testimonium, idcirco præcipue prohibetur. Juratos enim testes, nisi legitimis exceptionibus excludantur, aut eorum aperta sit improbitas, atque perversitas, ne Judex quidem ipse potest rejicere; præsertim cum extet jussum divinæ Legis, (b) ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Sed, ut Præceptum plane Fideles intelligant, docendi erunt,

Testis Juris-jurandi religione interposita testatur, c. de testib. leg. Jurisjurandi, &c. Quoties, de testibus, & attestation. Jurati testes non possunt in Judicio reprobari.

b) Deut. 19. 15. Matth. 18. 16. Joan. 8. 17. 2. Cor. 13. 2. Hebr. 10. 28.

quid

quid significet hoc *Proximi* vocabulum, in quem falsum Testimonium dicere minime licet.

4. Quis Proximi *nomine hic designetur.*

Est autem *Proximus*, ut ex Christi Domini doctrina colligitur, (a) quicunque eget opera nostra, sive ille propinquus sit, sive alienus, sive civis, sive advena, sive amicus, sive inimicus. Nefas enim est existimare, contra hostes licere falsum aliquid dicere pro Testimonio, (b) quos jussu Dei, ac Domini nostri diligere oporteat. Quin etiam, quia sibi quisque quadam ratione Proximus est, nemini fas est falsum in se Testimonium dicere: quod qui committant, sibi ipsi notam inurentes ignominiæ, ac turpitudinis, & seipsos, & Ecclesiam lædunt, cujus sunt membra: quo modo etiam qui sibi mortem conscisceunt, nocent civitati. Ita enim est apud sanctum Augustinum: *Nec recte intelligentibus poterat videri, non esse prohibitum, ut adversus seipsum quisque falsus testis assisteret, eo, quod in Præcepto additum fuit contra Proximum tuum. Sed non ideo: si adversus seipsum quisquam falsum Testimonium dixerit, ab hoc crimine se putet alienum: quandoquidem regulam diligendi Proximi a semetipso dilector accepit.*

a) *Luc.* 10. 36. 37. *Vide D. Aug. ep.* 52. *ad Macced. & lib.* 1. *de doct. Christ. c.* 30.

b) *Matt.* 5. 44.

S. Augus. lib. 2. *de civ. Dei c.* 20. *& habet.* 23. *q.* 5. *c. Si non licet.*

5. In utilitatem Proximi falsum testari, aut mentiri non licet.

Verum, quia prohibemur Proximum lædere falso Testimonio, nemo propterea contrarium permitti nobis arbitretur, ut pejerando liceat conciliare ei, qui nobiscum natura, ac religione conjunctus sit, aliquid utilitatis, aut commodi. Nemini enim mendacio, & vanitate, multo minus perjurio studendum est.

Vide D. Thom. in 2. 2. *q.* 7. *art.* 1. *& q.* 110. *art.* 2. *& 3.*

Qua-

S. Aug. lib. de mendacio cap. 12. 13.

Quare ſanctus Auguſtinus *de Mendacio* ad Conſentium docet, ex Apoſtoli ſententia. Mendacium in falſis teſtimoniis numerandum eſſe, etiam ſi in cujuſquam falſa laude dicatur. Nam

a) 1. Cor. 15. 15.

locum illum tractans, (a) *Invenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam Teſtimonium diximus adverſus Deum: quod ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt. Falſum*, inquit, *teſtimonium vocat Apoſtolus, ſi quis de Chriſto, & quod ad ejus laudem videtur pertinere, mentiatur.*

6. *Quot mala falſum Teſtimonium in gratiam alterius prolatum conſequantur.*

Judex falſis teſtibus adductis contra Jus iudicare compellitur. cap. Paſtoralis de offic. & poteſt. Jud. deleg. D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2. Oppoſitum habetur. Exod. 23. Matth. 7. Marc. 15. Pilatus ſciebat, quod per invidiam &c. Vide Nicolaum de Lyra cum omnibus Scotiſtis.

Sæpiſſime vero etiam contingit, ut, qui alteri favet, obſit alteri. Certe errandi cauſa affertur Judici, qui interdum falſis teſtibus adductus, contra jus ſecundum injuriam ſtatuit, & judicare cogitur. Nonnunquam etiam fit, ut qui ob falſum alicujus Teſtimonium cauſam Judicio vicerit, idque impune tulerit, exultans iniqua victoria aſſueſcat corrumpere, & adhibere falſos teſtes, quorum opera ſperat ſe poſſe ad id, quodcunque concupierit, pervenire. Eſt vero id & ipſi teſti graviſſimum; quod & ab eo, quem jurejurando ſublevarit, & adjuverit, falſus, & perjurus agnoſcitur; & ipſe, quod ei e ſententia ſuccedit ſcelus, quotidie majorem exercitationem, & conſuetudinem capit impietatis, & audaciæ.

7. *Peccata eorum omnium, qui Judicia tractant, & in univerſum omne Mendacium hoc Præcepto prohibetur.*

Advocatorum, & Procuratorum iniqua actio prohibetur.

Ut igitur teſtium vanitas, mendacia, & perjuria prohibentur, ſic & accuſatorum, & reorum, & patronorum, & cognitorum, & procura-

curatorum, & advocatorum, & omnium denique, qui judicia conſtituunt. Poſtremo vetat Deus omne Teſtimonium non modo in Judicio, ſed etiam extra Judicium, quod alteri incommodum, aut detrimentum poſſit afferre. Eſt enim in Levitico, quo loco hæc Præcepta iterantur, his verbis : (a) *Non facietis Furtum, non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque Proximum ſuum.* Ut nemini dubium eſſe poſſit, quin a Deo omne mendacium hoc Præcepto ejectum condemnetur : quod apertiſſime teſtatur David in hunc modum : (b) *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

a) *Lev.* 19. 11. *Omne mendacium hoc Præcepto vetatur.*

b) *Pſal.* 5. 7.

e. Hoc Præceptum ad detractionis vitium etiam extenditur.

Prohibetur autem hoc Præcepto non modo falſum Teſtimonium, ſed deteſtabilis etiam libido, & conſuetudo detrahendi alteri : qua ex peſte incredibile eſt, quam multa, & quam gravia & incommoda, & mala naſcantur. Hoc vitium maledice, & contumelioſe dicendi occulte in alterum, paſſim improbant divinæ Literæ (c) *Cum hoc*, inquit David, *non edebam*, & S. Jacobus : (d) *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei.* Nec vero Præcepta ſolum ſacræ Literæ, ſed etiam exempla ſuppeditant, quibus ſceleris magnitudo declaratur. Nam & (e) Aman, confictis criminibus, adeo incendit in Judæos Aſſuerum, ut is omnes ejus gentis homines imperarit occidi. Referta eſt hujuſmodi exemplis ſacra Hiſtoria : quorum commemoratione Sacerdotes operam dabunt, ut Fideles a rei improbitate deterreant.

Detractionis vitium quam deteſtabile, vide D. Thom. in 2 2. *q.* 73. *art.* 1. *& 2.*

c) *Pſal.* 100. 5.

d) *Jacob.* 4. 11. *Item Exod.* 23. *Prov.* 4. 24. *Sap.* 1. 11.

e) *Eſther* 13. *per tot.*

9. Quinam in obtrectatorum numerum sint referendi.

Detractores sunt, qui peccata aliorum vel augent, vel publicant.

Ut autem peccati hujus vis, quo de altero detrahitur, omnino perspiciatur, sciendum est, non tantum adhibenda calumnia offendi hominum existimationem, sed & augendis, amplificandisque criminibus. Et si quid occultius ab aliquo commissum sit, quod ubi rescitum fuerit, grave, aut turpe sit ad famam, eam rem, qui ubi, quando, quibus necesse non sit, promulgarit, is obtrectator, & maledicus jure dicitur.

Hæretici obtrectatorum genus pessimum.

Verum totius Obtrectationis nulla est capitalior, quam eorum, qui Catholicæ Doctrinæ, ejusque Prædicatoribus obtrectant. In simili culpa sunt, qui malarum Doctrinarum, & errorum Magistros extollunt laudibus.

10. Qui audiunt detrahentes, vel inter amicos dissidia serunt, sunt Detractores.

Nec vero ab horum hominum numero, & culpa sejunguntur, qui detrahentibus, & maledicentibus hominibus patefacientes aures, non reprehendunt obtrectatores, sed illis libenter assentiuntur. Detrahere enim, vel detrahentem audire, (scribunt sancti Hieronymus, & Bernardus) utrum damnabilius sit, non facile constat, non enim essent, qui detraherent, si non adessent, qui detrahentes audirent.

S. Hier. in epist. ad Nepo. circa finem S. Bern. lib. 2. de consider. ad Eug. in fine.

Hac parte nostri temporis Hæretici excellunt.

In eodem genere sunt, qui suis artificiis distrahunt homines, & inter se committunt, magnopereque ferendis discordiis delectantur, ut summas conjunctiones, ac societates fictis sermonibus dirimentes, amicissimos viros ad immortales inimicitias, & ad arma compellant.

a) *Lev. 19. 16.* Hanc pestem sic detestatur Dominus: (a) *Non eris criminator, neque susurro in populo.* Tales erant mul-

multi ex consiliariis Saulis, (a) qui ejus voluntatem a Davide alienare, & in illum Regem concitare conabantur. a) 1. *Reg.* 24. 10.

11. Assentatio hac Lege etiam interdicta est.

Peccant denique in hanc partem blandi homines, & assentatores, qui blanditiis, & simulatis laudibus influunt in aures, & in animos eorum, quorum gratiam, pecuniam, & honores aucupantur, dicentes, ut est apud Prophetam, (b) *Malum bonum, & bonum malum.* Quos ut arceamus, & pellamus a consuetudine nostra, monuit nos David oratione illa: (c) *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quanquam enim isti proximo minime maledicunt, tamen ei maxime nocent, qui vel laudandis ejus peccatis afferunt ipsi causam perseverandi in vitiis, quandiu vixerit. Et quidem hoc in genere illa est assentatio deterior, quæ ad proximi calamitatem, & perniciem adhibetur. Sic Saul, cum Davidem furori, & ferro Philistæorum objicere cuperet, ut occideretur, ei blandiebatur illis verbis: (d) *Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem: tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini:* sic Judæi insidiosa oratione suut affati Christum Dominum: (e) *Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* *Assentatores quam sint reprehendendi, & fugiendi.* b) *Isa.* 5. 20. c) *Psal.* 140. 5. *Genus Assentationis perniciosissimum.* d) 1. *Reg.* 18. 17. e) *Matt.* 22. 16. *Marc.* 12. 14. *Luc.* 20. 21.

12. Amici quomodo amico periculose ægrotanti pernicioſe assententur.

Longe autem pernicioſior est oratio amicorum, affinium, & cognatorum, qua ad eos interdum utuntur assentatorie, qui mortifero

morbo affecti jam ſint extremo ſpiritu; dum affirmant, nullum eſſe tum ei a morte periculum; dum lætum, & hilarem eſſe jubent, eumque a peccatorum Confeſſione, tanquam a triſtiſſima cogitatione deterrent; dum denique ejus animum avertunt ab omni cura, & meditatione extremorum periculorum, in quibus maxime verſatur. Quare fugiendum eſt omne Mendaciorum genus, ſed illud in primis, quo gravi damno quiſquam affici poſſit. Pleniſſimum vero impietatis eſt Mendacium, cum quis in Religionem, vel in Religione mentitur.

Mentiri de Religionis rebus perniciosissimum. D. Thom. in 2.2. q. 100. art. 4. Libelli famosi prohibiti vide Bullam Pii V. quæ incipit, Romani, *& Greg. XIII. quæ incipit,* Ea est rerum.

13. Impingunt etiam in hoc Præceptum libellorum famosorum auctores joco, vel officii causa mentientes, & hypocritæ.

Mendacium iocosum, & officiosum prohibetur. Vide D. Thom. in 2. 2. q. 110. art. 3. & 4.

Sed illis etiam maledictis, & probris graviter offenditur Deus, quæ committuntur libellis, quos *Famoſos* vocant, & aliis hujus generis contumeliis.

Præterea joco, vel officii cauſa fallere Mendacio, etſi nemo in illo vel damnum, vel lucrum fecerit, tamen omnino indignum eſt. Ita enim nos Apoſtolus admonet: (a) *Deponentes Mendacium, loquimini veritatem.* Nam in eo eſt ad frequens, graviuſque Mendacium magna proclivitas; & ex jocoſis Mendaciis capiunt homines mentiendi conſuetudinem, unde veniunt in opinionem, non eſſe veraces; quamobrem, ut fidem faciat eorum oratio, neceſſe habent jurare perpetuo.

a) Eph. 4. 25.

De simulatione, seu hypocrisi, vide D. Thom. in 2. 2. q. 111. per totam.

Poſtremo priore parte hujus Præcepti ſimulatio repudiatur: nec modo quæ ſimulate dicuntur, ſed quæ ita fiunt, cum ſcelere conjun-

jũcta ſunt. Tam enim verba, quam facta, notæ, ac ſigna quædam ſunt eorum, quæ ſunt in animo cujuſque, ob eamque cauſam Dominus ſæpe Phariſæos arguens, (a) Hypocritas appellat. Et hæc de priore Præcepti Lege, quæ ad vetandum ſpectat. Nunc explicemus, quid in altera jubeat Dominus.

Ariſt. lib. 1. Peri. cap. 1.

a) *Matt. 15. 7. & 23. & alibi ſæp.*

14. Quidnam in altera Legis hujus parte verbis involuta de Judiciis Forenſibus præſcribatur.

Pertinet autem hæc Præcepti vis, & ratio ad id, ut juſte, & ex legibus Forenſia Judicia exerceantur ; neve occupent homines, & uſurpent Judicia. (b) Non enim fas eſſe alienum ſervum judicare, ſcribit Apoſtolus : ne re, & cauſa incognita, ſententiam ferant. Quo in vitio fuit Sacerdotum, & Scribarum conſilium, (c) qui de S. Stephano judicarunt : quod item peccatum fuit Magiſtratus Philippenſium, de quibus inquit Apoſtolus : (d) *Cæſos nos publice, indemnatos homines Romanos, miſerunt in carcerem, & nunc occulte nos ejiciunt.* Ne (e) condemnent innocentes, & nocentes abſolvant, ne pretio, aut gratia, ne odio, aut amore moveantur. Sic enim Moyſes ſeniores admonet, quos populi Judices conſtituerat. (f) *Quod juſtum eſt, judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus : nulla erit diſtantia perſonarum : ita parvum audietis, ut magnum : nec accipietis cujuſque perſonarum, quia Dei judicium eſt.*

b) *Rom. 14. 4. Forenſia Judicia iuſte, & ſecundum præſcriptas Leges exercenda.*

c) *Act. 7.*

d) *Act. 16. 37.*

e) *Exod. 23. 4. Dan. 13. 35. Judices non debent moveri pravis ad iudicandum affectibus.*

f) *Deut. 1. 16. 17. Joan. 7. 24.*

15. Rei per legitimum Magiſtratum interrogati non poſſunt mentiri.

De reis autem, & ſontibus, vult eos Deus verum confiteri, cum ex Judicii formula interrogantur. Eſt enim teſtimonium, ac præ-

D. Thom. in 2. 2. q. 601. art. 2.

dicatio quædam, illa confeſſio, laudis, & gloriæ Dei, ex ipſius Joſue ſententia, qui Achan ad veri confeſſionem adhortatus inquit (a) *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas.*

a) *Joſ. 7. 19.*

16. Quodnam ſit Teſtium officium.

Teſtimonia falſa prohibenda.

Sed quoniam hoc Præceptum Teſtes potiſſimum attingit, de his etiam diligenter a Parocho agendum erit. Nam Præcepti vis ea eſt, ut non ſolum prohibeat falſum Teſtimonium, ſed verum etiam dici imperet. Eſt enim in humanis rebus maximus uſus veri Teſtimonii, quod ſunt innumerabiles res, quas a nobis ignorari neceſſe ſit, niſi eas ex Teſtium fide cognoſcamus. Quare nihil tam neceſſarium eſt, quam Teſtimoniorum veritas in iis rebus, quas nec ipſi ſcimus, neque tamen licet ignorare. De quo extat illa ſancti Auguſtini ſententia: *Qui veritatem occultat, & qui dicit Mendacium, uterque reus eſt: ille, quia prodeſſe non vult: hic, quia nocere deſiderat.* Licet vero interdum verum tacere, ſed extra Judicium. Nam in Judicio, ubi teſtis legitime interrogatur a Judice, vera omnino patefacienda ſunt. Quo loco cavendum tamen eſt Teſtibus, ne ſuæ memoriæ nimium confiſi, quod exploratum non habent, id pro certo affirment. Reliqui ſunt Patroni cauſarum, & Advocati, Actores deinceps, & Petitores.

Teſtimonii veri maximus uſus.

S. Aug. in Ep. ad Caſulan. & habet 11. q. 3. c. Quiſquis.

Vide D. Thom. in 2. 2. q. 70. art. 1.

Extra Judicium licet interdum tacere verum.

17. Qua ratione Advocati, & cauſarum Procuratores ſuum officium explere poterunt.

Advocatus tempore neceſſitatis pauperi debet patrocinari 86. d. c. Paſce. D. Thom. 2. 2. q. 71. art. 1.

Illi igitur opera, ac patrocinio ſuo non deerunt neceſſariis hominum temporibus, & egentibus benigne ſubvenient; tum injuſtas cau-

cauſas defendendas non ſuſcipient, neque calumnia lites protrahent, nec alent avaritia.

Quod ad mercedem attinet laboris, & operæ ſuæ, illa jure, & æquo metiantur.

18. Petitores, & Accuſatores quo pacto ſuo officio non recte fungentur.

Petitores vero, & Accuſatores monendi ſunt, ne cuiquam amore, aut odio, aut cupiditate aliqua adducti, periculum iniquis criminationibus creent. Juſſum hoc denique divinitus præſcriptum eſt piis omnibus, ut in congreſſibus, & colloquiis vere ſemper, atque ex animo loquantur; nihil dicant, quod alterius exiſtimationi poſſit officere, ne de illis quidem, a quibus lædi ſe, & exagitari intelligunt; cum illud propoſitum habere debeant, ſibi cum illis eam neceſſitudinem, & ſocietatem intercedere, ut membra ſint ejuſdem corporis.

Petitores non debent malo animo reum in Jus vocare. 6. Cum miniſter. 23. q. 5.

19. Quibus rationibus Chriſtiani ad agnitionem fœditatis, quæ Mendacio ineſt, perduci poterunt.

Ut autem libentius hoc Mendacii vitium caveant Fideles, proponet eis Parochus ſummam hujus ſceleris miſeriam, ac turpitudinem. Nam in ſacris Literis Mendacii pater Dæmon dicitur: (a) quod enim Dæmon in veritate non ſtetit, Mendax eſt, & Mendacii parens.

a) *Joan. 8. 44.*

Adjunget ad ejiciendum tantum flagitium ea mala, quæ Mendacium conſequuntur: & quoniam ea innumerabilia ſunt, fontes, & capita incommodorum, & calamitatum demonſtrabit. Ac primum, in quantam cadat Dei offenſionem, quantumve ejus odium incurrat homo vanus, & Mendax, Salomonis aucto-

Vide Aug. tract. 42. in Joan.

Deus odit Mendacium.

a) *Prov.* 6. 16. 17. 18. ritate declarabit eo loco (a) *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam Mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem Mendacia, Testem fallacem,* & quæ sequuntur. Quis igitur ei præstet incolumitatem, qui in insigni odio sit apud Deum, quo minus gravissimis afficiatur supplicüs?

2o. *Quæ incommoda Mendacia humanæ societati inferant.*

b) *Jacob.* 3. 9. Deinde, quid impurius, aut fœdius, ut inquit Sanctus Jacobus, (b) quam in eadem lingua, qua benedicimus Deum, & Patrem, maledicere homines, qui ad imaginem, & similitudinem Dei facti sunt, ita ut fons de eodem foramine emanet dulcem, & amaram aquam? Quæ enim lingua prius laudem, & gloriam Deo tribuebat, postea, quantum in ea est, eum ignominia afficit, ac dedecore, mentiendo.

Chrys. homil. 14. epist. ad Eph.

Mendaces cœlesti beatitudine excluduntur.

Quare fit, ut a cœlestis beatitudinis possessione Mendaces excludantur. Cum enim in

c) *Psal.* 14. 1. 2. hunc modum quæreret a Deo David, (c) *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondit Spiritus Sanctus: *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.*

Mendacium morbus insanabilis. Restituenda est fama, quæ per detractionem diminuta est. Gregor. lib. 5. ep. 30.

Maximum vero etiam illud in Mendacio incommodum est, quod fere insanabilis est is animi morbus. Cum enim peccatum, quod inferendo falso crimine, aut Proximi famæ, & existimationi obtrectando, commissum sit, non remittatur, nisi calumniator ei, quem criminatus

fue-

fuerit, ſatisfaciat injuriam; id autem difficile fiat ab hominibus, primo, ut antea monuimus, pudore, & inani quadam dignitatis opinione deterritis: qui in eo peccato ſit, hunc addictum eſſe æternis Inferorum pœnis, dubitare non poſſumus. Neque enim quiſquam ſperet, ſe calumniarum, vel obtrectationis veniam conſequi poſſe, niſi prius ei ſatisfaciat, de cujus dignitate, & fama, aut publice in Judicio, aut etiam in privatis, & familiaribus congreſſibus, aliquid detraxerit.

Mendacia rebus humanis magnum detrimentum afferunt.

Præterea latiſſime patet hoc detrimentum, & in cæteros diffunditur; quia vanitate, ac mendacio fides, ac veritas tolluntur, arctiſſima vincula ſocietatis humanæ; quibus ſublatis, ſequitur ſumma vitæ confuſio, ut homines nihil a Dæmonibus differre videantur.

Loquacitas fugienda.

Docebit porro, vitandam eſſe loquacitatem, Parochus: cujus vitatione & reliqua peccata fugiuntur, & eſt magna cautio mendacii: a quo vitio loquaces ſibi haud facile temperare poſſunt.

21. Vanæ Mendaciorum excuſationes diluuntur.

Ob nullam mentiendum eſt commoditatem.

Poſtremo iis illum errorem eripiet Parochus, qui ſe in vanitate orationis excuſant, & mendacium prudentium exemplo defendunt, quorum eſſe ajunt, mentiri in tempore. Dicet id, quod veriſſimum eſt, (a) prudentiam carnis mortem eſſe: hortabitur auditores, ut in difficultatibus, & anguſtiis Deo confidant, neque ad artificium mentiendi confugiant. Nam illo, qui utuntur perfugio, facile declarant, ſe ſua magis niti prudentia, quam in Dei Providentia ſpem ponere.

a) *Rom. 8. 6.*

Qui causam sui mendacii conferunt in eos, a quibus sunt mendacio decepti, hi docendi sunt, non licere hominibus seipsos ulcisci, (a) neque malum malo compensandum esse, (b) sed potius vincendum in bono malum; quod si etiam fas esset, hanc referre gratiam, nemini tamen utile, se suo ulcisci detrimento; est autem id gravissimum detrimentum, quod mendacio dicendo facimus.

a) *Rom.* 12. 17. & 1. *Petr.* 3. 9.
b) *Rom.* 12. 2.

Contra eos, qui humanam fragilitatem opponunt, vel consuetudinem. Qui consuetudine peccant, gravius delinquant, quam cæteri. Vide Aug. l. 1. de serm. Domin. in monte cap. 23.

His, qui afferunt humanæ naturæ imbecillitatem, & fragilitatem, tradendum hoc erit officii præceptum, ut divinum auxilium implorent, nec infirmitati humanitatis obtemperent. Qui consuetudinem opponunt, admonendi sunt, si mentiri consueverunt, ut dent operam, ut contrariam consuetudinem capiant vere loquendi: præsertim cum qui usu, & consuetudine peccant, gravius delinquant, quam cæteri.

22. *Propter aliorum Mendacium non est mentiendum.*

Et quoniam non desunt, qui se tegant excusatione cæterorum hominum, quos passim mentiri & pejerare contendunt; hac ratione illi ab ea opinione deducendi sunt, non esse imitandos malos, sed reprehendendos, & corrigendos: cum autem ipsi mentimur, minus auctoritatis in reprehensione, & correctione alterius nostram habere orationem. Alios se ita defendentes, quod, vera dicendo, sæpe incommodo sint affecti, sic refellent Sacerdotes, eam esse accusationem, non defensionem; cum sit officium Christiani hominis, quamvis potius facere jacturam, quam mentiri.

23. *Men-*

23. Mendacium neque jocosum, neque utile admittendum.

Reſtant duo genera eorum, qui ſe in mendacio excuſent: alteri, qui dicant, ſe joci cauſa mentiri; alteri, ſe idem facere utilitatis gratia, quippe, qui nec bene emerent, nec venderent, niſi mendacium adhiberent. Utroſque a ſuo errore Parochi avertere ſtudebunt; ac ſuperiores quidem illos a vitio abducent, & docendo, quantum eo in genere peccandi conſuetudinem augeat uſus mentiendi, & illud inculcando, (a) omnis otioſi verbis reddendam eſſe rationem; proximos autem hos acerbius etiam objurgabunt, quorum in excuſatione gravior inſit illorum ipſorum excuſatio, qui præ ſe ferant, ſe minime illis Dei verbis fidem, & auctoritatem tribuere: (b) *Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.*

Vide D. Thom. in 2. 2. q. 110. art. 2. & 3.

a) *Matt.* 12. 36

b) *Matt.* 6. 33.

DE NONO ET DECIMO PRÆCEPTO.

CAPUT X.

Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt.

1. Quo pacto nonum hoc, & decimum Præceptum octo reliqua comprehendere videantur.

Quemodo ex concupiſcentia oriatur transgreſſio omnium Mandatorum, indicat Paulus Rom. 7. 7. 8. 9. Non licet videre, quod non licet concupiſcere, nec concupiſcere, quod non licet habere. Gregor. l. 21. Mor. cap. 4.

In his duobus Præceptis, quæ poſtremo loco tradita ſunt, illud in primis ſciendum eſt, rationem fere conſtitui, qua cætera Præcepta ſerventur. Nam quod his verbis præſcriptum eſt, eo ſpectat, ut, ſi quis ſtudet ſuperiora Legis Juſſa ſervare, hoc maxime faciat, *Ne concupiſcat:* quoniam qui non concupiſcet, ſuis contentus, aliena non appetet, aliorum commodis gaudebit, Deo immortali gloriam tribuet, gratias eidem maximas aget, Sabbatum colet, id eſt, quiete perpetua fruetur, majoreſque venerabitur, neminem denique neque re, neque verbis, neque ullo alio modo lædet. Nam (a) ſtirps, ac ſemen malorum omnium eſt prava concupiſcentia, qua qui incenſi ſunt, præcipites feruntur in omne flagitiorum, & ſcelerum genus. His animadverſis, & Parochus in iis, quæ ſequuntur, tradendis diligentior, & ad audiendum Fideles erunt attentiores.

a) 1. Tim. 6. 10. Jacob. 4. 1. 2. *Semen omnium ſcelerum eſt prava concupiſcentia.*

2. Quo

2. *Quo pacto duo illa Præcepta inter se differant.*

Sed quanquam hæc duo Præcepta conjunxerimus, propterea quod, cum non dissimile sit eorum argumentum, eandem docendi viam habent: Parochus tamen & cohortando, & monendo poterit communiter, vel seperatim, ut commodius sibi videbitur, ea tractare. Sin autem Decalogi interpretandi munus susceperit, demonstrabit, quæ sit horum duorum Præceptorum dissimilitudo, quidve una concupiscentia ab altera differat: quam differentiam libro quæstionum in Exodum Divus Augustinus declarat. Nam ex iis altera solum spectat, quid utile sit, quid fructuosum: alteri propositæ sunt, libidines, & voluptates. Si quis igitur fundum, aut domum concupiscit, is lucrum potius, & quod utile est, consectatur, quam voluptatem: si vero alienam uxorem appetit, non utilitatis, sed voluptatis cupiditate ardet.

Nono Præcepto cupiditas inordinata lucri prohibetur. Decimo autem cupiditas impuræ voluptatis vetatur.

Aug. q. 77. in Exod. Vide item D. Thom. in 2. 2. qu. 122. art. 6. ad 3. & 4.

3. *Num sexto, & septimo Præcepto satis fuerit explicatum, quod his duobus postremis comprehenditur.*

Verum horum Præceptorum duplex fuit necessitas: Altera, ut sexti, septimique Præcepti sententia explicaretur. Nam etsi quodam naturæ lumine intellectum est, alienæ uxoris potiundæ cupiditatem prohiberi, vetito adulterio (nam si concupiscere liceret, fas item esset potiri) tamen plerique ex Judæis peccati obcæcati in eam opinionem adduci non poterant, ut crederent, id a Deo prohibitum esse: imo vero lata, & cognita hac Dei Lege, multi, qui se Legis esse interpretes profitebantur, in eo erro-

Nonum, & decimum præceptum illustrans sextum & septimum.

Legis Moysi quidam interpretes sexti Præcepti sententiam perverterunt.

errore versati sunt: id quod animadvertere licet ex illo Domini sermone apud sanctum Matthæum: (a) *Audistis, quia dictum est antiquis, non mœchaberis, ego autem dico vobis,* & quæ sequuntur. Altera est horum præceptorum necessitas, quod aliqua distincte, explicateque vetantur, quæ sexto, & septimo explicate non prohibebantur. Nam, exempli causa, septimum Præceptum prohibuit, ne quis injuste concupiscat aliena, aut eripere conetur: hoc autem vetat, ne ullo modo quis concupiscat, etsi jure, Legeque assequi id possit, ex cujus adeptione Proximo damnum importari videat.

a) *Matt.* 5. 27. *Nono, & decimo Præcepto quædam explicite vetantur, quæ sexto, & septimo aperte non vetabantur.*

Vide aliam rationem apud D. Thom. in 1. 2. *qu.* 100. *art.* 5. *ad* 5. *&* 6.

4. Quale, quantumque sit Dei beneficium, quod nobis Legis hujus mandato est collatum.

Quomodo concupiscentia sit infinita, declarat D. Thom. in 1. 2. *qu.* 30. *art.* 4.

Sed illud in primis, antequam ad Præcepti explicationem veniamus, docendi sunt Fideles, nos hac lege non solum ad id institui, ut cupiditates nostras cohibeamus, sed etiam Dei erga nos pietatem, quæ immensa est, cognoscamus. Nam cum superioribus Legis Præceptis nos quibusdam quasi præsidiis muniviſſet, ne quis nos ipsos, aut nostra violaret; hoc adjuncto Præcepto, illud maxime providere voluit, ne appetitionibus nostris nos ipsi lædere-mus: quod facile futurum fuit, si omnia cupere atque optare, liberum nobis, atque integrum esset. Hac igitur non concupiscendi Lege præscripta, illud a Deo provisum est, ut cupiditatum aculei, quibus ad pernicioſa quæque incitari solemus, hujus Legis vi quodammodo excussi, nos minus urgeant; majusque propterea temporis spatium nos, molesta illa cupiditatum solicitudine liberati, ad ea præstanda pietatis,

tatis, & religionis officia habeamus, quæ ipſi Deo multa, maximaque debemus.

5. Quod diſcrimen hæc duo Præcepta inter Leges divinas, & humanas eſſe inſinuent.

Neque id ſolum hæc Lex nos docet, verum etiam illud oſtendit: Legem Dei ejuſmodi eſſe, quæ non externis ſolum munerum functionibus, ſed etiam intimo animi ſenſu ſervanda ſit. Hocque inter divinas, & humanas Leges intereſt, quod hæ rebus tantum externis contentæ ſunt; illæ vero, (a) quoniam animum Deus intuetur, ipſius animi puram, ſinceramque caſtitatem, atque integritatem requirunt. Eſt igitur divina Lex, quaſi ſpeculum quoddam, in quo naturæ noſtræ vitia intuemur. Quamobrem dixit Apoſtolus, (b) *Concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret: non concupiſces.* Cum enim concupiſcentia, id eſt peccati fomes, qui ex peccato originem habuit, perpetuo nobis infixus inhæreat, ex hoc agnoſcimus in peccato nos naſci: quapropter ſupplices ad eum confugimus, qui ſolus poteſt peccati ſordes eluere.

Lex Dei eſt ſpiritualis.

Leges humanæ internos animi motus non reprimunt.

a) 1. *Reg.* 16. 7. *Pſal.* 7. 10. *Jerem.* 11. 20. & 17. 10.

Lex divina ſpeculum eſt tum honeſtarum, tum vitioſarum actionum.

b) *Rom.* 7. 7.

6. Quæ concupiſcentia hic non prohibeatur, quidve ſit Concupiſcentia.

Habent autem hæc ſingula Præcepta illud eum cæteris commune, ut partim aliquid vetent, partim jubeant. Quod ad prohibendi vim attinet, ne quis forte arbitretur, Concupiſcentiam illam, quæ vitio caret, aliquo modo vitium eſſe, (c) ut concupiſcere ſpiritum adverſus carnem, vel (d) expetere juſtificationes Dei in omni tempore, id quod David ſummopere cupiebat; Parochus doceat, quæ Con-

c) *Gal.* 5. 17.

d) *Pſ.* 118. 20.

cu-

cupiſcentia illa ſit, quam hujus Legis præſcripto fugere oporteat. Quare ſciendum eſt, *Concupiſcentiam eſſe commotionem quandam, ac vim animi, qua impulſi homines, quas non habent, res jucundas appetunt.* Et quemadmodum reliqui animi noſtri motus non perpetuo mali ſunt; ita hæc concupiſcendi vis non ſemper in vitio eſt ponenda. Neque enim propterea malum eſt, ſi cibum, aut ſi potum appetimus, aut, cum frigemus, ſi caleſcere, aut contra, cum calemus, ſi frigeſcere cupimus. Et quidem recta hæc concupiſcendi vis, Deo auctore, a natura nobis inſita eſt: ſed primorum Parentum noſtrorum peccato factum eſt; ut illa naturæ fines tranſiliens uſque adeo depravata ſit, ut ad ea concupiſcenda ſæpe incitetur, quæ ſpiritui, ac rationi repugnant.

Quid ſit concupiſcentia ex Ariſt. l. 1. Rhet. cap. 21. & D. Th. in 1. 2. q. 30. art. 1.

7. Quas præcipue utilitates concupiſcentia rectæ rationi conformis homini præſtet.

Quin etiam hæc vis, ſi moderata eſt, ſuiſque finibus continetur, ſæpe etiam non mediocres utilitates præbet. Nam illud primum efficit, ut aſſiduis precibus Deum oremus, ſupplicesque ab eo petamus, quæ maxime cupimus. Oratio enim cupiditatis noſtræ interpres eſt. Quod ſi recta hæc concupiſcendi vis abeſſet, non tam multæ preces eſſent in Eccleſia Dei.

Prima utilitas.

Secunda.

Efficit præterea, ut chariora ſint nobis Dei munera. Quo enim vehementiori alicujus rei cupiditate flagramus, eo charior illa nobis res eſt, atque jucundior, cum eam adepti ſumus.

Tertia.

Tum vero delectatio ipſa, quam ex re concupita ſentimus, facit, ut majore pietate gratias Deo agamus. Itaque, ſi concupiſcere aliquan-

quando licet, fateamur neceſſe eſt, non omnem concupiſcendi vim prohibitam eſſe.

8. Quomodo Apoſtolus Concupiſcentiam peccatum vocet.

Et quanquam Divus Paulus (a) Concupiſcentiam peccatum eſſe dixit, id in eam tamen ſententiam accipiendum eſt, in quam (b) Moyſes locutus eſt, cujus ille teſtimonium affert, id, quod ipſius Apoſtoli oratio declarat. Nam illam carnis Concupiſcentiam vocat in Epiſtola ad Galatas, (c) *Spiritu*, inquit, *ambulate, & deſideria carnis non perficietis.*

a) *Rom.* 7. 10.

b) *Exod.* 20. 17. *Trid. Syn. ſeſſ.* 5. *ſub finem Decret. de peccato originali.*

c) *Gal.* 5. 16.

9. Quæ Concupiſcentia hic omnino non prohibeatur, nec peccati rationem habeat.

Naturalis igitur illa Cupiditatis vis, & moderata, quæ fines ſuos non egreditur, non vetatur, multoque minus ſpiritualis illa rectæ mentis Cupiditas, qua ad eorum appetitionem incitamur, quæ carni repugnant. Ad hanc enim ipſam ſacræ Literæ nos adhortantur : (d) *Concupiſcite ſermones meos*, &, (e) *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me.*

d) *Sap.* 6. 12.

e) *Eccl.* 24. 26.

10. Quæ ſit Concupiſcentia hic interdicta.

Itaque hæc interdicto non ipſa concupiſcendi vis, quantum ad bonum, tum ad malum uti licet, ſed uſus pravæ cupiditatis, quæ carnis Concupiſcentia, & peccati fomes vocatur, ac, ſi animi aſſenſionem adjunctam habeat, ſemper in vitiis numeranda eſt, omnino prohibetur. Ergo ea tantum concupiſcendi libido vetita eſt, quam *carnis Concupiſcentiam* vocat (f) Apoſtolus ; illi ſcilicet concupiſcendi motus, qui nullum rationis modum habent, neque finibus a Deo conſtitutis continentur.

f) *Galat.* 5. 16. 19. 1. *Petr.* 2. 11. 1. *Joan.* 2. 16.

11. Quibus ex cauſis agnoſcatur, Concupiſcentiam eſſe peccatum.

Concupiſcentia eſt mala, primo ob ea, quæ appetuntur.

Hæc Cupiditas damnata eſt: Vel quia malum appetit, veluti adulteria, ebrietates, homicidia, & alia ejuſmodi nefaria ſcelera: de quibus ita
a) 1. Cor. 10. 6. Apoſtolus, (a) *Non ſimus*, inquit, *concupiſcentes malorum, quemadmodum & illi concupierunt.*

Secundo, quia eſt rerum prohibitarum.

Vel quia, etſi res natura ſua malæ non ſunt, cauſa tamen aliunde extat, quare illas concupiſcere nefas ſit. Quo in genere ſunt ea, quæ ne poſſideamus, Deus, aut Eccleſia prohibet. Non enim ea appetere nobis licet, quæ poſſidere omnino nefas ſit; qualia olim in veteri Lege fuerunt aurum, & argentum, ex quibus Idola confiata erant, quæ (b) Dominus
b) Deut. 7. 26. 2. Mach. 12. 40. in Deuteronomio vetuit, ne quis concupiſceret. Ob eam præterea cauſam hæc Cupiditas vitioſa prohibetur, quoniam quæ appetuntur, aliena ſunt, ut domus, ſervus, ancilla, ager, uxor, bos, aſinus, & alia multa; quæ cum aliena ſint, ea concupiſcere vetat divina Lex; rerumque ejuſmodi Cupiditas nefaria eſt, & in peccatis graviſſimis numeratur, cum illis concupiſcendis animi præbetur aſſenſus.

Tertio, quia eſt rerum alienarum.

12. Concupiſcentiæ peccatum ubi maxime conſiſtat.

Quomodo conſenſus in peccatum ſit peccatum mortale, vide D. Thom. in 1. 2. q. 74. art. 7. 8. D. Aug. lib. 12. de Trin. c. 12.

Nam tum peccatum natura exiſtit: cum poſt malarum Cupiditatum impulſum animus rebus pravis delectatur, atque his vel aſſentitur, vel non repugnat. Id quod D. Jacob. cum peccati originem, & progreſſionem oſtendit, illis verbis docet: (c) *Unuſquiſque tentatur*
c) Jacob. 1. 14. 15. *a Concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus: deinde Concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum:*

pec-

peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.

13. *Quæ sit duorum extremorum Præceptorum sententia.*

Cum igitur Lege ita caveatur, *Non concupisces*, hæc verba ad eum sensum referuntur, ut nostras Cupiditates a rebus alienis cohibeamus. Alienarum enim rerum Cupiditatis sitis immensa est, atque infinita, neque unquam satiatur, ut scriptum est: (a) *Avarus non implebitur pecunia:* de quo ita est apud Isaiam: (b) *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis.* Sed ex singularum vocum explicatione facilius intelligetur hujus peccati fœditas, & magnitudo.

Greg. hom. 16. in Evang. & 4. Moral. c. 27.

a) *Eccl.* 5. 9.

b) *Isa.* 5. 8.

14. *Quid* Domus *vocabulo in hujus Præcepti formula intelligendum sit.*

Quare Parochus docebit, *Domus* vocabulo non locum modo, quem incolimus, sed universam hæreditatem significari, ut ex divinorum Scriptorum usu, consuetudineque cognoscitur. In Exodo scriptum est, (c) Obstetricibus a Domino domus esse ædificatas; sententia eo spectat, ut illarum facultates ab eo auctas esse, atque amplificatas interpretemur. Ex hac igitur interpretatione animadvertimus, hac Præcepti Lege vetitum nobis esse, ne divitias avide expetamus, neque alienis opibus, potentiæ, nobilitati invideamus, sed statu nostro, qualisqualis ille sit, sive humilis, sive excelsus, contenti simus. Alienæ deinde gloriæ appetitionem vetitam esse intelligere debemus; nam hoc item ad Domum pertinet.

Noni, & decimi Præcepti singula verba declarantur.

c) *Exod.* 1. 21. *Quod uni Danieli præcipitur, hoc idem uniuscujusque nostrum dicitur.* Sta in gradu tuo. *Dan.* 10.

15. Quid Bovis, *&* Asini *vocibus contineatur.*

Quod vero sequitur, *Non Bovem, non Asinum,* id ostendit, non solum quæ magna sunt, ut Domus, nobilitas, & gloria, ea, cum aliena sint, concupiscere nobis non licere, sed etiam parva, qualiacunque illa sint, sive animata, sive inanimata.

16. De quibus Servis in hoc Præcepto sit sermo.

Servi aliorum per Cupiditatem non solicitandi.

Sequitur deinceps, *Non Servum, non Ancillam,* quod intelligendum est tam de captivis, quam de reliquo genere Servorum: quos, ut cætera alterius bona, concupiscere non debemus. Liberos vero homines, qui voluntate serviunt, vel mercede conducti, vel amore, observantiaque impulsi, nullo modo, neque verbis, neque spe, neque pollicitationibus, neque præmiis quis corrumpere, aut solicitare debet, ut eos deserant, quibus seipsi sponte addixerunt: imo vero, si ante id tempus, quo se in illorum famulatu fore promiserant, ab illis recesserint, hujus Præcepti auctoritate admonendi sunt, ut ad eos ipsos omnino revertantur.

17. Cur etiam in hoc Præcepto mentio Proximi fiat.

Quod autem in Præcepto mentio fit Proximi, id eo pertinet, ut hominum vitium demonstretur, qui vicinos agros, aut proximas domos, aut aliam rem ejusmodi, quæ secum continens sit, appetere solent. Vicinitas enim, quæ in parte amicitiæ ponitur, ab amore ad odium, cupiditatis vitio, traducitur.

18. Non prævaricantur istam Legem, qui res venales Proximi justo pretio emere cupiunt.

Hoc vero Præceptum ii minime violant, qui

qui res, quas Proximi venales habent, emere de illis cupiunt, aut juſto pretio emunt. Ii enim non modo Proximum non lædunt, ſed valde adjuvant; cum ei pecunia majori commodo, uſuique futura ſit, quam res illæ, quas ipſe venditat.

19. Quomodo decimum Præceptum de non concupiſcenda uxore Proximi intelligendum ſit.

Explicatur decimum Præceptum de non concupiſcenda uxore proximi.

Hanc de re aliena non concupiſcenda Legem altera ſequitur, quæ prohibet, ne alienam concupiſcamus uxorem. Qua Lege concupiſcendi libido non ea quidem tantum prohibita cenſetur, qua adulter alterius uxorem appetit, ſed etiam qua affectus aliquis alterius uxorem in Matrimonium ducere concupiſcit. Eo enim tempore, (a) cum repudii permittebatur libellus, illud facile evenire poterat, ut quæ ab uno repudiata eſſet, eam alter uxorem acciperet. At hoc Dominus vetuit, ne aut mariti ad uxores relinquendas ſolicitarentur, aut uxores maritis difficiles ſe, ac moroſas ita præberent, ut eam ob cauſam quaſi quædam neceſſitas viris imponeretur illas repudiandi. Nunc vero gravius eſt peccatum, cum mulierem, etiamſi a vero repudiata ſit, alteri in Matrimonium ducere non liceat, niſi marito mortuo. Itaque qui alterius uxorem concupiſcet, facile ex una in aliam incidet cupiditatem: aut enim illius virum mori, aut adulterium admittere cupiet.

Libellus repudii tempore Moyſis permiſſus:

a) *Deut. 24. 1. 2.*

Uxorem etiam repudiatam ab alio ducere non licet.

Matth. 5. 28. & 19. 7. Mar. 10. 17. 12. Luc. 16. 18. Rom. 7. 3. 2. Cor. 7. 10. 11. Concil. Milev. c. 17. Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 7. de doctrina Matrim. Fœminam alteri deſponſatam concupiſcere non licet.

Atque hoc idem de iis mulieribus dicitur, quæ alteri deſponſatæ ſunt, Neque enim has item concupiſcere licet; cum ii, qui hæc pacta reſcindere ſtudent, violent ſanctiſſimum fidei fœdus.

Et quemadmodum quæ alteri nupta eſt, eam concupiſcere omnino nefas eſt; ſic quæ ad Dei cultum, religionemque conſecrata eſt, nullo pacto licet illam uxorem appetere.

20. In hanc Legem non peccat, qui mulierem, quam putat maritum amiſiſſe, ſolicitat ad Matrimonium.

Si vero quis mulierem, quæ nupta eſt, cum eam innuptam eſſe opinetur, uxorem ſibi dari concupiſcit, neque, ſi in Matrimonium alii collocatam intelligeret, eam nuptam ſibi dari cuperet (id quod (a) Pharaoni, & (b) Abimelech contigiſſe legimus, qui Saram in Matrimonium habere concupierunt, cum eam minime nuptam, Abrahæque ſororem, non uxorem arbitrarentur) ille certe, qui eo animo eſt, ejuſmodi Præcepti Legem violare non videtur.

a) *Gen.* 11. 15.
b) *Gen.* 20. 2.

21. Quæ præter ea, quæ prohibentur hoc Præcepto, facienda imperentur.

Remedia adverſus noxias Concupiſcentias.

Sed, ut Parochus remedia patefaciat, quæ ad tollendum hoc Cupiditatis vitium accommodata ſunt, explicare alteram Præcepti rationem debet, quæ in eo conſiſtit, ut, (c) ſi divitiæ affluant, cor non apponamus, (d) eaſque pietatis, & divinarum rerum ſtudio abjicere parati ſimus, & in ſublevandas pauperum miſerias libenter pecuniam erogemus; ſi deſint facultates, egeſtatem æquo, & hilari animo feramus. Et quidem ſi rebus noſtris dandis liberalitate utemur, rerum alienarum cupiditates reſtinguemus. De Paupertatis autem laudibus, divitiarumque deſpicientia (e) in ſacris Literis, & apud ſanctos Patres facile erit Parocho multa colligere, & fideli populo tradere.

c) *Pſal.* 61. 11.
d) *Matt.* 19. 21.
e) *Matth.* 5. 3. *Marc.* 4. 18. *Luc.* 6. 16. 19. 20. 21. 22. & 18. 22. 23. 24.

Hac

Hac item Lege præcipitur, ut ardenti ſtudio, ſummaque cupiditate optemus id potiſſimum effici, non quod nos concupiſcimus, ſed quod Deus vult, quemadmodum Domini oratione exponitur. Voluntas autem Dei in eo maxime eſt, ut ſingulari nos quodam modo ſancti efficiamur, animumque noſtrum ſincerum, atque ab omni labe purum, integrumque conſervemus, & exerceamus nos in iis mentis, ac ſpiritus officiis, quæ corporis repugnant ſenſibus; horumque edomitis appetitionibus, ratione, ac ſpiritu duce, rectum vitæ curſum teneamus; quive præterea ſenſus materiam cupiditatibus noſtris, libidinique præbent, eorum vim maxime reprimamus.

Acter. 4. 34. 35. & 5. 1. 2. 3. Vide de laudibus Paupertatis voluntariæ. Hieron. ep. 1. ad Heliod. Greg. hom. 18. in Ezech. Ambr. lib. 5. Com. in Luc. c. 6. Et lib. 3. ep. 10. Gregor. Naz. or. 16. de Pauperum amore. Leo Magnus in ſer. omnium Sanctorum.

22. *Quæ ſint potiſſimum Chriſtianis meditanda, ut vim concupiſcentiæ refrœnent.*

Sed ad hunc cupiditatum ardorem reſtinguendum plurimum etiam hoc poteſt, ſi, quæ incommoda ex illis accidunt, ea nobis ob oculos proponamus. Primum vero illud incommodum eſt, quod, quoniam ejuſmodi cupiditatibus paremus, in anima noſtra regnat ſumma peccati vis, ac poteſtas. Quamobrem monuit Apoſtolus, (a) *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Nam quemadmodum, ſi cupiditatibus reſiſtimus, peccati vires concident; ita ſi iiſdem ſuccumbimus, (b) Dominum a regno ſuo expellimus, & in ejus locum peccatum introducimus.

Matth. 6. 10. Rom. 12. 2. 1. Theſſ. 4. 3. Primum eſt peccati in anima noſtra Regnum.

a) *Rom. 6. 12.*

b) *1. Cor. 6. 15. 16.*

Alterum præterea incommodum eſt, quod ab hac concupiſcendi vi, veluti fonte quodam, omnia peccata manant; ut (c) Divus

Secundum eſt, quod omnia mala a cupiditate manant.

c) *Jac. 1. 14. 15.*

a) 1. Joan. 2. 16. Jacobus docet. Divus item Joannes, (a) *Omne*, inquit, *quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.*

Tertium eſt, quod per eam Judicium obſcuratur.

Tertium incommodum in eo eſt, quoniam rectum animi judicium his cupiditatibus obſcuratur. Homines enim iis cupiditatum tenebris obcæcati, honeſta, & præclara putant omnia, quæcunque ipſi concupiſcunt.

Quartum eſt, quod verbum Dei per eam opprimitur.

Opprimitur præterea concupiſcendi vi verbum Dei, quod in animis noſtris a magno illo Agricola Deo inſitum eſt. Sic enim apud Divum Marcum ſcriptum eſt: (b) *Alii ſunt, qui in ſpinis ſeminantur: hi ſunt, qui verbum audiunt, & ærumnæ ſæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur.*

b) Mar. 4. 18.

23. Qui cupiditatum laqueis maxime implicentur.

Luſibus dediti, & mercatores alienis rebus inhiant.

Jam vero, qui præ cæteris hoc cupiditatis vitio laborant, quoſque propterea Parochus ad colendum hoc Præceptum diligentius cohortari debet, illi ſunt, qui luſionibus non honeſtis delectantur, aut qui ludis immoderate abutuntur: mercatoreſque item, qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt; atque id ægre ferunt, ut alii præter ipſos ſint, qui vendant, aut emant, quo carius vendere, aut vilius emere ipſi poſſint: qua in re item peccant qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo, aut emendo ipſi lucrentur.

Milites, Medici, & Cauſidici in hoc peccant.

Peccant etiam *Milites*, qui bellum expetunt, ut furari ipſis liceat; *Medici* item, qui morbos deſiderant: *Juriſconſulti*, qui cauſarum, litiumque vim, copiamque concupiſcunt: tum *Artifices*, qui quæſtus avidi, omnium, quæ ad victum,

ctum, cultumque pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimum lucri faciant. In hoc præterea genere graviter ii peccant, qui alienæ laudis, gloriæque avidi, atque appetentes sunt, non sine aliqua famæ alterius obtrectatione: idque præsertim, si qui illam appetunt, ignavi, nulliusque pretii homines sunt. Fama enim, & gloria virtutis, atque industriæ, non ignaviæ, aut inertiæ præmium est.

CATECHISMI ROMANI

PARS QUARTA.

De Oratione, ejuſque in primis neceſſitate.

CAPUT I.

1. Quomodo Deus ſit orandus.

Dominica oratio inter omnes precandi formulas perfectiſſima. De oratione ſcripſerunt Amb. l. 5. & 6. de Sacram. Cyprianus in hanc luculenter. Dam. l. 2. Paral. c. 15. Et d. orth. fide lib. 3. cap. 24. Petrus Coryſ. ſer. 67. & conſequenter. Alex. de Ales 4. p. q. 88.

In officio, & munere Paſtorali cum primis neceſſaria eſt ad ſalutem fidelis Populi præceptio Chriſtianæ Precationis; cujus vim, ac rationem neceſſe eſt multos ignorare, niſi pia, & fideli Paſtoris diligentia tradita ſit. Quamobrem præcipua Parochi cura verſari debet in eo, ut pii auditores intelligant, quid a Deo, & quomodo orandum ſit. Omnes autem neceſſariæ Precationis numeros continet divina illa formula, quam Chriſtus Dominus Apoſtolis, & per illos, eorumque ſucceſſores omnibus deinceps, qui Chriſtianam Religionem ſuſciperent, notam eſſe voluit; cujus verba, & ſententias ſic animo, ac memoria comprehendere oportet, ut in promptu habeamus. Ut autem in hac orandi ratione ſuppeditet Parochis facultas inſtituendi fideles auditores, quæ magis opportuna viſa ſunt, hic propoſuimus, ſumpta ab iis Scriptoribus, quorum eo in genere doctrina, & copia maxime laudatur. Nam reliqua, ſi opus fuerit, Paſtores ex iiſdem fontibus haurire poterunt.

2. Uſus

2. Usus orandi ad salutem necessarius est.

Primum igitur docendum est, quam sit Oratio necessaria, cujus Præceptum non solum consilii causa traditum est, sed etiam necessarii jussi vim habet: quod a Christo Domino declaratum est illis verbis: *Oportet semper orare.* Hanc orandi necessitatem ipsa etiam, illo Dominicæ Precationis quasi procœmio, ostendit Ecclesia: *Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere.* Itaque, cum esset necessaria Precatio Christianis hominibus, & illud a Discipulis ipse rogatus esset, (a) *Domine, doce nos orare,* præscripsit eis orandi formam Dei Filius, & spem attulit impetrationis eorum, quæ postularent: & ipse documentum fuit Precationis, qua non solum utebatur assidue, sed (b) in ea etiam pernoctabat; cujus deinde officii iis, qui se ad Jesu Christi Fidem contulissent, Apostoli præcepta tradere non destiterunt. Nam (c) Sancti & Petrus, & (d) Joannes de ea re diligentissime pios admonent: & ejus rationis memor (e) Apostolus pluribus locis hortatur Christianos ad salutarem orandi necessitatem.

Luc. 18. 1. *Orare ex Præcepto Domini tenemur.*

Præfatio Orationis Dominicæ in Missa.

a) *Luc.* 6. 12. *Eccl.* 18. 22. 1. *Thess.* 5. 17. *Ephes.* 6. 18. *Colos.* 4. 2.

b) *Luc.* 11. 1. *Christi exemplo orandum, & Apostolorum præscripto.*

Luc. 6. 12.

c) 1. *Petr.* 4. 7.

d) 3. *Joan.* 1.

e) *Rom.* 12. 13. *Phil.* 4. 6. 1. *Tim.* 2. 1. 2. & 5. 5. *Hebr.* 4. 16.

3. Qua potissimum ratione homines adduci possint in cognitionem necessarii hujus officii.

Præterea tam multis indigemus bonis, & commodis, ad animum, corpusque tuendum necessariis, ut ad Precationem confugere oporteat, tanquam ad unam omnium optimam & indigentiæ nostræ interpretem, & conciliatricem eorum, quibus egemus. Nam (f) cum nihil cuiquam debeat Deus, reliquum profecto est, ut quæ nobis opus sunt, ab eo Precibus expe-

f) *Rom.* 11. 35. *Oratione necessaria consequimur.*

ta-

tamus; quas Preces, tanquam instrumentum necessarium nobis dedit ad id, quod optaremus, consequendum.

4. Non alia via omni indigentiæ nostræ satisfacere licet, quam per orationem.

Orationi Dæmones fugamus.

Præsertim cum quædam esse constet, quæ nisi ejus adjumento non licet impetrare. Habent enim sacræ Preces præstantem illam virtutem, qua maxime Dæmones ejiciuntur. (a) Est enim quoddam Dæmoniorum genus, quod non ejicitur, nisi in jejunio, & oratione. Quare magnam sibi adimunt facultatem singularium donorum, qui hanc consuetudinem, exercitationemque non adhibent pie, ac diligenter orandi. Petitione enim non solum honesta, sed etiam (b) assidua opus est ad impetrandum, quod concupiscas. Nam ut inquit sanctus Hieronymus scriptum est: *Omni petenti datur. Ergo si tibi non datur, ob id non datur, quia non petis.* (c) *Petite ergo, & accipietis.*

a) *Matt.* 17. 20 *Donorum singularium facultatem sibi adimunt, qui Orationi non vacant.*

b) *Jac.* 5. 16. *Hier. in cap.* 7. *Matth.*

c) *Matth.* 7. 7. & 21. 22. *Marc.* 11. 24. *Luc.* 11. 9. *Joan.* 14. 13. & 16. 23. 24.

De Utilitate Orationis.

CAPUT II.

1. Quis sit primus fructus, quem parit illa orandi necessitas.

Hat Orationis utilitates persequitur Isid. lib. de summo bono c. 7. Primus fructus, per Orationem Deum primo honoramus.

Habet autem hæc necessitas jucundissimam utilitatem, quæ fructus ex se edit uberrimos: quorum copiam sument Pastores a sacris Scriptoribus, cum opus erit illos impertiri fideli populo. Nos ex ea copia aliquot elegimus, quos huic tempori accommodatos duximus. Primus autem fructus, quem inde capimus, est is, quod orantes Deo honorem ha-

habemus: ſiquidem eſt quoddam Religionis argumentum Oratio, quæ in Divinis Literis thymiamati comparatur: (a) *Dirigatur* enim, inquit Propheta, *oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Quare nos hac ratione Deo ſubjectos eſſe profitemur, quem bonorum omnium auctorem agnoſcimus, & prædicamus, in quem ſolum ſpectamus, quod unum incolumitatis, ſalutiſque præſidium, atque perfugium habemus. Hujus fructus illis etiam verbis admonemur: (b) *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

a) *Pſal.* 140. 2.

b) *Pſal.* 49. 15.

2. *Quæ ſit altera utilitas, quam orando conſequimur.*

Sequitur fructus ampliſſimus, & jucundiſſimus Orationis, cum a Deo Preces audiuntur. Eſt enim, ex ſancti Auguſtini ſententia, Oratio juſti clavis cœli; nam *aſcendit*, inquit, *Precatio, & deſcendit Dei miſeratio: licet alta ſit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, ſi mundam habeat conſcientiam.* Cujus orandi muneris tanta vis eſt, tanta utilitas, ut ea re cœleſtium donorum amplitudinem conſequamur. Nam & impetramus nobis, ut ducem, & adjutorem adhibeat Spiritum Sanctum; & Fidei aſſequimur conſervationem, & incolumitatem, & vitationem pœnarum, & divinum patrocinium in tentationibus, & ex Diabolo victoriam. Omnino ineſt in Precatione ſingularis gaudii cumulus, quamobrem ſic loquebatur Dominus: (c) *Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.*

Secunda utilitas.

Aug. ſer. 226. de Temp. Orationi ampliſſima dona conſequimur.

Pacem ſecundum Deum parit Oratio.

c) *Joan.* 16. 24.

3. *Semper pias Preces exaudit Divina Majeſtas.*

Nec vero quin huic Petitioni præſto ſit, & occurrat Dei benignitas, ullus relictus eſt dubi-

bitandi locus. Quod multa comprobant Divinæ Scripturæ teſtimonia, quæ quia ſunt in promptu, illa ſolummodo apud Iſaiam exempli cauſa attingemus, (a) *Tunc enim*, inquit, *invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum;* & rurſus: (b) *Eritque, antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Exempla autem eorum, qui Deum exoraverunt, quia propemodum ſunt & infinita, & poſita ante oculos, omittimus.

a) *Iſa.* 58. 9.

b) *Iſa.* 65. 24. *Item Pſal.* 90. & 114. 1. 2. *Prov.* 15. 29. *Prov.* 3. 4. 6.

4. Qui fiat, ut quæ petimus, interdum non impetremus.

At interdum fit, ut quæ petimus a Deo; non impetremus. Ita eſt: ſed tum maxime proſpicit utilitati noſtræ Deus: vel quod alia nobis majora, & ampliora bona impertitur: vel quod nec neceſſarium nobis eſt, nec utile, quod petimus: imo vero fortaſſe ſupervacaneum id futurum ſit, ſi dederit, atque peſtiferum. *Quædam enim*, inquit ſanctus Auguſtinus, *negat propitius Deus, quæ concedit iratus.* Nonnunquam etiam fit, ut adeo remiſſe, ac negligenter oremus, ut ne ipſi quidem, quod dicimus, attendamus. Cum autem ſit Oratio mentis aſcenſus ad Deum, ſi in orando animus, qui ad Deum referri debet, peregrinatur, nulloque ſtudio, nulla adhibita pietate, temere Precationis verba funduntur; quomodo inanem hujus Orationis ſonitum, Chriſtianam Precationem eſſe dicemus? Quare minime mirum eſt, ſi Deus noſtræ non obſequitur voluntati; cum vel ipſi nolle ad nos, quod petimus, pene probemus noſtræ negligentia, & ignoratione

S. Aug. ſer. 33. *de verbis Domini, & tr.* 73. *in Joan. Quid ſit Oratio. Damaſc. lib.* 3. *de fid. orth. cap.* 24. *Aug. lib.* 2. *de ſer. Domini in monte cap.* 7. *Et ſer.* 230. *de Temp.*

Pre-

Precationis ; vel poſtulemus ea, quæ nobis ſunt obfutura.

5. Digne poſtulantes plus impetrant, quam poſtulent.

Contra vero ſcienter, ac diligenter petentibus multo plus tribuitur, quam a Deo poſtulaverint. Quod & (a) Apoſtolus teſtatur in epiſtola ad Epheſios, & (b) illa Prodigi filii ſimilitudine declaratur, qui præclare ſecum actum eſſe exiſtimaturus fuit, ſi in loco mercenarii famuli habuiſſet eum pater. Etſi recte cogitantibus, non ſolum poſtulantibus nobis cumulat gratiam ſuam Deus, non modo munerum copia, ſed etiam celeritate tribuendi. Quod oſtendunt Divinæ Literæ, cum illa utuntur loquendi formula : (c) *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus.* Intimis enim, & tacitis egentium ſtudiis, ne expectata quidem eorum voce, Deus occurrit.

Sedulo orantibus Deus fere maiora præſtat, quam petant.

a) *Epheſ.* 1. 3.
b) *Luc.* 15.

Deus cogitationes non expectata voce ſæpe exaudit.

c) *Pſal.* 9. 5. *idem fere habes Pſal.* 20. & 102. *Prov.* 10. 24.

6. Quis ſit tertius Orationis fructus.

Accedit eo etiam ille fructus, quod orando animi virtutes & exercemus, & augemus, maxime vero Fidem. Ut enim rite illi non orant, qui Fidem Deo non habent : (d) *Quomodo enim,* inquit, *invocabunt, in quem non crediderunt ?* ſic Fideles, quo ſtudioſius orant, eo majorem, ac certiorem Fidem habent divinæ curæ, & providentiæ, quæ potiſſimum id requirit a nobis, ut ad ſe de iis, quæ nobis opus ſunt referentes, omnia poſtulemus.

Tertius Orationis fructus.
Ex Fide debet procedere Oratio.

d) *Rom.* 10. 14. *vide item Matth.* 21. 22. *Marc.* 11. 22. *Jac.* 1. 6.

7. Cur Deus, cum ſciat, quibus indigeamus, Orationem noſtram velit ſolicitari.

Poſſet vero Deus non petentibus, ne cogitantibus quidem, abunde nobis omnia dilargiri ; quomodo & animantibus rationis expertibus

tibus cuncta suppeditat ad usus vitæ necessarios. Sed beneficentissimus Parens vult a filiis invocari; vult nos quotidie rite petendo petere fidentius: vult, impetratis iis, quæ postulamus, in dies magis testificari, ac prædicare suam in nos ipsos benignitatem.

8. Quomodo nostra in Deum charitas per Orationem exerceatur.

Amplificatur etiam charitas. Nam illum auctorem agnoscentes omnium, utilitatumque nostrarum, quanta eum possumus maxima charitate amplectimur; & ut amantes colloquio, & congressu magis ad amorem incenduntur: sic pii homines, quo sæpius Deo facientes Preces, & ejus implorantes benignitatem, quasi cum ipso colloquuntur, eo majori in singulas Preces affecti lætitia ad eum amandum, & colendum incitantur ardentius.

9. Precationis assiduitate tum digni Divina Gratia evadimus, tum humilitatem, & arma contra Diabolum comparamus.

Aug. epist. 121. cap. 8. Præterea nos hac uti vult exercitatione Precationis, ut flagrantes petendi studio, quod optamus, tantum ea assiduitate, & cupiditate proficiamus, ut digni simus, in quos illa conferantur beneficia, quæ antea jejunus, & angustus noster animus capere non poterat. Vult præterea nos id, quod est, intelligere, ac præ nobis ferre, si cœlestis Gratiæ auxilio deseramur, nostra opera nihil consequi posse, proptereaque toto animo ad orandum incumbere. Valent autem maxime hæc tanquam Orationis arma contra naturæ nostræ hostes *Hilar. in Psal. 93.* acerrimos. Inquit enim sanctus Hilarius: *Adver-*

versus Diabolum, armaque ejus Orationum nostrarum fortitu certandum est.

10. Quæ sit quarta utilitas ex Oratione in homines profluens.

Præclarum præterea illum Orationis fructum consequimur, quod, cum proclives simus ad malum, & ad libidinis varios appetitus vitio infirmitatis ingenitæ, patitur Deus se nostris cogitationibus concipi, ut, dum illum oramus, & mereri ejus contentimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, & ab omni labe, delictorum omnium amputatione, purgemur. *Quartus Orationis fructus.*

11. Quis sit postremus Orationis fructus.

Postremo, ex sancti Hieronymi sententia, iræ Divinæ resistit Oratio. Itaque sic ad Moysen locutus est Deus, (a) *Dimitte me*, cum quidem pœnas eum ab illo populo petere volentem Precibus impediret. Nihil enim est, quod æque Deum leniat iratum, aut etiam paratum ad plagas sceleratis inferendas æque retardet, & revocet a furore, ac Preces piorum hominum. *Quintus Orationis fructus. Hier. in cap. 7. Jerem. super illud, Non obsistas mihi.* a) *Exod. 32. 10.*

De Partibus, & Gradibus Orationis.

CAPUT III.

1. Quibus partibus constet Christiana Oratio.

Exposita necessitate, & utilitate Christianæ Precationis, scire præterea oportet fidelem populum, quot, & quibus partibus ea constet Oratio. Id enim ad hujus officii perfectionem pertinere testatur Apostolus, qui in Epistola ad Timotheum cohortans ad pie, sancteque orandum, Orationis partes diligenter enu- *Quid sit Obsecratio, &c. Ambr. lib. 6. de Sacram. c. 5.*

a) 1. *Tim.* 2. 1. merat. (a) *Obsecro*, inquit, *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Quod vero subtilis quædam est harum differentia partium, si ejus explicationem auditoribus Parochi conducere existimabunt, consulent inter cæteros sanctum Hilarium, & Augustinum.

Hilar. in Ps. 140. *super illud, dirigatur Oratio mea.*

De duabus his præcipuis Orationis formis vide Basil. lib. constit. Monast. c. 2.

2. De postulatione, & gratiarum actione.

Sed, quoniam duæ sunt præcipuæ partes Orationis, postulatio, & gratiarum actio, a quibus, tanquam a capite, manant reliquæ, minime eas prætermittendas duximus. Nam ad Deum accedimus, ut cultum ei, ac venerationem adhibentes, vel ab eo aliquid impetremus, vel ipsi de beneficiis, quibus assidue ab ejus benignitate ornamur, & augemur, gratias agamus. Utramque hanc maxime necessariam partem Orationis Deus ipse pronunciavit ore Davidis, illis verbis: (b) *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Quantum autem egeamus Divinæ Bonitatis, ac liberalitatis, quis ignorat, modo summam hominum egestatem, & miseriam in tueatur?

b) *Psal.* 49. 15.

3. Dei in omnes homines Benignitas, & Liberalitas prædicatur.

Quam liberalis sit in genus humanum Deus.

Quam vero sit propensa Dei Voluntas in genus humanum, quam effusa in nos Benignitas, omnes intelligunt, qui sensu oculorum, & mente præditi sint. Nam quocunque oculos conjicimus, quocunque nos cogitatione convertimus, nobis admirabilis lux Divinæ Beneficentiæ, ac Benignitatis oboritur. Quid enim (c) habent homines, quod a Dei largi-

c) 1. *Cor.* 4. 7.

tate

tate profectum non sit? & si omnia sunt ejus dona, ac munera Bonitatis, quid est, quod non omnes pro viribus beneficentissimum Deum laudibus celebrent, & gratiarum actione prosequantur? Sed utriusque officii, & petendi aliquid a Deo, & ei gratias agendi, multi sunt gradus; quorum alius alio est altior, atque perfectior. Ut igitur Fidelis Populus non solum oret, sed etiam optime fungatur illo munere Orationis, proponent ei Pastores summam, perfectamque orandi rationem, & ad eam, quam diligentissime poterunt, hortabuntur.

Alius orandi modus alio est perfectior.

4. Quinam sit optimus orandi modus, summusque Precationis gradus.

Sed quinam est optimus orandi modus, & summus Precationis gradus? nempe is, quo pii, & justi homines utuntur, qui freti veræ Fidei stabili fundamento, quibusdam optimæ mentis, Orationisque gradibus in illum locum perveniunt, ex quo infinitam Dei Potentiam, immensam Benignitatem, ac Sapientiam contemplari possunt: ubi etiam in spem certissimam veniunt, se & quicquid petierint in præsentia, & illam inexplicabilium bonorum vim consecuturos esse, quæ pollicitus est Deus largiturum se iis, qui divinum auxilium pie, & ex animo implorarint. His, quasi duabus alis, elata in cœlum anima, ardenti studio pervenit ad Deum, quem omni gratiarum, & laudum honore prosequitur, quod summis ab eo beneficiis affecta sit: tum vero singulari adhibita pietate, ac veneratione, quasi filius unicus charissimo Parenti,

Quidnam orantes ad præcipuam contemplationis arcem evehat, vide Bern ser. 4. de Quadrag. & in serm. de quatuor modis orandi, & Bas. ubi supra.

quid ſibi ſit opus, non dubitanter exponit. Quem precandi modum *Effundendi* voce exprimunt Divinæ Literæ; inquit enim Prophe-

a) *Pſal.* 141. 3. 1. *Reg.* 1. 15. *Pſal.* 100. 1.

ta: (a) *Effundo in conſpectu ejus Orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio.* Quæ vox eam vim habet, ut nihil reticeat, nihil occultet, ſed effundat omnia is, qui ad orandum venit, fidenter confugiens in ſinum amantiſſimi Parentis Dei. Ad id enim nos

b) *Pſal.* 61. 9.

Doctrina cœleſtis hortatur illis verbis: (b)

c) *Pſal.* 54. 23.

Effundite coram illo corda veſtra, &, (c) *Jacta ſuper Dominum curam tuam.* Hunc autem Precationis gradum ſignificat ſanctus Auguſtinus,

S. Aug. Enchi. c. 7.

cum inquit in eo libro, qui inſcriptus eſt Enchiridion: *Quod fides credit, ſpes, & charitas orat.*

5. Quæ ſit altera orandi ratio.

Secundus Orationis gradus.

Alius eſt eorum gradus, qui mortiferis peccatis oppreſſi, fide tamen ea: (d) quæ mortua dicitur, nituntur ſeſe erigere, & ad Deum aſcendere; ſed propter intermortuas vires, ſummamque fidei imbecillitatem, ſe altius a terra tollere non poſſunt: verumtamen ſua peccata recognoſcentes, & eorum conſcientia, ac dolore cruciati, humiliter, ac demiſſe, ex illo maxime longinquo modo pœnitentes ſcelerum a Deo veniam, & pacem implorant. Horum Oratio ſuum obtinet locum apud Deum; nam eorum Preces audiuntur: imo vero hujuſmodi homines liberaliſſime miſericors Deus invitat: (e) *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos.* Ex horum hominum numero fuit ille (f) Publicanus, qui cum oculos

d) *Jac.* 2. *Peccatores quomodo exaudiantur. vide D. Aug. tra.* 44. *in Joan & D. Thom. in* 2. 2. *q.* 83. *art.* 16.

e) *Matt.* 11. 28

f) *Luc.* 18. 9. 20.

ad

ad cœlum tollere non auderet, exiit tamen, inquit, e Templo magis juſtificatus, quam Phariſæus.

6. Quo in gradu tertium genus deprecatorum conſiſtat.

Eſt præterea eorum gradus, qui nondum Fidei lucem acceperunt, verumtamen divina benignitate exiguum illorum naturæ lumen accendente, vehementer excitantur ad ſtudium, cupiditatemque veritatis, quam ut doceantur, ſummis Precibus petunt; qui ſi manent in voluntate, a Dei clementia eorum ſtudium non repudiatur, quod exemplo (a) Cornelii Centurionis comprobatum videmus; nemini enim id ex animo petenti clauſæ ſunt fores Divinæ Benignitatis.

Tertius gradus.

a) *Actor.* 10. 2. 3. *Quomodo Deus petenti ex animo gratiam conferat.*

7. Quinam inter Deprecatores extremo in gradu hæreant.

Poſtremus eſt gradus eorum, quos non modo facinorum, & flagitiorum non pœnitentes, ſed etiam ſceleribus ſcelera cumulantes, tamen non pudet ſæpe a Deo petere peccatorum veniam, in quibus volunt perſeverare: qui tali ſtatu ne ab hominibus quidem audere deberent, ut ſibi ignoſcerent, poſtulare. Horum Oratio a Deo non auditur, ſic enim de Antiocho ſcriptum eſt: *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Quare vehementer hortandi ſunt, qui in gravi illa miſeria verſantur, ut abjecta peccandi voluntate, vere, & ex animo ſe convertant ad Deum.

Vide D. Thom. in 2. 2. q. 112. art. 3.

Quartus gradus.

2. *Mach.* 9. 13.

De iis, quæ petenda sunt.

CAPUT IV.

1. Quænam a Deo petere liceat.

Quod iustum, & honestum est peti debet. Vide inter alios D. Thom 2. 2. q. 83. art. 5.

Sed quoniam, in singulis Petitionibus quid postulandum, quid non, suo loco dicetur; satis hic erit Fideles universe illud admonere, ut quæ justa, quæve honesta sint, a Deo petant homines; ne, si contra, quam deceat, aliquid postularint, illo responso repellantur. (a) *Nescitis, quid petatis.* Quicquid autem recte optari potest, petere licet: quod illa Domini uberrima promissa testantur: (b) *Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis;* omnia enim se concessurum pollicetur.

a) *Matt.* 20. 22 *Marc.* 10. 38. *Jac.* 4. 3.

b) *Joan.* 15. 7. & 16. 23.

2. Quæ res primo, & per se a Deo petendæ sint.

Summa, & præcipua Oratio nostra pro summi boni consecutione esse debet. Deinde pro iis, quæ nos eo deducunt.

Quare primum optatum, ac desiderium nostrum ad eam regulam dirigemus, ut ad Deum, qui summum est bonum, summum studium, desideriumque referatur. Deinde cupiemus ea, quæ cum Deo nos maxime conjungant; quæ vero nos inde sejungant, aut causam aliquam afferant disjunctionis, ab omni studio, & cupiditate nostra removenda sunt. Hinc licet colligere, secundum illud summum, & perfectum bonum, quomodo reliqua, quæ dicuntur bona, & optanda sint, & a Parente Deo postulanda.

3. Corporis, & externa bona quatenus a Deo petenda sint.

Nam hæc corporis, quæ vocant, & externa bona, ut sanitas, robur: pulchritudo, divitiæ, honores, & gloria, quia facultatem, ac materiam sæpe dant peccato, (quare fit, ut non omni-

omnino pie, aut ſalutariter petantur) erit illorum petitio his præſcribenda finibus, ut hæc vitæ commoda poſtulentur neceſſitatis cauſa: precandi quæ ratio refertur ad Deum. Licet enim nobis ea Precibus petere, quæ & Jacob, & Salomon poſtularunt. Ille enim in hunc modum: (a) *Si dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum:* Salomon his verbis: (b) *Tribue tantum victui meo neceſſaria.*

a) *Gen.* 28. 20.

b) *Prov.* 30. 8.

4. Divitiis, & aliis bonis corporis quomodo utendum ſit, quando ea Dei benignitate poſſidemus.

Cum vero nobis Dei Benignitate ſuppeditetur ad victum, & ad cultum, par eſt, nos illius Apoſtoli cohortationis recordari: (c) *Qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi:* item, (d) *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere:* quarum fructum, & uſum tantummodo noſtrum eſſe, ſed ita, ut cum cæteris communicemus, (e) ab ipſo doctore Deo didicimus. Si valemus, ſi reliquis externis, & corporis bonis abundamus, eo illa nobis tributa eſſe meminerimus, ut & facilius Deo inſervire poſſimus, & Proximo omnia ejus generis commodare.

Ad divitias cor non apponendum.

c) 1. *Cor.* 7. 30.

d) *Pſal.* 61. 11.

e) *Lev.* 25. 35. 36. & *Deut.* 15. 7. 8. *Prov.* 19. 17. & 21. & 28. 27. *Matt.* 18. 23. 33. *Luc.* 14. 12. & 16. 2. 3. 4.

5. Ingenii, & doctrinæ bona quomodo petenda ſint.

Ingenii autem bona, & ornamenta, cujus generis ſunt artes, atque doctrinæ, petere etiam licet, ſed ea tantum conditione, ſi nobis ad Dei gloriam, & ad ſalutem profutura ſunt. Quod autem omnino, & ſine adjunctione, aut conditione optandum, quærendum, poſtulandum eſt, quemadmodum antea diximus, id Dei

gloria est; & deinceps omnia, quæ summo illi bono conjungere nos queant, ut fides, timor Dei, amor, de quibus plenius dicemus in explicatione Petitionum.

Pro quibus orandum sit.

CAPUT V.

1. Nullum genus hominum in hoc mundo est, pro quibus non liceat Deum precari.

Jacob. 5. 16. 1. Tim. 2. 1. Vide D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 7.

His autem cognitis, quæ petenda sint, docendus est Fidelis Populus, pro quibus orare debeat. Continet autem Oratio Petitionem, & Gratiarum actionem: quare prius de Petitione dicamus. Orandum igitur est pro omnibus sine ulla exceptione, vel inimicitiarum, vel religionis, vel gentis. Nam sive hostis sit, sive alienus, sive infidelis, Proximus est: quem quia Dei jussu amare debemus, sequitur, ut Preces quoque, quod amoris officium est, pro eo facere oporteat. Nam eo pertinet illa Apostoli cohortatio (a) *Obsecro fieri Orationes pro omnibus hominibus.* Qua in Oratione primum petenda sunt, quæ salutem animæ complectuntur, deinde quæ corporis.

a) 1. *Tim.* 2. 2.

2. Pro quibus præcipue orandum sit.

Debemus autem hoc Precationis officium primum Pastoribus animarum tribuere: quod ab Apostolo ejus exemplo monemur. Scribit enim is ad (b) Colossenses, ut orent pro se, ut sibi Deus aperiat ostium sermonis: quod item facit ad (c) Thessalonicenses. Est præterea in Actis Apostolorum: (d) *Oratio fiebat ab Es-*

Primo pro Pastoribus animarum orandum est.

b) *Colos.* 4. 3.

c) 1. *Thes.* 5. 25

d) *Act.* 12. 5.

Ecclesia sine intermissione pro Petro. Cujus etiam officii a Divo Basilio in lib. *de moribus* admonemur; pro iis enim orandum esse inquit, qui præsunt verbo veritatis. *Basil. lib. mor. Reg. 56. c. 5.*

Secundo loco pro Principibus nos precari oportet, ex ejusdem (a) Apostoli sententia. Quanto enim publico bono Principibus piis, & justis utamur, nemo ignorat. Itaque rogandus est Deus, ut tales sint, quales esse oportet, qui reliquis hominibus præsint. *Secundo pro Principibus.* a) *1. Tim. 2.*

Extant (b) exempla sanctorum hominum, quibus monemur, ut pro bonis etiam, piisque deprecemur. Egent enim & illi Precibus aliorum: quod divinitus factum est, ne superbia efferantur, dum intelligunt se inferiorum suffragiis indigere. *Tertio pro bonis, & piis viris orandum.* b) *4. Reg. 19. & 22. 13. 14.*

3. *Pro inimicis nostris, & hostibus Ecclesiæ idem præstandum esse monstratur.*

Jussit præterea Dominus (c) precari pro persequentibus, & calumniantibus nos. c) *Matt. 5. 44. Luc. 23. 34. Act. 7. 59. 1. Cor. 4. 12.*

Illud etiam S. Augustini testimonio celebratum est, hanc esse consuetudinem acceptam ab Apostolis, pro iis, qui ab Ecclesia sunt alieni, Preces, & vota faciendi, ut infidelibus donetur Fides, ut Idolorum cultores ab impietatis errore liberentur, ut Judæi, discussa animorum caligine, lucem veritatis accipiant, ut Hæretici redeuntes ad sanitatem Catholicæ doctrinæ præceptis erudiantur, ut Schismatici, a qua desciverunt sanctissimæ parentis Ecclesiæ communione, cum ea iterum veræ charitatis nodo juncti copulentur. Quantam autem vim habeant Preces pro hujusmodi hominibus factæ ex animo, constat tam multis exemplis *Quarto pro hostibus nostris. Quinto pro Ecclesiæ hostibus. D. Aug. epist. 10. ad Vitalem.* *Vide interim Precum antiquitatem, quæ in die Parasceve fieri in Ecclesia solent.*

a) *Col.* 1. 13. omnis hominum generis: quos quotidie (a) ereptos a potestate tenebrarum transfert Deus

b) *Rom.* 9. 23. 25. in Regnum Filii dilectionis suæ, & (b) ex vasis iræ facit vasa misericordiæ: in quo plurimum valere piorum Obsecrationum, nemo, qui recte sentiat, dubitare potest.

4. Quomodo etiam ad mortuos extendi possit hoc beneficium.

Sexto pro mortuis. S. Dion. Areop. lib. de Eccl. Hier. c. 7.

Preces autem, quæ pro mortuis fiunt, ut ab igne Purgatorii liberentur, ex Apostolorum doctrina fluxerunt; qua de re satis dictum est, cum de Sacrificio Missæ loqueremur.

5. Non prodest illis aliena Oratio, qui peccant ad mortem.

c) 1. *Joan.* 5. 16. In iis autem, qui (c) peccare dicuntur ad mortem, vix quicquam Precibus, votisque proficitur. Verumtamen est Christianæ Charitatis & precari pro illis, & lacrymis contendere, an eis possint reddere placatum Deum.

6. Quomodo execrationes, quæ in Scripturis leguntur, sint accipiendæ.

Psal. 6. 78. & 108. *per totum. Isa.* 2. *& alibi sæpe. Jer.* 10. Execrationes vero sanctorum hominum, quibus in impios utuntur, ex Patrum sententia, constat esse vel prædictiones eorum, quæ illis eventura sunt, vel adhibitas contra peccatum, ut, salvis hominibus, peccati vis intereat.

7. Quis sit usus Gratiarum actionis.

D. Aug. de serm. Dom. in mont. lib. 1. *sub fin. Gratiarū actionis maxime locus in honoribus Sanctorum, unde D. Aug. Sacrificia pro defunctis valde bonis Gra-*

In altera autem parte Orationis maximas Deo grátias agimus pro divinis ejus, immortalibusque beneficiis, quibus & semper affecit, & quotidie afficit humanum genus. Maxime autem fungimur hoc munere Gratiarum actionis, Sanctorum omnium causa, quo in officio

fin-

singulares Deo laudes tribuimus & eorum victoriæ, & triumphi, quem de omnibus & intimis, & externis hostibus ejus benignitate reportarunt.

3. Inter eas gratulationes, quæ Sanctorum causa Deo exhibentur, quænam in Ecclesia primas partes obtineat.

Huc pertinet prima illa pars Angelicæ Salutationis, cum ea ad precandum utimur: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Nam Deum summis & habendis laudibus, & gratiis agendis celebramus, quod sanctissimam Virginem omni cœlestium donorum munere cumulavit: ipsique Virgini singularem illam gratulamur felicitatem. Jure autem sancta Dei Ecclesia huic gratiarum actioni Preces etiam, & implorationem sanctissimæ Dei Matris adjunxit; qua pie, atque suppliciter ad eam confugeremus, ut nobis peccatoribus sua intercessione conciliaret Deum; bonaque tum ad hanc, tum ad æternam vitam necessaria impetraret. Ergo nos exules filii Evæ, qui hanc lacrymarum vallem incolimus, assidue misericordiæ Matrem, ac fidelis Populi Advocatam invocare debemus, ut oret pro nobis peccatoribus; ab eaque hac Prece opem, & auxilium implorare, cujus & præstantissima merita apud Deum esse, & summam voluntatem juvandi humanum genus, nemo nisi impie, & nefarie dubitare potest.

tiarum actiones vocat in Enchi. ad Lauren. c. 110. D. Aug. ser. 18. de Sanctis, Amb. l. 2. com. in Luc. Bern. Hom. 2. super Missus est. & serm. 4. de Assumpt. Mariæ, & alibi frequenter. Cur Ecclesia Salutationi Angelicæ preces adjungat, quam ab omni antiquitate invocatam esse constat ex Irenæo lib. 5. adver. hæreses c. 19. Athan. in Evan. de S. Deipara. Greg. Naz. orat. 18. in laudem S. Cypriani. Joan. Dam. orat. 1. de Nat. Virg. & orat. 2. de Assumpt. ejusdem.

Quis orandus ſit.

CAPUT VI.

1. Ad quem dirigenda ſit præcipue Oratio.

Deum autem orandum eſſe, & ejus Nomen invocandum, ipſa loquitur naturæ vis inſita, in hominum mentibus: non ſolum tradunt Divinæ Literæ, in quibus licet audire imperantem Deum: (a) *Invoca me in die tribulationis*: ſed Dei Nomine tres Perſonas intelligi oportet.

a) *Pſal.* 49. 15. *Tres Perſonæ invocari debent.*

2. Sintne etiam Sancti cum Chriſto regnantes invocandi.

Secundo loco confugimus ad auxilia Sanctorum, qui in cœlo ſunt: quibus etiam Preces eſſe faciendas, ita certum eſt in Eccleſia Dei, ut piis nulla de eo dubitatio poſſit accidere. Quæ res quia ſeparatim ſuo loco eſt explicata, eo & Parochos, & cæteros tranſmittimus. Sed ut tollatur omnis error imperitorum, operæ pretium erit docere Fidelem Populum, quid interſit inter hanc invocandi rationem.

3. Aliter Deum, & aliter Sanctos imploramus.

Non enim eodem modo Deum, & Sanctos ejus imploramus. Nam precamur Deum, ut ipſe vel bona det, vel liberet a malis: a Sanctis autem, quia gratioſi ſunt apud Deum, petimus, ut noſtri patrocinium ſuſcipiant, ut nobis a Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas, modo differentes: ad Deum enim proprie dicimus; *Miſerere nobis, Audi nos*: ad Sanctos: *Orate pro nobis.*

4. Qua-

4. Quomodo a Sanctis petere possimus, ut nostri misereantur.

Quamquam licet etiam alia quadam ratione petere a Sanctis ipsis, ut nostri misereantur; sunt enim maxime misericordes. Itaque precari possumus eos, ut conditionis nostræ miseria permoti, sua ad nos apud Deum gratia, ac deprecatione juvent. Quo loco illud maxime cavendum est omnibus, ne, quod Dei proprium est, cuiquam præterea tribuant: imo vero cum ad imaginum Sancti alicujus quis Dominicam Orationem pronunciat, ita tum sentiat, se ab illo petere, ut secum oret, sibique postulet ea, quæ Dominicæ Orationis formula continentur; & sui denique sit interpres, & deprecator ad Deum. Nam eos hoc fungi officio, (a) docuit sanctus Joannes Apostolus in Apocalypsi.

Sic Job 19. 21. & 33. *esse ipso August. Angeli, ut miseremur hominum, rogantur.*

Quo effect. Oratio Dominica ad imaginem Sancti alicuius sit recitanda?

a) *Apoc.* 8. 3.

De præparatione adhibenda.

CAPUT VII.

1. Quibus maxime virtutibus animus ad Orationem sit præparandus.

Est in Divinis Literis: (b) *Ante Orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Tentat enim Deum is, qui cum bene orat, male agit; & cum loquatur cum Deo, a Precibus animus ejus aberrat. Quare cum tanti intersit, quo quisque animo Deo Preces faciat, tradent Parochi vias Precationum piis auditoribus. Primus igitur gradus ad Orationem erit vere humilis, ac demissus animus, scelerum quoque recognitio; quibus

b) *Eccl.* 18. 23. *Tentare Deum quid sit, vide D. Th. in* 2. 2. *q.* 97. *art.* 7.

Primum requiritur, ut sit humilis Oratio.

bus ſceleribus intelligat, qui ad Deum accedit, ſe non modo dignum non eſſe, qui quicquam impetret a Deo, ſed qui ne in ejus quidem conſpectum veniat oraturus. Hujus præparationis ſæpiſſime faciunt mentionem Divinæ Literæ, quæ & illud loquuntur: (a) *Reſpexit in Orationem humilium, & non ſprevit Preces eorum:* item: (b) *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit.* Sed occurrent Paſtoribus eruditis (c) loci innumerabiles, qui in eam ſententiam conveniat. Quamobrem plurium non neceſſaria commemoratione ſuperſedemus: tantum vero, quæ alias attingimus, ne in hac quidem parte, quia ſunt appoſita ad hanc rationem, duo illa exempla prætermittimus. (d) Publicanus eſt ille notiſſimus, qui longe conſiſtens, oculos humo tollere non audebat: (e) eſt etiam mulier illa peccatrix, quæ dolore commota, lacrymis pedes Chriſti Domini perfudit: uterque, quantum afferat Orationi pondus humilitas Chriſtiana declaravit.

a) *Pſal.* 101. 18.

b) *Eccl.* 35. 21.

c) *Jud.* 9. 16. *Pſal.* 17. & 33. *Iſa.* 57. & 66. 2.

d) *Luc.* 18. 13.

e) *Luc.* 7. 37. *Vide aliud de Achab.* 3. *Reg.* 21. 27. 28.

Secundo Orationem præcat dolor commiſſorum peccatorum.

Sequitur angor quidam in recordatione delictorum, vel ſaltem aliquis doloris ſenſus ob eam cauſam, quod dolere non poſſimus; quorum utrumque, vel certe alterum niſi a pœnitente adhibeatur, venia impetrari non poteſt.

2. *Quæ potiſſimum ſcelera volenti cum fructu orare ſint cavenda.*

Tertio abſtinendum cædibus, & violentia.

Sed quia ſunt quædam ſcelera, quæ maxime obſtant, quominus in Precatione Deus poſtulationi noſtræ concedat, ut cædes, & illata vis; manus abſtinendæ ſunt ab hac crudelitate, & violentia. De quo facinore ſic Iſaiæ ore loquitur Deus: (f) *Cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis*

f) *Iſa.* 1. 15. *Vide plura apud eundem Proph.* c. 59. 2. 3.

ritis Orationem, non exaudiam : manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.

Fugienda eſt ira, ac diſſidium, quæ magnopere etiam impediunt, ne Preces audiantur. De quibus eſt illud Apoſtoli : (a) *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſive ira, & diſceptatione.* *Quarto ira fugienda.* a) 1. *Tim.* 2. 8.

Videndum eſt præterea, ne nos implacabiles cuiquam præbeamus in injuria : nam ſic affecti Deum Precibus adducere non poterimus, ut nobis ignoſcat. (b) *Cum enim ſtabitis,* inquit ipſe, *ad orandum, dimittite, ſi quid habetis :* &, (c) *ſi non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* *Quinto iniuriarum cadſis oblivio.* b) *Marc.* 11. 25. c) *Matt.* 6. 15. *Eccl.* 28. 2.

Cavendum quoque eſt, ne duri ſimus, & inhumani egentibus. Nam in ejuſmodi homines illud dictum eſt : (d) *Qui obdurat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* *Sexto miſericordia affectus inducendus.* d) *Prov.* 21. 13.

Quid dicemus de ſuperbia? quæ quantopere Deum offendat, teſtis eſt illa vox : (e) *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* *Septimo ſuperbia evellenda.* e) *Jacob.* 4. 6. 1. *Petr.* 5. 5. *Prov.* 3. 34.

Quid de contemptione Divinorum Oraculorum? in quam extat illud Salomonis : (f) *Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, Oratio ejus erit execrabilis.* Quo tamen loco non excluditur Deprecatio factæ injuriæ, non cædis, non iracundiæ, non illiberalitatis in pauperes, non ſuperbiæ, non deſpicientiæ Divinæ Orationis, non denique reliquorum ſcelerum, ſi ignoſcendi venia petatur. *Octavo contemptus verbi divini corrigendus.* f) *Prov.* 28. 9.

3. *De Fide in Deum, quæ ad orationem neceſſaria videtur.*

Eſt vero ad hanc quoque præparationem animi Fides neceſſaria, quæ, ſi deſit, neque de *Fiducia adhibenda.*

ſum-

ſummi Patris omnipotentia, neque de illius miſericordia, unde tamen orantis fiducia oritur, habetur cognitio; quemadmodum docuit ipſe Chriſtus Dominus: (a) *Omnia*, inquit, *quæcunque petieritis in Oratione credentes, accipietis.* De hujuſmodi Fide ſcribit ſanctus Auguſtinus de verbis Domini: *Si Fides deficit, Oratio periit.* Caput igitur eſt ad rite orandum, quod jam dictum eſt, ut Fide firmi, ac fixi ſimus: quod Apoſtolus ex contrario oſtendit: (b) *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Itaque credamus oportet, ut & orare poſſimus, & ne nos Fides ipſa deficiat, qua ſalutariter oramus. Fides enim eſt, quæ Preces fundit: Preces faciunt, ut omni dubitatione ſublata, ſtabilis ac firma ſit Fides. In hanc ſententiam ſanctus Ignatius hortabatur eos, qui ad Deum adirent oraturi; *Noli dubio eſſe animo in Oratione: beatus eſt, qui non dubitaverit.* Quare ad impetrandum, quod velimus a Deo, maximum pondus affert Fides, & certa ſpes impetrandi: quod monet ſanctus Jacobus: (c) *Poſtulet in Fide nihil hæſitans.*

a) *Matt.* 21. 22.

S. Aug. ſer. 36. *de verb. Domini.*

b) *Rom.* 10. 14.

S. Ignatius ep. 10. *ad Heronem.*

c) *Jacob.* 1. 6.

4. *Quæ nos ad Fidem impetrandi ea, quæ in Oratione petimus, inducere poſſint.*

Multa ſunt, quibus nos confidere oportet in hoc officio Precationis. Eſt ipſa Dei in nos perſpecta Voluntas, ac Benignitas, cum jubet nos ſe (d) Patrem appellare, ut ejus nos eſſe filios intelligamus: eſt prope infinitus numerus eorum, qui Deum exoraverunt: eſt ſummus ille Deprecator, qui nobis ſemper præſto eſt, Chriſtus Dominus. De quo ſic eſt apud ſanctum Joannem; (e) *Si quis peccaverit, Advocatum*

d) *Matt.* 23. 9.

Chriſtus pro nobis orat.

e) 1. *Joan.* 2. 1.

ctum habemus apud Patrem Jesum Christum justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; item Paulus Apostolus: (a) *Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis;* item ad Timotheum: (b) *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus:* tum ad Hebræos: (c) *Unde debuit per omnia fratribus assimulari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.* Quare etsi nos indigni sumus, qui impetremus; tamen optimi dignitate Interpretis, ac Deprecatoris Jesu Christi sperare, & magnopere confidere debemus, nobis omnia, quæ per illum rite petierimus, concessurum Deum.

a) *Rom.* 8. 34. *Christus noster mediator.*

b) 1. *Tim.* 2. 5.

c) *Hebr.* 2. 17.

5. Spiritus Sanctus nostrarum Orationum auctor est.

Denique nostræ auctor est Precationis Spiritus Sanctus: quo duce Preces nostras audiri necesse est. (d) Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater: (e) qui quidem Spiritus infirmitatem, & inscitiam nostram adjuvat in hoc orandi munere: imo vero, (f) inquit Apostolus, *ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

d) *Rom.* 8. 15. *Gal.* 4. 5.

e) *Rom.* 8. 26.

f) *Ibidem.*

6. Quomodo in Fide juvari ad impetranda Dei beneficia debeamus.

Quod si qui titubant interdum, nec se satis esse firmos in Fide sentiunt, utantur illa voce Apostolorum: (g) *Domine adauge nobis fidem:* & cæci illius; (h) *Adjuva incredulitatem meam.* Sed tum maxime & Fide, & Spe vigentes, omnia a Deo optata consequemur, cum ad ipsius Dei Legem, ac Voluntatem omnem mentem, actionem, & Orationem nostram conformabimus; (i)

g) *Luc.* 17. 5.

h) *Marc.* 9. 23. *Bona intentio est necessaria, & conformitas voluntatis nostræ cum divina.*

i) *Joan.* 15. 7.

Si manseritis, inquit, *in me*, *& verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis*, *& fiet vobis.*

Quanquam ad hanc impetrandi a Deo omnia facultatem, in primis necessaria est, ut antea diximus, oblivio injuriarum, & benevolentia, ac benefica voluntas in proximos.

Quæ ratio in orando requiratur.

CAPUT VIII.

1. *De optima orandi ratione docendum esse Populum, & quid sit orare in spiritu, & veritate.*

Maxime autem refert, quomodo sacris Precibus utamur: nam etsi Precatio bonum est salutare, tamen, nisi recte adhibeatur, minime prodest. Quod (a) enim petimus, sæpe non assequimur, ut Sanctus inquit Jacobus, ob eam causam, quia male petimus. Ergo docebunt Parochi Fidelem Populum, quæ sit optima ratio bene petendi, & privatim, ac publice orandi: quæ Præcepta Christianæ Orationis tradita sunt ex Christi Domini disciplina.

a) *Jacob. 4. 3.*

Est igitur orandum in spiritu, & veritate. (b) Nam cœlestis Pater tales quærit, qui adorent eum in spiritu, & veritate. Orat autem eo modo, qui intimum, ac flagrans animi studium adhibet. A qua spirituali precandi ratione vocalem non excludimus: veruntamen principatum jure tribuendum ducimus illi, quæ a vehementi animo proficiscitur, Obsecrationi; quam Deus, cui (c) patent occultæ hominum cogitationes, audit, etiamsi ore non pro-

b) *Joan. 4. 23. De adoratione, in spiritu, & veritate decem, & septem libros scripsit D. Cyril. Alexandrin. qui nuper latinitate donati in lucem prodierunt. Duplex orandi ratio, mentalis, & vocalis, quarum mentalis est potior.*

c) *Deut. 31. 21.*

proferatur. Audivit (a) Annæ ejus, quæ mater fuit Samuelis, intimas Preces: de qua illud legimus, (b) flentem orasse, & tantum labia moventem. Oravit hoc modo David: inquit enim: (c) *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea.* Hujusmodi exempla in divinis Libris passim legentibus occurrent.

1. *Reg.* 1. 16. 17. *Job* 22. 12. 13.
a) 1. *Reg.* 1. 16 17.
b) *Ibid.* 13.
c) *Psal.* 26. 8.

2. *Quis sit usus vocalis Orationis præcipuus.*

Habet autem vocalis oratio propriam utilitatem, & necessitatem: nam incendit animi studium, & religionem orantis inflammat. Quod ad Probam Sanctus Augustinus scripsit hoc modo: *Nonnunquam verbis, & aliis signis ad agendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus. Cogimur interdum vehementi animi cupiditate, & pietate, verbis efferre sententiam. Nam exultante animo lætitia, par etiam est linguam exultare:* & (d) *decet nos vere cumulatum illud Sacrificium facere & animæ, & corporis: quem Apostolorum orandi morem fuisse,* ex (e) *Actis,* & ex (f) *Apostolo multis locis cognoscimus.*

S. Aug. ep. 121. *cap.* 9. *Quomodo ex redundantia cordis os loquatur. Vide Psal.* 15. 9.
d) *Joel.* 2. 28.
e) *Act.* 3. 10. 11. 12. & 16.
f) 1. *Cor.* 14. *Eph.* 5. 19. *Col.* 3. 16.

3. *Vocis officium perinde in privata Oratione, ac in publica necessarium non est.*

Sed quoniam duplex precandi ratio est, privata, & publica; privatæ Orationis pronunciatione utimur, ut intimum studium, ac pietatem adjuvet; in publica, quæ ad incitandam Fidelis Populi religionem instituta est, certis, statisque temporibus linguæ officio supersederi nullo modo potest.

4. *Soli Christiani in spiritu orant, & longas Orationes non debent refugere.*

Hanc vero spiritu orandi consuetudinem, propriam Christianorum hominum, Infideles

minime colunt : de quibus ita licet Chriſtum
a) *Matth.6.7.* Dominum loquentem audire : (a) *Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt ; putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis ; ſcit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.*

Cum autem prohibeat loquacitatem, longas tamen Preces, quæ a vehementi, ac diuturno animi ſtudio proficiſcantur, tantum abeſt, ut rejiciat, ut etiam ſuo exemplo nos ad eam
b) *Luc. 6.12.* rationem cohortetur ; qui (b) non modo no-
c) *Matth.26. 41. 42.* ctes in Precatione conſumpſit, ſed (c) ter eundem ſermonem repetiit, tantum igitur ſtatuendum eſt, inani verborum ſono minime exorari Deum.

5. Orationes hypocritarum rejicit Dominus.

Nec vero ex animo orant hypocritæ : a quorum nos conſuetudine deterret Chriſtus Do-
d) *Matth.6.5.* minus in hanc ſententiam : (d) *Cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum,*
e) *Sicut Heliſæus fecit. 4. Reg. 4. 33. Quid ſit intra cubiculum orare.* *& (e) clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito : & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Cubiculum, quod hoc loco dicitur, ad cor hominis referri poteſt ; quod non ſatis eſt ingredi, ſed præterea occludi oportet, ne quid erumpat, vel influat in animas extrinſecus, quo Precationis integritas violari poſſit. Tum
f) *Iſa. 29.* enim cœleſtis Pater, (f) qui omnium mentes, & occultas cogitationes maxime perſpicit, orantis poſtulationi concedit.

6. Si diutius, quod poſtulamus, differtur, non tamen ab hoc pietatis exercitio ceſſandum eſt.

Requirit præterea Oratio aſſiduitatem: quæ quantam vim habeat, (a) judicis illius exemplo Dei Filius oſtendit, qui cum nec timeret Deum, nec hominem revereretur, victas aſſiduitate, ac diligentia viduæ, ejus poſtulationi conceſſit. Itaque aſſidue Deo preces faciendæ ſunt, nec imitandi illi, qui ſemel, aut iterum orantes, niſi quod petunt, impetrarint, in Oratione defatigantur. Nulla enim officii hujus laſſitudo eſſe debet: (b) quod nos Chriſti Domini, & (c) Apoſtoli docet auctoritas. Quod ſi interdum in eo voluntas defecerit, Precibus a Deo petamus perſeverandi vim.

a) *Luc.* 18. 2. &c.

Eccl. 18. 2.

b) *Luc.* 18. 1.

c) 1. *Theſſ.* 5. 17.

7. Chriſtus, ſi quid a cœleſti Patre poſtulare velimus, illud in ſuo Nomine poſtulandum juſſit.

Vult etiam Dei Filius, Orationem noſtram ad Patrem ſuo Nomine pervenire: quæ ejus merito, & gratia Deprecatoris id pondus aſſequitur, ut a cœleſti Patre audiatur. Eſt enim ejus illa vox apud ſanctum Joannem: (d) *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis. Uſque modo non petiſtis quicquam in Nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum*, & iterum (e) *Quodcunque petieritis Patrem in Nomine meo, hoc faciam.*

d) *Joan.* 16. 23. 24.

e) *Joan.* 14. 13.

8. Fervor Sanctorum in Oratione imitandus, & petitioni gratiarum actio adjungenda.

Imitemur ardens Sanctorum hominum ſtudium, quod in orando adhibebant. Gratiarum autem actionem cum Precatione jungamus, Apoſtolorum exemplo, qui hanc conſuetudi-

nem perpetuo ſervaverunt, quemadmodum apud (a) Apoſtolum licet videre.

a) 1. Cor. 14. 17. Eph. 5. 19. 20. Coloſ. 3. 17. 1. Tim. 2. 1.

9. *Ut fervens, & efficax ſit Oratio, jejunium eſt adhibendum, & eleemoſyna.*

Jejunium vero, & eleemoſynam ad orationem adhibeamus. Jejunium (b) certe maxime eſt cum Oratione ſociatum. Nam qui cibo, & potu ſunt onuſti, horum mens oppreſſa eſt ſic, ut neque Deum intueri, neque, quid ſibi velit Oratio, cogitare poſſint. Sequitur eleemoſyna, quæ magnam & ipſa cum Oratione ſocietatem habet. Quis enim, cui facultas ſit benigne faciendi ei, qui aliena miſericordia vivat, nec opituletur proximo, & fratri ſuo, & charitate præditum dicere audeat? aut quo ore is, qui expers ſit charitatis, Dei auxilium implorabit, niſi cum peccati veniam precatur, ſimul & a Deo ſuppliciter poſtulat charitatem? Quare divinitus factum eſt, ut ſaluti hominum triplici hoc remedio ſubveniretur, cum enim peccando vel offendamus Deum, vel proximos violemus, vel nos ipſos lædamus; ſacris Precibus placatum reddimus Deum, eleemoſyna redimimus hominum offenſiones, jejunio proprias vitæ ſordes eluimus. Et quanquam ſingula proſint ad omnium ſcelerum genera; tamen proprie ſingulis iis peccatis, quæ diximus, appoſita, & accommodata ſunt.

b) Tob. 12. 8. D. Auguſt. in Pſal. 42. Leo ſer. 1. de Jeiun. ſept. Menſ. Petr. Chryſol. in ſerm. 43. Bern. in ſent. ſen. 11.

Oratione, Jeiunio, & eleemoſyna placanda eſt ira divina. Vide D. Thom. in 1. 2. q. 108. art. 3. ad 4. & 5.

DE

DE ORATIONIS DOMINICÆ PROOEMIO.

CAPUT IX.

Pater noſter qui es in Cœlis.

1. Cur in hujus Precationis initio Chriſtus Patris nomen potius, quam Domini, aut Judicis nos, uſurpare voluerit.

Cum hæc formula Chriſtianæ Precationis, a Jeſu Chriſto tradita, eam habeat vim, ut, antequam ad preces, poſtulationeſque veniamus, certis verbis loco proœmii nobis utendum ſit, quibus pie ad Deum accedentes, fidentius etiam id facere poſſimus; Parochi officium eſt, illa diſtincte dilucideque declarare, ut alacrior pius Populus ad Preces adeat, ſeque cum Patre Deo acturum intelligat. Proœmium autem, ſi ſpectes verba, breviſſimum eſt; ſi res æſtimes, graviſſimum, myſteriorumque pleniſſimum. Ac prima quidem vox, qua Dei juſſu, & inſtitutione utimur, in hac Precatione eſt, *Pater*. Nam etſi Salvator noſter divinam hanc Orationem prætexere potuit aliquo verbo, quod plus majeſtatis haberet, exempli cauſa, Creatoris, aut Domini; tamen hæc omiſit, quæ timorem ſimul nobis afferre poſſent; illud autem adhibuit, quod orantibus, & aliquid a Deo petentibus amorem, fi-

Orationem Dominicam explicarunt Cyp. ſer. 6. de Orat. Domin. Amb. lib. 4. de Sacram. c. 4. D. Aug. epiſt. 121.

Proœmium Orationis Dominicæ quam ſit fœcundum.
Cur in Dominica Oratione primum verbum ſit Pater, vide Leo ſer. 6. de Nativit. Domini poſt ſuprà citat.

duciamque conciliat. Quid enim jucundius eſt Patris nomine, quod indulgentiam ſonat, & charitatem ?

2. *Quæ ſit prima ratio, ob quam homines Deum merito Patrem hic appellant.*

Per creationem Deus omnium eſt Pater.

Quibus autem rationibus Patris nomen Deo conveniat, ſuppeditabit facultas docendi Fidelem Populum ex locis creationis, gubernationis, ac redemptionis. Nam cum Deus creaverit hominem ad imaginem ſuam, nec illam cæteris animantibus impertiverit; ex hoc ſingulari munere, quo hominem ornavit, jure omnium hominum, nec Fidelium modo, ſed etiam Infidelium Pater (a) in Divinis Scripturis appellatur.

a) *Deut.* 32. 6. *Iſa.* 63. 16. *Malac.* 1. & *in novo Teſtamento paſſim.*

3. *Quæ ſit altera ratio, ob quam Deus Pater hominum dicatur.*

Per gubernationem Patrem etiam agit Deus. Matt. 6. 26.

A gubernatione vero ſumere poterit argumentum, quod proſpiciendo, & conſulendo utilitati hominum, præcipuo quodam curæ, & providentiæ modo nobis præſtat patriam charitatem. Sed ut in hujus explicatione argumenti paternam Dei de hominibus curam melius agnoſcat, de cuſtodia Angelorum, in quorum tutela ſunt homines, aliquid dicendum videtur.

4. *Dei Providentia illud negotium Angelis datum eſſe, ut cuſtodiant humanum genus.*

Singulis hominibus datum eſſe Angelum cuſtodem, Scriptura aperte demonſtrat. Gen. 48. 16. *Tob.* 5. 21. *Pſal.* 90. 11. *Matth.* 18. 10. *Act.* 12. 15. *Hebr.* 1. 14.

Eſt enim Dei Providentia datum hoc negotium Angelis, ut cuſtodiant humanum genus, ſinguliſque hominibus præſto ſint, ne gravius aliquod detrimentum accipiant. Nam ut parentes, ſi infeſta, & periculoſa via filiis iter faciendum ſit, cuſtodes adhibent, & pericu-

riculorum adjutores : ſic cœleſtis Parens in hoc itinere, quo ad cœleſtem Patriam contendimus, ſingulis nobis præpoſuit Angelos, quorum ope, ac diligentia tecti, furtim paratos ab hoſtibus laqueos vitaremus, & factos in nos horribiles impetus repelleremus, iiſque ducibus rectum iter teneremus, ne objectus aliquis error a fallaci Adverſario, nos de via poſſet deducere, quæ ducit in Cœlum.

5. *Quibus argumentis clare intelligamus magnitudinem utilitatis, quæ ad homines ex cuſtodia Angelorum redeat.*

Quam vero habeat utilitatem hæc de hominibus Dei cura, ac providentia ſingularis, cujus munus, & adminiſtratio mandata eſt Angelis : quorum inter Deum, & homines media eſt, & interjecta natura, patet exemplis, quorum copiam ſuppeditant Divinæ Literæ, quæ teſtantur ſæpe Dei benignitate factum eſſe, (a) ut, inſpectantibus hominibus, Angeli mirabiles res efficerent, quibus moneremur, innumerabilia ejus generis, quæ ſub oculos non caderent, a cuſtodibus noſtræ ſalutis Angelis effici utiliter, ac ſalubriter (b) Raphael Angelus Tobiæ comes, & dux itineris divinitus adjunctus illum duxit, & reduxit incolumem (c) cui & adjumento fuit, ne ab immani piſce devoraretur; & quanta eſſet in ejus piſcis (d) jecore, felle, & corde vis, demonſtravit: ille (e) Dæmonium expulit, ejuſque impedita, & colligata poteſtate, ne Tobiæ noceret, effecit: ille (f) verum, & legitimum matrimonii jus, & uſum adoleſcentem edocuit:

a) *Gen.* 16. 9. 21. 22. 24. 28. & *ſic ſæpiſſime.*

b) *Tob.* 5. & *per totum librum.*

c) *Tob.* 6. 2. 3.

d) *Ibid.* 8.

e) *Tob.* 8. 3.

f) *Tob.* 6. 17.

a) *Tob.* 11. 8. 15. cuit: ille (a) Tobiæ patri oculis capto lumina restituit.

6. De Angelo, per quem divus Petrus e carcere liberatus est.

b) *Act.* 12. 7. 8. Angelus item ille Principis (b) Apostolorum liberator uberem præbebit materiam ad erudiendum pium gregem de admirabili fructu curæ, custodiæque Angelorum, cum demonstrabunt Parochi Angelum carceris tenebras illustrantem, & Petrum tacto ejus latere ex somno excitantem, solventem catenas, disrumpentem vincula, monentem ut surgeret, seque sumptis caligis, & reliquo vestitu sequeretur: cum docebunt, ab eodem Angelo Petrum per custodias libere eductum e carcere, & aperta denique janua, in tuto collocatum.

Act. 5. 19.

Deus quantumvis effusus nunquam hominum oblivisci tur: quantaque sit illius in nos misericordia, ac providentia, vide Genes. 6. 7. 8. 12. 28. 31. 32. 39. & 45. 5. 6. 7.

Hujus generis exemplorum, quemadmodum diximus, referta est sanctarum Literarum historia, quibus intelligimus, quanta sit vis beneficiorum, quæ confert in homines Deus, Angelis interpretibus, & internunciis, nec solum certa aliqua, & privata de remissis, sed a primo ortu nostræ curæ præpositis, & in singulorum hominum salutis præsidio collocatis. Hanc doctrinæ diligentiam illa utilitas consequetur, ut audientium mentes erigantur, & ad agnoscendam, ac venerandam Dei paternam de se curam, ac providentiam excitentur.

7. Qua præterea ratione agnoscant homines Fideles paternam Dei de hominibus curam.

Exod. 6. & 9. *Num.* 20. 8. 9. 10. *Deut.* 4. 5. & *sæpe.*

Commendabit autem hoc loco Parochus, & in primis prædicabit divitias Benignitatis Dei erga genus humanum; quem cum a primo

mo (a) Parente noſtri generis, & peccati uſque ad hanc diem offenderimus flagitiis, ac ſceleribus innumerabilibus, retinet tamen in nos charitatem, nequ præcipuam illam de nobis curam deponit. Quem ſi quis exiſtimat hominum oblivioſci, amens eſt, & in Deum jacit indigniſſimam contumeliam. Iraſcitur Iſraeli Deus propter ejus gentis blaſphemiam, quæ ſe arbitrabatur cœleſti ope deſertam eſſe. Eſt enim in Exodo : *Tentaverunt Dominum, dicentes, Eſt ne* (b) *Deus in nobis, an non?* & apud Ezechielem ſuccenſet eidem populo Deus, quod dixerat : (c) *Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus Deus terram.* Ergo Fideles his auctoritatibus a nefaria illa opinione deterrendi ſunt, fieri poſſe, ut Deum capiat hominum oblivio. In quam ſententiam audire licet conquerentem de Deo apud Iſaiam Iſraeliticum Populum, contraque Deum ſtultam ejus querimoniam benigna ſimilitudine refellentem. Eſt enim ibi : (d) *Dixit Sion, Dereliquit me Dominus : & Dominus oblitus eſt mei.* Cui Deus, *Nunquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.*

a) *Gen. 3. 6. Conferantur hæc cum 19. ſect. 2. 1. Symboli, & cum ſect. 7. c. 1. Decal.*

b) *Exod. 17. 7.*

c) *Ezech. 8. 12. Vide item Pſ. 93. & Pſ. 13. & 52. integros. Job 22. Eccl. 5. 5.*

d) *Iſa. 49. 14. 15. 16.*

8. Exemplo primi Parentis Dei in nos benignitas demonſtratur.

Quibus locis quanquam id liquido confirmatur, tamen ut penitus Fideli Populo perſuadeatur, nullum poſſe tempus accidere, quo deponat Deus hominum memoriam, quo eis non tribuat patriæ charitatis officia ; Parochi rem clariſſimo primorum hominum exemplo com-

Primorum parentum luculenta exemplo declaratur, Deum nullo unquam tempore hominibus deeſſe. Exemplum iuſta in peccatores indignationis.

comprobabunt. Quos, poſt neglectum, violatumque Dei juſſum, cum acerbius accuſatos, & horribili illa ſententia condemnatos audis: (a) *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ:* (b) cum vides e Paradiſo expulſos: & ut omnis reditus ſpes adimeretur, cum in aditu Paradiſi collocatum legis Cherubim, flammeum tenentem, & verſatilem gladium: cum ab ulciſcente ſuam iujuriam Deo illos intimis, & externis moleſtiis conflictatos intelligis: an non actum de homine putes? an non credas non modo Divino illum auxilio nudatum, ſed etiam cuivis injuſtiæ propoſitum? Verumtamen in tantis Divinæ iræ, & ultionis indiciis, oborta & lux quædam Dei in eos charitatis; (c) *Fecit enim*, inquit, *Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos:* quod maximum fuit argumentum, hominibus nullo unquam tempore defuturum Deum.

a) *Gen.* 3. 17. 18.

b) *Ibid.* 23.

Exemplum divina in homines etiam peccantes Benignitatis.

c) *Gen.* 3. 21.

9. Nullis quantumvis magnis hominum ſceleribus Dei Benignitatem exhauriri poſſe probatur.

Hujus etiam ſententiæ vim, non exhauriri Dei amorem ulla hominum injuria, David expreſſit illis verbis: (d) *Nunquid continebit Deus in ira ſua miſericordias ſuas?* hanc Abacuch Deum affatus, expoſuit, dum inquit: (e) *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis:* hanc ſic Michæas aperuit; (f) *Quis Deus ſimilis tui? qui aufers iniquitatem, & transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ: non immittet ultra furorem ſuum, quoniam volens miſericordiam eſt.* Omnino res ita ſe habet, cum nos maxime perditos,

d) *Pſal.* 76. 10. *Vide item verſus præcedentes, & Tob.* 3. 21.

e) *Abac.* 3. 2.

f) *Mich.* 7. 18.

&

& Dei præsidio spoliatos arbitramur, tum maxime pro immensa sua bonitate nos quærit, & curat Deus. Sustinet enim in ira gladium justitiæ, nec cessat effundere inexhaustos misericordiæ thesauros.

10. Quæ sit tertia ratio, qua patriæ charitatis beneficium in genus humanum Deus cumulate ostendit.

Magnam igitur vim habent ad declarandam præcipuam Dei rationem in amando, tuendoque hominum genere, creatio, & gubernatio. Sed tamen illud opus redimendi hominem sic eminet inter duo superiora, ut beneficentissimus Deus, Parensque noster summam in nos benignitatem (a) tertio hoc beneficio cumulatam illustrarit. Quare tradet spiritualibus filiis Parochus, & assidue eorum auribus inculcabit hanc præstantissimam Dei erga nos charitatem; ut intelligant, se, quia redempti sunt, admirabilem in modum Dei filios evasisse; (b) *Dedit enim*, inquit Joannes, *eis potestatem filios Dei fieri:* &, *Ex Deo nati sunt.* Quamobrem Baptismus, quod primum redemptionis pignus, & monumentum habemus, (c) Sacramentum regenerationis dicitur: inde etiam nascimur Dei filii; nam inquit ipse Dominus: (d) *Quod natum est ex spiritu spiritus est:* &, *Oportet vos nasci denuo.* Item Petrus Apostolus: (e) *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi.*

Tertio per redemptionem Deus est hominum Parens.

a) *Vide Jodu. 3. 10. & 15. Rom. 5. 7. 8. Gal. 4. & 1. Joan. 4. 9. 10.*

b) *Joan. 1. 12. Baptismus redemptionis nostræ est pignus.*

c) *Tit. 3. 5.*

d) *Joan. 3. 6. 7.*

e) *1. Petr. 1. 23.*

11. Singulari Dei beneficio per redemptionem filii Dei effecti sumus.

Hujus pondere redemptionis & Spiritum Sanctum accepimus, & Dei gratia dignati sumus. Quo munere filii Dei adoptamur, quem-

ad-

admodum ad Romanos scripsit Apostolus Paulus: (a) *Non accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* Cujus vim, & efficaciam adoptionis explanat Sanctus Joannes ad hunc modum: (b) *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.*

a) *Rom.* 8. 15. *Gal.* 4. 5. 2. *Tim.* 1. 14.

b) 1. *Joan.* 3. 1.

12. *Quid Christiani, filii Dei jam effecti, post tot accepta paternæ charitatis officia, vicissim Patri præstare debeant.*

Non tantum ex secundis rebus, verum etiam ex calamitatibus immissis metiendam esse Patris cœlestis benignitatem,

His expositis, admonendus est Fidelis Populus, quid ipse vicissim debeat amantissimo Patri Deo; ut intelligat, quem amorem, ac pietatem, quam obedientiam, ac venerationem creatori, gubernatori, ac redemptori præstare, qua spe, ac fiducia illum invocare oporteat. Sed ad erudiendam insciti am, dirigendamque sententiæ perversitatem eorum, si qui tantummodo secundas res, & prosperum vitæ cursum argumento esse existimant, Deum conservare nobis amorem suum, rebus autem adversis, & calamitatibus, cum a Deo exercemur, id esse signum hostilis in nos animi, & prorsus abalienatæ a nobis Divinæ voluntatis; demonstrandum erit, cum (c) tangit nos manus Domini, minime id hostiliter facere Dominum, (d) verum percutiendo sanare, & plagam a Deo venientem esse medicinam. Castigat enim peccantes, ut ea disciplina meliores faciat, & præsenti animadversione redimat ab exitio sempiterno. Nam (e) visitat quidem in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra; misericor-

c) *Job* 19. 21.

d) *Deut.* 32. 39.

Quo fine adhibeatur castigatio.

e) *Psal.* 88. 33. 34.

ricordiam autem ſuam non aufert a nobis. Quare monendi ſunt Fideles, ut in ejuſmodi caſtigatione patriam Dei charitatem agnoſcant, & illud apud patientiſſimum Job in memoria, & in ore habeant: (a) *Ipſe vulnerat, & medetur: percutit, & manus ejus ſanabunt:* ut illud uſurpent, quod ſub perſona Iſraelitici populi ſcripſit Hieremias: (b) *Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus: converte me, & convertar, quia tu Dominus Deus meus:* ut Tobiæ exemplum ſibi proponant, qui cum in illa plaga cæcitatis paternam Dei manum cædentem ſenſiſſet, clamavit: (c) *Benedico te Domine Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me, & tu ſalvaſti me.*

a) *Job* 5. 18.

b) *Hier.* 31. 18.

c) *Tob.* 11. 17. 5. 6. 7. 8. 11. 12. 1. *Reg.* 2. 6. *Job* 13. 15. *Sap.* 16. 13.

13. *Deum nunquam noſtri oblitum eſſe, Fidelibus inculcandum.*

In quo maxime cavendum eſt Fidelibus, ne, etiam ſi quovis incommodo affecti, quavis calamitate afflicti ſint, Deum id ignorare exiſtiment: ait enim ipſe: (d) *Capillus de capite veſtro non peribit.* Imo vero ſe ipſi illo Divini Oraculi ſolatio conſolentur, quo in Apocalypſi dictum eſt: (e) *Ego, quos amo, arguo, & caſtigo:* Conquieſcant in Apoſtoli cohortatione ad Hebræos: (f) *Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quod ſi extra diſciplinam eſtis, adulterini eſtis, & non filii. Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: num multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus?*

Deus, clare omnium afflictiones intuetur.

d) *Luc.* 21. 18.

e) *Apoc.* 3. 19. *Prov.* 3. 11.

f) *Hebr.* 12. 5. 6. 7. 8.

No-

Noſter.

14. Cur Deum pluralitatis vocabulo noſtrum Patrem hic appellare jubeamur.

Chriſtiani proprie Deum ſuum Patrem appellant noſtrum: primum ut donum adoptionis, quæ beneficio Chriſti Fidelibus contigit, ab omnibus agnoſcatur.

Cum Patrem invocamus ſinguli, & Noſtrum appellamus, docemur, ex dono, ac jure Divinæ adoptionis conſequi neceſſario, ut fratres ſint Fideles omnes, & inter ſe fraterne amare debeant. (a) *Omnes enim*, inquit, *vos fratres eſtis: unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt.* Quare etiam in epiſtolis Fideles omnes (b) Apoſtoli fratres appellant. Ex quo item conficitur illa conſecutio neceſſaria, ut eadem adoptione Dei non ſolum inter ſe Fideles univerſi fraterna neceſſitudine conjungantur, ſed quia homo eſt unigenitus Dei Filius, fratres etiam ejus nominentur, & ſint. Nam in epiſtola ad Hebræos, cum de Filio Dei loqueretur, ſcripſit Apoſtolus: (c) *Non confunditur fratres eos vocare, dicens:* (d) *Nunciabo nomen tuum fratribus meis*; quod tanto ante David de Chriſto Domino prædixerat. Ipſe vero etiam Chriſtus ſic apud Evangeliſtam loquitur ad mulieres: (e) *Ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Quod tum ab eo dictum eſſe conſtat, cum jam excitatus a mortuis immortalitatem eſſet conſecutus; ne quis exiſtimet, fraternam hanc cognationem ejus reſurrectione, & in cœlum aſcenſu diſſolutam eſſe. Tantum enim abeſt, ut hanc conjunctionem, & charitatem Chriſti reſurrectio diremerit, (f) ut ex illa majeſtatis, & gloriæ ſede, tum, cum de omnibus omnis memoriæ hominibus judicabit, (g) Fidelium minimos ab eo fratrum nomine appellandos acceperimus.

a) *Matth.* 23. 8. 9.

b) *Rom.* 1. 13. 10. & 12. 1.

Chriſtum Chriſtiani propter humanitatem fratrem habent.

c) *Hebr.* 2. 11.

d) *Pſal.* 21. 23.

e) *Matth.* 28. 10.

Sic Joan. 20. *Fraterna cum Chriſto cognatio eius reſurrectione non eſt diſſoluta.*

f) *Matth.* 25. 30.

g) *Ibid.* 40.

15.

15. Qua ratione inter Chriſti fratres Fideles cenſeantur.

Qui autem fieri poteſt, ut Chriſti fratres non ſimus, cujus (a) cohæredes dicimur? Eſt enim (b) primogenitus ipſe, (c) conſtitutus hæres univerſorum; nos vero ſecundo loco geniti, cohæredes ejus pro modo cœleſtium donorum, pro ratione charitatis, qua præbuerimus nos miniſtros, & (d) coadjutores Spiritus Sancti, quo auctore ad virtutem, ſalutareſque actiones impellimur, & incendimur, ut ejus freti gratia in certamen ſalutis fortiter deſcendamus, quo ſapienter, conſtanterque confecto, (e) decurſoque hujus vitæ ſpatio, juſtum coronæ præmium capimus a cœleſti parente, omnibus, qui eundem curſum tenuerint, conſtitutum, (f) *Non enim*, ut ait Apoſtolus, *injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis noſtri, & dilectionis.*

Quomodo Chriſtiani ſint Chriſti cohæredes.

a) *Rom.* 8. 17
b) *Col.* 1. 18.
c) *Hebr.* 1. 2.

d) 1. *Cor.* 3. 9. *Græc. habent* συνεργοι, *id eſt, cooperatores.*

e) 1. *Cor.* 9. 16.

f) *Hebr.* 6. 10.

16. Quomodo alii orare, & omnes invicem fratres æſtimare debeamus.

Quam vero hanc ex animo vocem *Noſter* proferre debeamus, S. Chryſoſtomi ſententia declaratur: qui Deum inquit libenter Chriſtianum audire, non ſolum pro ſe, ſed pro altero deprecantem; quod per ſe orare naturæ eſt, pro altero gratiæ; pro ſe neceſſitas cogit, pro altero fraterna charitas hortatur. Quibus illa ſubjunxit: *Jucundior eſt Deo illa Oratio, quam fraterna charitas commendat, quam ea, quam neceſſitas rei pronunciat.* In hac tanta materia ſalutaris Orationis monere, & hortari debet Parochus omnes, cujuſcunque ætatis, generis, ordinis, ut communis hujus fraternæ neceſſitudinis memores comiter, & fraterne ſe

gerant, neque aliis alii se præferant insolentius. Nam etsi in Ecclesia Dei diversi sunt officiorum gradus; tamen illa varietas graduum, & munerum fraternæ necessitudinis conjunctionem minime tollit: (a) quemadmodum in hominis corpore varius usus, & functio diversa membrorum nihil agit, quamobrem hæc, vel illa corporis pars membri munus, & nomen amittat.

a) *Rom.* 12. 4. 1. *Cor.* 12. 12. *Ephes.* 4. 7.

17. *Quibus de causis Christiani sint tanta necessitudinis conjunctione copulati.*

Deus unus, & idem est divitum, & inopum Conditor. Sap. 6. & 7. 8. *Malach.* 2. 10. *Nobilitas spiritualis omnium Christianorum una est.*

Propone tibi eum, qui regia sit potestate; an is igitur, si Fidelis est, frater non est omnium, qui Christianæ Fidei communione continentur? Maxime: quid ita? quia non est Deus alius is, ex quo divites, & reges nati sunt, ab eo, a quo pauperes, qui in regum potestate sunt, extiterunt; sed unus Deus, & parens, & Dominus omnium. Itaque una est spiritualis ortus omnium nobilitas, una dignitas, unus splendor generis; cum omnes (b) ex eodem Spiritu, ex eodem Fidei Sacramento nati simus filii Dei, & ejusmodi hæreditatis cohæredes. Nec vero alium Christum Deum habent copiosi, & potentes homines, alium tenuiores, & infimi: non aliis Sacramentis sunt initiati, nec aliam hæreditatem Regni cœlestis expectant. Fratres sumus omnes, &, ut inquit Apostolus ad Ephesios, (c) *membra sumus corporis Christi, de carne ejus, & de ossibus ejus.* Quod item in Epistola ad Galatas significat Apostolus: (d) *Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Jesu: quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus, neque Græcus, non est servus,*

b) *Joan.* 3. 5. *Rom.* 6. 3. *Col.* 2. 38.

c) *Eph.* 5. 30.

d) *Gal.* 3. 26. *Vide item Joan.* 17. 2. *Act.* 4. 32. 1. *Cor.* 10. 17. *Col.* 3. 11.

ous, neque liber, non masculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Hæc autem accurate versanda res est Pastoribus animarum, & scienter illis in hac sententia commemorandum. Est enim accommodatus locus non minus ad confirmandos, & excitandos inopes, & abjectos homines, quam ad coercendam, comprimendamque arrogantiam locupletum, atque potentium. Cui hominum incommodo uti mederetur, urgebat Apostolus fraternam hanc charitatem, & inculcabat Fidelium auribus. *Locis supra citatis, & alibi passim.*

18. Quid Christianus, ubi exordium Precationis illud, Pater noster, *pronunciabit, meditari debeat.*

Cum igitur has Deo Preces facturus es, Christiane, memineris, te tanquam filium ad Patrem Deum accedere. Itaque cum Precationem orditis, & illud, *Pater noster*, pronuncias, cogita, quem in locum te summa Dei benignitas extulerit, qui non ut servum ad Dominum adire, invitum, ac timidum, sed ut ad patrem filium, voluntarium, securumque confugere jusserit. Qua in memoria, & cogitatione, quo viciſſim studio, & pietate tibi orandum sit, considera. Danda enim tibi est opera, te ut talem præbeas, qualem esse decet Dei filium; id est, ut oratio, & actiones tuæ indignæ non sint (a) Divino genere, quo te dignari voluit beneficentissimus Deus. Ad hanc officii rationem cohortatur nos Apostolus, cum ait; (b) *Estote ergo imitatores Dei sicut filii charissimi:* ut vere de nobis dici possit, quod ipse Apostolus scripsit ad Thessalonicenses: (c) *Omnes vos filii lucis estis, & filii diei.*

a) *Act.* 17. 28.

b) *Eph.* 5. 1.

c) 1. *Thess.* 5. 5.

Qui es in Cœlis.

19. Cum Deus sit ubique præsens, quomodo domicilium suum peculiariter in Cœlo habere dicatur.

Deus est totus ubique, & totus in singulis mundi partibus. Ambr. lib. 1. de Spiritu Sanct. cap. 7. Dam. l. 1. c. 16. Scot. 2. dist. 2. q. 5. & 4. dist. 10. q. 2.

Constat inter omnes, qui recte de Deo sentiunt, ubique locorum & gentium esse Deum. Quod non ita intelligendum est, quasi ipse distributus in partes una parte locum unum, alia alium occupet, ac tueatur; nam Deus spiritus est omnis expers divisionis. Quis enim audeat Deum, tanquam in vestigio positum, loci alicujus finis circumscribere, cum ipse de se dicat: (a) *Nunquid non Cœlum, & terram ego impleo?* Quod rursum sic accipiendum est, Deum Cœlum, ac terram, quæque Cœlo, ac terra comprehensa sunt, vi sua, ac virtute complecti, non autem ipsum illo loco contineri. Adest enim omnibus rebus Deus, vel creans ipsas, vel conservans creatas, nulla regione, nullis finibus vel circumscriptus, vel ita definitus, quominus & naturam, & potestatem suam præsens ubique constituat. Quod beatus David expressit illis verbis: (b) *Si ascendero in Cœlum, tu illic es.* Verum etsi præsens adsit Deus in locis, & rebus omnibus, nullis, ut diximus, terminis definitus; tamen in divinis Scripturis sæpe dicitur habere domicilium suum in Cœlo. Quod ideo factum videmus, quod Cœli, quos suspicimus, sunt nobilissima mundi pars, iidemque manent incorrupti, præstantes vi, magnitudine, ac pulchritudine cæteris corporibus, certisque, ac stabilibus motibus præditi. Ergo, ut excitaret hominum animos Deus ad contemplandam infinitam suam potestatem, ac

a) *Jerem. 23. 24. Deus est in rebus omnibus. Act. 17. 28. Greg. in Ezech. homil. 8. D. Thom. 1. p. q. 8. art. 1.*

b) *Ps. 138. 8. Amos 9. 2. Deus in divinis Scripturis in Cœlo sape esse dicitur, ut Ps. 2. 10. 113. & alibi frequenter.*

Deus in Cœlo esse dicitur, quia illud ubertoris ipsius operatio-

Maje-

Majeſtatem, quæ maxime elucet in opere Cœlorum, ſe in Divinis Scripturis habitare dicit in Cœlis : ſæpe etiam, quod res eſt, declarat, nullam eſſe mundi partem, quæ non præſenti Dei natura, & poteſtate comprehenſa ſit.

nis, & gratiæ eſt particeps. Dam. l. 1. de fide orthod. cap. 16. Greg. Naz. orat. 34. quæ eſt 2. de Theol.

20 *Quid Fidelibus meditandum exhibeat illa particula*, Qui es in Cœlis.

Quamquam in hac cogitatione cœleſtis domicilii Divinæ Majeſtatis Fideles non ſolum communis omnium Parentis imaginem ſibi proponent, ſed etiam in Cœlo regnantis Dei ; ut oraturi meminerint, mentem, animumque referendum eſſe ad Cœlum : quantumque ſpei, ac fiduciæ affert eis Patris nomen, tantum Chriſtianæ humilitatis, ac pietatis adjungat præſtans illa natura, ac Divina Majeſtas Patris noſtri, *Qui es in Cœlis.* Quæ verba præfiniunt etiam orantibus, quid petendum ſit: omnis enim poſtulatio noſtra, quæ ad hujus vitæ uſum ac neceſſitatem pertineat, niſi cum Cœleſtibus ſit conjuncta bonis, & ad illum finem dirigatur, inanis eſt, & indigna Chriſtiano. Quare monebunt pios auditores Parochi de ratione precationis, & admonitionem illa Apoſtol. auctoritate comprobabunt : (a) *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens ; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.*

A Patre Cœleſti cœleſtia dunta-xat bona, aut quæ his coniuncta ſunt exoptanda.

a) *Coloſ. 3. 2.*

DE PRIMA PETITIONE.

CAPUT X.

Sanctificetur Nomen tuum.

1. Cur a Nominis Divini ſanctificatione noſtra deſiderio exordiamur.

Petitionum ordo ſequi debet ordinem rerum expetendarum. D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 9c

Quid a Deo petendum, quove ordine id agendum ſit, Magiſter ipſe, ac Dominus omnium docuit, & imperavit. Nam cum ſtudii, & deſiderii noſtri nuncia ſit, & interpres Oratio, tum recte, & ratione petimus, cum poſtulationum ordo ſequitur ordinem rerum expetendarum. Monet autem nos vera charitas, totum ut animum, ac ſtudium conferamus in Deum: qui, quoniam ſolus eſt in ſeipſo ſummum bonum, jure eſt præcipuo quodam, ac ſingulari amore diligendus. Nec vero ex animo, & unice poteſt amari Deus, niſi rebus omnibus, ac naturis ejus honor, & gloria præponatur. Bona enim & noſtra, & aliena, & omnino omnia, quæcunque boni vocabulo nominantur, ab illo profecta ſummo ipſi bono cedunt. Quare, ut ordine procederet Oratio, Salvator Petitionem hanc de ſummo bono principem, & caput conſtituit Petitionum reliquarum, docens nos, prius quam ea, quæ nobis, aut proximo cuique opus ſint, poſtulemus, quæ propria ſint Dei gloriæ, petere debere, ipſique Deo ſtudium, & Deſiderium

rium ejus rei noſtrum exponere. Quo facto manebimus in officio charitatis, qua docemur, & plus Deum, quam nos ipſos diligere, & primum petere, quæ Deo cupiamus, deinde quæ nobis optemus.

2. *Cum divina natura nulla re augeri, aut carere poſſit, cur neceſſe fuerit ſanctificationem Nominis Dei hic poſtulare.*

Et quoniam deſiderium, & petitio ſunt earum rerum, quibus caremus, (nec vero Deo, id eſt ejus naturæ, fieri acceſſio poteſt, aut augeri ulla re divina ſubſtantia, quæ inexplicabilem in modum eſt omni perfectione cumulata) intelligendum eſt, extra hæc eſſe, quæ a Deo ipſi Deo petimus, & ad externam ejus gloriam pertinere. Cupimus enim, & petimus, ut Dei Nomen notius ſit gentibus, ut ejus regnum amplificetur; ut plures quotidie obediant Divino Numini; quæ tria, Nomen, Regnum, Obedientia, non in illo ipſo ſunt intimo Dei bono, ſed aſſumuntur extrinſecus.

Nihil petimus Deo intrinſecus accedere, quod ante non habuerit, ſed exterius aliquid fieri, quo eius gloria innoteſcat ad hominum utilitatem optamus.

3. *Verba illa*, Sicut in Cœlo, & in Terra, *ad tres primas Petitiones referri poſſe, & quomodo hic intelligantur.*

Verum, ut hæ petitiones quam vim habeant, & quid valeant, planius intelligatur, Paſtoris erunt partes, monere Fidelem Populum, verba illa, *Sicut in Cœlo, & in Terra:* ad ſingulas referri poſſe primarum trium Poſtulationum: ut *Sanctificetur Nomen tuum, ſicut in Cœlo, & in Terra:* item: *Adveniat Regnum tuum, ſicut in Cœlo, & in Terra:* ſimiliter, *Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in Terra.* Cum autem petimus, ut ſanctificetur Nomen Dei, id ſentimus, ut au-

Quid ſibi velit prima Petitio.

geatur Sanctitas, & Gloria Divini Nominis. Quo loco Parochus animadvertet, ac docebit pios auditores, non id dicere Salvatorem, ut eodem modo ſanctificetur in Terra, quo & in Cœlo, id eſt, ut amplitudine Terreſtris ſanctificatio Cœleſtem exæquet (hoc enim fieri nullo pacto poteſt) ſed ut ex charitate, & intimo animi ſtudio id agatur.

4. Quomodo Dei Nomen per ſe ſanctum ſanctificari a nobis poſſit.

Etſi veriſſimum illud eſt, ſicuti eſt, Divinum Nomen per ſe ſanctificatione non egere; cum (a) Sanctum, & terribile ſit, quemadmodum ipſe Deus ſuapte natura (b) Sanctus eſt; neque ei ulla ſanctitas, qua ab omni æternitate præditus non fuerit, poſſit accedere: tamen, quod in Terris longe minori honore afficitur, quam par eſt, nonnunquam etiam maledictis, & nefariis vocibus violatur; propterea cupimus, ac petimus, ut laudibus, honore, gloria celebretur, ad exemplum laudum, honoris, & gloriæ, quæ illi in Cœlo tribuuntur: id eſt, ſic honor, & cultus in mente, in animo, in ore verſetur, ut omni veneratione & intima, & externa proſequamur, omnique celeritate excelſum, purum, & glorioſum Deum ad imitationem ſupernorum, ac Cœleſtium Civium complectamur. Ut enim Cœlites ſumma conſenſione, gloria, & prædicatione efferunt Deum: ſic precamur, ut idem contingat orbi terrarum, ut omnes gentes Deum cognoſcant, colant, & venerentur; ut nulli plane mortales reperiantur, qui non & ſuſcipiant Chriſtianam Religionem, & ſe totos Deo dicantes credant, ex eo omnem ſanctitatis

a) *Pſ.* 110. 9. 137. 2.
b) *Lev.* 11. 44. & 19. & 20. 7. 1. *Petr.* 1. 16. *Joſue* 24. 19. 1. *Reg.* 2. 2.

Beati omnes Deum perpetuo laudant. Pſal. 83. 5. *Apoc.* 4. 8.

tatis fontem exiſtere, neque quicquam eſſe purum, aut ſanctum, quod non a ſanctitate Divini Nominis oriatur.

5. Quomodo fieri poſſit, ut Dei Nomen in Infidelibus Sanctum eſſe poſſit.

Teſtatur enim Apoſtolus (a) mundatam eſſe Eccleſiam in lavacro aquæ, in verbo vitæ: ſignificat autem *Verbum vitæ* (b) Nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in quo baptizamur, & ſanctificamur. Itaque, quoniam nulla cujuſquam expiatio, nulla munditia, & integritas eſſe poteſt, ſuper quo non ſit invocatum Divinum Nomen, cupimus, & petimus a Deo, ut omne hominum genus, relictis impuræ Infidelitatis tenebris, ac radiis Divini Luminis illuſtratum, hujus vim Nominis agnoſcat ſic, ut in eo veram quærat ſanctitatem; & in Nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis Baptiſmi Sacramentum ſuſcipiens, ipſius Dei dextera, perfectam vim ſanctitatis conſequatur.

a) *Eph.* 5. 26.

b) *Matt.* 28. 29 *Secundo ſpeciatim petitur, ut Infideles per fidem, & fid. Sacramenta Deo ſe adiungant.*

6. Qua ratione Dei Nomen in peccatoribus ſanctificari poſſit.

Pertinet vero optatum, & Poſtulatio noſtra non minus etiam ad eos, qui flagitiis, & ſceleribus contaminati, puram Baptiſmi integritatem, & (c) Innocentiæ ſtolam amiſerunt: qua re factum eſt, ut in illis miſerrimis ſuam iterum ſedem impuriſſimus ſpiritus collocarit. Optamus igitur, & precamur a Deo, ut in ipſis etiam ſanctificetur Nomen ejus: (d) ut ad cor, & ad ſanitatem redeuntes, Sacramento Pœnitentiæ redimant priſtinam Sanctitatem, ſeque ipſos purum, ac ſanctum Deo Templum, ac domicilium præbeant.

Tertio petitur, ut Chriſtiani in vitia relapſi reſipiſcant.

c) *Matth.* 22. 12.

d) *Iſa.* 46. 8.

7. Quomodo omnes homines in se sanctificare Dei Nomen poterunt.

Quarto petitur, ut gratia sua lumine corda tenebricosa perfundat.

Oramus denique, lumen ut suum Deus præferat omnium mentibus, quo videre possint, (a) *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, descendens a Patre luminum,* ad nos divinitus esse delatum: quo temperantiam, justitiam, vitam, salutem, omnia denique animi, corporis, externa, vitalia, ac salutaria bona illi accepta referant, a quo, quemadmodum prædicat Ecclesia, bona cuncta procedunt. Nam si quid luce sua sol, si quid reliqua sidera motu, & cursu prosunt hominum generi, si circumfuso hoc alimur spiritu, si terra frugum, & fructuum ubertate vitam sustinet omnium, si opera magistratuum quiete, ac tranquilitate fruimur; & hæc, & hujus generis bona innumerabilia nobis suppeditat immensa Dei benignitas. Quin etiam, Philosophi secundas Causas appellant, interpretari debemus mirabiliter effectas quasdam, ad usum nostrum accommodatas Dei manus, quibus nobis sua bona distribuit, ac longe, lateque diffundit.

a) *Jacob.* 1. 17. *Omnia bona tum animi, tum externa Deo referri debent accepta.*

In Oratione Dominicæ V. post Pascha.

8. Quomodo maxime per agnitionem, & venerationem Ecclesiæ Catholicæ Dei Nomen sanctificetur.

Quinto optatur, ut Catholica Ecclesia ab omnibus agnoscatur.

Quod autem maxime rem continet in hac Petitione, illud est, ut omnes agnoscant, ac venerentur sanctissimam Jesu Christi Sponsam, & Parentem nostram Ecclesiam: in qua una est (b) fons ille amplissimus, atque perpetuus ad eluendas, & expiandas omnes peccatorum sordes, unde hauriuntur universa salutis, & sanctificationis Sacramenta; quibus quasi Cœlestibus quibusdam fistulis in nos a Deo ille sancti-

b) *Zach.* 13. 1. *Ezech.* 36. 25. *Ecclesiæ prærogativa. Ad solam Ecclesiam pertinet Divini Nominis imploratio.*

ſanctitatis ros, & liquor effunditur: ad quam ſolam, & ad eos, quos ſuo ſinu, & gremio complexa eſt, pertinet Divini illius imploratio Nominis, (a) *quod unum ſub Cœlo datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

a) *Act.* 4. 12.

9. *Qua ratione Nomen Dei a Chriſtianis hodie polluatur.*

Verum Parochi maxime hunc locum urgere debebunt, boni eſſe filii, non ſolum Patrem Deum orare verbis, ſed re etiam, & actione conari, ut eluceat in ipſo ſanctificatio Divini Nominis. Utinam non eſſent, qui, cum oratione hanc Dei Nominis ſanctificationem aſſidue poſtulent, factis, quantum in ipſis eſt, illud violant, atque contaminant, quorum culpa interdum ipſi etiam Deo maledicitur. In quos dictum eſt ab Apoſtolo: (b) *Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes:* & apud Ezechielem legimus: (c) *Ingreſſi ſunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt Nomen ſanctum meum: cum diceretur de eis, populus Domini iſte eſt, & de terra ejus egreſſi ſunt.* Qualis enim eſt vita, & ut ſunt eorum mores, qui religionem profitentur, ſic de Religione ipſa, deque ejus auctore Religionis multitudo imperita judicare ſolet. Quare qui vivunt ex Chriſtiana Religione, quam ſuſceperunt, & ad ejus regulam orationem, & actiones dirigunt ſuas, magnam facultatem præbent aliis laudandi Nomen Cœleſtis Parentis, & omni honore, & gloria celebrandi. Nobis enim ipſe has partes impoſuit Dominus, ut illuſtribus virtutis actionibus excitemus homines ad laudem, & prædicationem Divini Nominis. Ad quos loquitur in hunc modum apud

b) *Rom.* 2. 2. 4.

c) *Ezech.* 36. 20. *Iſa.* 52. 5. *Tit.* 1. 10.

Quomodo ex Fidelium ſanctitate populi ad laudandum Deum excitentur, vide Deut. 4. 5. 6. 7. *Virtutibus ſunt excitandi homines ad Dei Nominis ſanctificationem.*

Evan-

a) *Matt.* 5. 17. *Marc.* 4. 21. *Luc.* 7. 16. Evangeliſtam (a) *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt,* & Princeps Apoſtolorum: (b) *Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, ut ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum.*

b) 1. *Petr.* 2. 12. & 3. 16. 17.

DE SECUNDA PETITIONE.

CAPUT XI.

Adveniat Regnum tuum.

1. Regni Dei prædicatio in Scripturis quam ſæpe commendata.

Coniunctum eſt huius Petitionis argumentum cum ultimo Symboli articulo.

Regnum Cœleſte, quod altera hac Petitione poſtulamus, ejuſmodi eſt, ut eo referatur, ac terminetur omnis Evangelii prædicatio. Nam & inde exorſus eſt ad Pœnitentiam hortari ſanctus Joannes Baptiſta, dum, (c) *Pœnitentiam*, inquit: *agite: appropinquavit enim Regnum Cœlorum:* Nec aliunde fecit initium ſuæ prædicationis (d) Salvator humani generis: & in illo ſalutari ſermone, (e) quo beatitudinis vias Diſcipulis in monte monſtravit, tanquam propoſito orationis argumento principium duxit a Regno Cœlorum; nam (f) *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.* Quin etiam eum retinere cupientibus attulit illam cauſam neceſſariæ profectionis: (g) *Et aliis civitatibus oportet me evangelizare Regnum Dei,*

c) *Matt.* 3. 2. *Marc.* 1. 4. *Luc.* 3. 3.

d) *Matt.* 4. 17. *Marc.* 1. 15.

e) *Matt.* 5. & 6. 7. *per totum.*

f) *Matt.* 5. *Luc.* 6. 20.

g) *Levit.* 4. 45.

Dei, quia ideo miſſus ſum. Hoc idem (a) poſtea Regnum prædicare juſſit Apoſtolos : & illi, qui ſe ire ad ſepeliendum patrem ſuum velle dixerat, reſpondit : (b) *Tu vade, annuncia Regnum Dei.* Cum vero reſurrexiſſet a mortuis, per illos quadraginta dies, quibus apparuit Apoſtolis, (c) loquebatur de Regno Dei. Quare Parochi hunc ſecundæ poſtulationis locum diligentiſſime tractabunt, ut fideles auditores, quanta ſit in hac Petitione vis, ac neceſſitas, intelligant.

a) *Matt.* 10. 7.

b) *Luc.* 9. 60.

c) *Act.* 1. 3.

2. Quid hæc ſecunda Petitio comprehendat.

Primum autem ipſis ad rem ſcienter, ſubtiliterque explicandam magnam facultatem dabit ea cogitatio, quod, etſi hæc Petitio conjuncta ſit cum reliquis omnibus, eam tamen ſeparatim etiam adhiberi juſſerit a cæteris, ut quod petimus, ſummo ſtudio quæramus. Inquit enim : (d) *Quærite primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Et quidem tanta vis, & copia Cœleſtium munerum hac Poſtulatione continetur, ut omnia complectatur, quæ ad corpoream, & ſpiritualem vitam tuendam ſint neceſſaria. Quem autem Regio nomine dignum dicemus, cui ea curæ non ſint, quæ Regni ſalutem contineant? Quod ſi ſunt homines de regni ſui incolumitate ſolliciti, quanta Regem Regum omnium cura, & providentia tueri credendum eſt & vitam, & ſalutem hominum? Hac igitur Regni Dei Petitione comprehenſa ſunt omnia, quibuſcunque in hac peregrinatione, vel exilio potius indigemus : quæ conceſſurum ſe Deus benigne pollicetur ; nam ſtatim illa ſubjunxit : (e) *Et hæc*

d) *Matt.* 6. 33.

Quomodo omnia, quæ ad ſpiritualem, & corporalem vitam pertinent, Deus ſub regno provideat, declarat ſub parabola vineæ, Iſa. 5. 1. 2. *Hierem.* 2. 2 *Matth.* 21. 33.

e) *Matt.* 6. 33.

omnia

Deus Rex eſt ditiſſimus, valens omnia neceſſaria nobis præſtare.

omnia adjicientur vobis. Quibus omnino declaravit, ſe eum eſſe Regem, qui generi hominum copioſe omnia, largeque ſuppeditat: in cujus infinitæ benignitatis cogitatione infixus David

a) *Pſal. 22. 1.* cecinit: (a) *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.*

3. Quid his faciendum ſit, qui hujus Petitionis fructum conſequi cupiunt.

Quomodo petendum Dei regnum.

Verum minime ſatis eſt, vehementer petere Dei Regnum, niſi ad Petitionem noſtram adhibeamus omnia, tanquam inſtrumenta, quibus illud quæritur, & invenitur. Nam & quinque fatuæ virgines ſtudioſe illæ quidem petierunt

b) *Matt. 25. 11.* ad hunc modum: (b) *Domine, Domine aperi nobis:* verumtamen, quod illius poſtulationis præſidia non haberent, excluſæ ſunt. Nec injuria; eſt enim illa Dei ore pronunciata ſententia:

c) *Matt. 7. 21.* (c) *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum.*

4. Quibus rationibus Regni Dei deſiderium hominibus ſit excitandum.

Quam calamitoſa ſit præſentis vitæ conditio.

Quamobrem haurient animarum curatores, Sacerdotes ex uberrimis Divinarum Literarum fontibus ea, quæ Fidelibus deſiderium, ſtudiumque commoveant Regni Cœlorum; quæ calamitoſam ſtatus noſtri conditionem illis ob oculos ponant; quæ ſic eos afficiant, ut reſpicientes, & colligentes ſe, in memoriam redeant ſummæ beatitudinis, & inexplicabilium bonorum, quibus redundat æterna Parentis Dei domus: (d) Exules enim ſumus, & plane ejus loci incolæ, (e) in quo habitant Dæmones, quorum odium in nos nulla ratione mitigari poteſt: nam ſunt infeſtiſſimi, & implacabiles in genus humanum. Quid domeſtica, (f) inteſtinaque

d) *Omnes Patres ſe exules, hoſpites, & peregrini eſſe confeſſi ſunt.*

e) *Heb. 11. 13. Dæmones ſic in terris agere indicat Paulus Eph. 6. 12.*

f) *Pralia car-*

præ-

prælia, quæ inter se corpus, & anima, caro, & spiritus assidue gerunt? quibus perpetuo timendum est, ne concidamus: timendum autem? imo vero statim concideremus, nisi propugnaculo Divinæ dexteræ defenderemur. Quam vim miseriarum cum sentiret Apostolus, (a) *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

5. Quanta sit hominis miseria, per aliarum rerum cum homine collationem demonstratur.

Hæc infelicitas nostri generis quamquam per se cognoscitur, tamen ex contentione reliquarum naturarum, & creatarum rerum facilius intelligi potest. In illis, sive rationis, sive etiam sensus expertibus, raro fieri videmus, ut aliqua natura a propriis actionibus a sensu, vel motu insito declinet sic, ut a proposito, & constituto fine deflectat. Hoc apparet in bestiis agrestibus, natantibus, volucribus, ut res declaratione non egeat. Quod si Cœlum suspexeris, nonne verissimum id esse intelligis, quod a Davide dictum est: (b) *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in Cœlo?* Nempe illud continenti motu, & perpetua conversione fertur, ut ne minimum quidem a præfinita divinitus lege discedat. Si Terram, & reliquam universitatem consideres, facile videas, aut nulla, aut exigua ex parte deficere. At miserrimum hominum genus sæpissime labitur; raro, quæ recte sunt cogitata, persequitur; plerumque susceptas bonas actiones abjicit, atque contemnit; quæ modo placuerat optima sententia, subito displicet, & illa rejecta, ad turpia consilia, sibique perniciosa dilabitur.

6. Quæ

nis, & spiritus Matt. 26. 41. Rom. 7. 18. Gal. 5. 17.

a) *Rom. 7. 24. Omnes res creatæ insitam sibi a Deo vim retinent Psa. 143. 6. 7. Omnia ad nutum Deo serviunt præter hominem. Psal. 118. 89. Gen. 3. 19. Rom. 14. 14. Parad. 29. 15. Psal. 38. 6.*

b) *Psal. 118. 89. Sap. 6. 2. 5. Eccl. 1. 15 18. Isa. c. 40. 6. & alibi.*

6. Quæ sit omnium miseriarum causa potissima.

a) *Prov.* 24. *Isa.* 65. & 66. 4. *Hier.* 7. & 55.

Quænam igitur est hujus inconstantiæ, miseriæque causa? contemptio plane divini afflatus. (a) Claudimus enim aures Dei monitis: oculos tollere nolumus ad ea, quæ nobis lumina divinitus præferuntur, nec Cœlestem Patrem salutariter præcipientem audimus. Quare huc incumbendum erit Parochis, ut & miserias oculis subjiciant Fidelis Populi: & commemorent causas miseriarum, & remediorum vim ostendant, quorum omnium illis facultas non deerit, comparata ex sanctissimis viris, Joanne Chrysostomo, & Augustino, maxime vero iis, quæ in Symboli expositione posuimus. Nam, illis cognitis, quis erit e facinorosorum hominum numero, quin adjumento Dei gratiæ præeuntis, Evangelico illo (b) Prodigi filii exemplo conetur exurgere, & erigere se, atque in Cœlestis Regis, Patrisque conspectum venire?

Chrysost. hom. 62. *ad populum Antioch.* *D. Aug. lib.* 10. *Conf. cap.* 28.

b) *Luc.* 15. 18. 19.

7. Quidnam Dei Regnum in sacris Literis designet.

His explicatis, quæ sit Fidelium fructuosa petitio, aperient, quid sit, quod his verbis a Deo postulemus: præsertim cum vocabulum Regni Dei multa significet: quorum declaratio & ad reliquam Scripturæ intelligentiam non erit inutilis, & est ad hujus loci cognitionem necessaria.

Dei Regnum primo generalem in res universas potestatem, & providentiæ curam significat.

Communis igitur quædam Regni Dei significatio, quæ frequens est in Divinis Literis, est non solum ejus Potestatis, quam habet in omnem hominem, rerumque universitatem, sed etiam Providentiæ, qua cuncta regit, & moderatur. (c) *In manu enim ejus*, inquit Pro-

c) *Psal.* 94. 4.

phe-

pheta, *ſunt omnes fines terræ.* Quibus finibus etiam intelliguntur, quæ occulta ſunt, & abdita in intimis terræ, ac rerum omnium partibus. In hanc ſententiam Mardochæus loquebatur illis verbis: (a) *Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati: Deus univerſorum tu es: nec eſt, qui reſiſtat Majeſtati tuæ.* a) *Eſth.c.*18.9.

2. Chriſti Regnum in pios quale.

Item Dei Regno declaratur præcipua illa, ac ſingularis Providentiæ ratio, qua Deus pios, & ſanctos homines tuetur, & curat. De qua propria, & eximia quadam Dei cura dictum eſt illud a Davide: (b) *Dominus regit me, & nihil mihi deerit:* tum ab Iſaia: (c) *Dominus rex noſter ipſe ſalvabit nos.* In qua Dei Regia Poteſtate etſi præcipua ratione ſunt in hac vita ii, quos diximus, ſancti ac pii homines; tamen monuit Pilatum ipſe Chriſtus Dominus, Regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo, hoc eſt, minime ex hoc mundo, qui & conditus eſt, & interiturus, ortum habere. Nam eo, quem diximus, modo dominantur Imperatores, Reges, Reſpublicæ, Duces, omneſque ii, qui vel expetiti, ac delecti ab hominibus præſunt civitatibus, atque provinciis, vel per vim, & injuriam Dominatum occupaverunt: Chriſtus autem Dominus (d) conſtitutus eſt Rex a Deo, ut ait Propheta, cujus Regnum ex Apoſtoli ſententia, juſtitia eſt; inquit enim: (e) *Regnum Dei & juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.*

Secundo peculiarem illam beneficentiam, qua pios gubernat, & dirigit, denotat.

b) *Pſal.* 22. 1.

c) *Iſa.* 33. 22.

Quamodo Regnum Chriſti non ſit ex hoc mundo.

d) *Pſal.* 2. 6.

e) *Rom.*14.15.

9. Qua ratione Christus in suis regnet Fidelibus.

Regnat autem in nobis Christus Dominus per virtutes intimas, fidem, spem, charitatem, quibus virtutibus Regni quodammodo partes efficimur, & Deo peculiari quadam ratione subjecti, ad ejus cultum, ac venerationem consecramur: ut, quemadmodum dixit Apostolus:

a) Gal. 2. 20. (a) *Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus;* ita nobis dicere liceat: *Regno ego, jam non ego, regnat vero in me Christus.* Id autem Regnum justitia dicitur, quia Christi Domini justitia constitutum est. Ac de hoc Regno sic loquitur apud S. Lucam Dominus: (b) *Regnum Dei intra vos est.* Nam etsi Jesus Christus per Fidem regnat in omnibus, qui gremio, ac sinu sanctissimæ matris Ecclesiæ continentur; præcipuo tamen modo regit eos, qui præstanti fide, spe, & charitate prædíti, se tanquam pura quædam, & viva membra Deo præbuerunt. Et in his Regnum gratiæ esse dicitur.

Quomodo Regnum Dei sit Justitia.

b) Luc. 17. 21. *In quibus præcipue regnet Christus.*

10. De Regno gloriæ Christi Domini nostri.

Est vero etiam Dei gloriæ Regnum illud, de quo Christum Dominum apud S. Matthæum loquentem audimus: (c) *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi.* Quod idem ab eo Regnum, apud S. Lucam, latro admirabiliter sua scelera recognoscens expetebat, in hunc modum: (d) *Domine memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Sanctus etiam Joannes meminit hujus Regni: (e) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Meminit item Apostolus ad Ephesios: (f) *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, (quod est idolorum servitus)*

Tertio gloriam, & majestatem designat, quam Deus in Cælo obtinet.

c) Matth. 25. 34.

d) Luc. 23. 42.

e) Joan. 3. 5.

f) Ephes. 5. 5.

non

non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei. Eodem (a) pertinent aliquot similitudines Christi Domini loquentis de Regno Cœlorum.

a) *Matth.* 13. 31. 32. 44. & 22. 1.

11. De Regni gratiæ, & gloriæ Christi natura, & diversitate.

Necesse est autem prius ponere Regnum gratiæ: neque enim fieri potest, ut in ullo regnet Dei gloria, nisi ejusdem gratia in illo regnarit. Est vero gratia, ipsius sententia Salvatoris, (b) *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Gloriam autem quid esse dicemus, (c) nisi gratiam quandam perfectam, & absolutam? Quamdiu enim fragili hoc, & mortali corpore vestiti sumus, dum in hac cæca peregrinatione, & exilio vagi, & imbecilles absumus a Domino, sæpe labimur, & cadimus, abjecto Regni gratiæ adminiculo, quo nitebamur: cum autem Regni gloriæ, (d) quod perfectum est, lux nobis illuxerit, firmi, ac stabiles perpetuo consistemus. Omne enim & vitium, & incommodum exhaurietur, omnis infirmitas confirmata roborabitur: ipse denique nostra in anima, & in corpore regnabit Deus, quæ res uberius in Symbolo tractata est, cum de Resurrectione carnis ageretur.

b) *Joan.* 4. 14. *Quid gratia.*

c) *Sic Apost. Rom.* 6. 23. *vitam æternam gratiam vocat Regno gratia frequenter existimus.*

d) 1. *Cor.* 13. 13.

Regnum gloria si semel ab homine possideatur, nunquam amittitur.

12. Quid in primis hac Petitione Deum oremus.

His igitur expositis, quæ communem Regni Dei sententiam declarant, quid sibi hæc petitio proprie velit, dicendum est. Petimus autem a Deo, ut Regnum Christi, quod est Ecclesia, propagetur, ut se ad Fidem Christi Domini, & ad accipiendam veri Dei cognitionem convertant Infideles, & Judæi; & Schismatici, ac Hæretici redeant ad sanitatem, & Ecclesiæ

Quomodo maxime hic in terris Regnum Dei adveniat.

Dei communionem, a qua defciverunt, revertantur; ut compleatur, & ad exitum perducatur, quod Iſaiæ ore dixit Dominus: (a) *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende; ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clavos tuos conſolida; ad dexteram enim, & ad lævam penetrabis: quia dominabitur tui, qui fecit te.* Et idem: (b) *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui: leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.*

a) *Iſa. 54. 2. ib. 5.*

b) *Iſa. 60. 3. Ibid. 4. & cap. 49. 18.*

13. Secundo quidnam hic poſtuletur.

Verum quia ſunt in Eccleſia, (c) qui verbis confitentes Deum, factis negantes, deformatam Fidem præſeferant, in quibus propter peccatum dæmon habitat, ac dominatur tanquam in propriis domiciliis; petimus etiam, ut ad eos veniat regnum Dei; quo illi, peccatorum diſcuſſa caligine, & radiis divinæ lucis illuſtrati, reſtituantur in filiorum Dei priſtinam dignitatem; ut omnibus e ſuo regno, cœleſtis Parens, ſublatis Hæreticis, atque Schiſmaticis, ejectiſque offenſionibus, ac ſcelerum cauſis, (d) aream purget Eccleſiæ, quæ Deo cultum pie, ſancteque adhibendo, quieta, ac tranquilla pace perfruatur.

c) *Tit. 1. 16. In Chriſtianis perperam viventibus dominatur etiam Diabolus.*

d) *Matt. 5. 12.*

14. Quid tertio loco eadem Petitione quæramus.

Petimus denique, ut ſolus in nobis vivat, ſolus regnet Deus; ne ſit poſthac morti locus, ſed ut illa (e) abſorbeatur in victoria Chriſti Domini noſtri, qui, (f) disjecto, ac diſſipato omni hoſtium principatu, poteſtate, & virtute, ſuo omnia ſubjiciat imperio.

e) *1. Cor. 15. 55.*

f) *1. Cor. 15. 24. 25. Col. 2. 15.*

15. Quæ

15. Quæ Christianis hujus petitionis occasione præcipue agenda, & contemplanda offerantur.

Erit autem curæ Parochis, ut, quod postulat hujus ratio Petitionis, fidelem populum doceant, quibus cogitationibus, & meditationibus instructus has pie Deo preces facere possit. Ac primum hortabuntur, ut vim, ac sententiam intueatur illius similitudinis a Salvatore introductæ: (a) *Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit & præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum.* Nam qui noverit Christi Domini divitias, is præ illis omnia contemnet; huic facultates, opes, potentia sordescent: nihil enim est, quod illi summo pretio comparari, imo vero quod in conspectu ejus stare possit. Quare, quibus id nosse contigerit, exclamabunt illi, ut Apostolus: (b) *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Hæc est illa insignis Evangelii (c) margarita, in quam qui pecuniam ex omni bonorum venditione redactam erogarit, is beatitudine fruetur sempiterna.

a) *Matt.* 13. 44. *Christi Regnum ut consequamur, omnia terrena sunt contemnenda. Huc pertinere possunt, quæ de Sapientia scripsit Job* 28. 15. *Salom. Prov.* 8. 10. *Sap.* 7. 8. 9. 10.

b) *Philip.* 3. 8.

c) *Matt.* 13. 45.

16. Quam sit desiderabile regnum Christi hic per gratiam, & in futuro per gloriam.

O nos felices, si tantum luminis nobis præferret Jesus Christus, ut illam videre possemus Divinæ Gratiæ margaritam, qua ipse regnat in suis! Nam & nostra omnia, & nos ipsos venundaremus, ut emptam illam tueremur; tum enim denique nobis non dubitanter dicere liceret: (d) *Quis nos separabit a charitate Christi?* Præstantem vero Regni gloriæ excellentiam,

d) *Rom.* 8. 35.

a) *Isa.* 64. 4. b) 1. *Cor.* 2. 9.

si, quæ sit, scire volumus, eandem de illa & (a) Prophetæ, & (b) Apostoli vocem, atque sententiam audiamus. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

17. De humilitate, quam in hac Petitione, & aliis præ nobis ferre debemus.

c) *Gen.* 3. 23. *Humiliter Regnum Dei petendum.*

Proficiet autem ad impetrandum maxime, quod petimus, si, qui simus, ipsi nobiscum reputemus, id est, Adam progenies, (c) jure e Paradiso ejecti, & exules, quorum indignitas, ac perversitas summum Dei odium, ac sempiternas pœnas postularet. Quare demisso tum, & abjecto animo simus oportet. Nostra etiam erit plena Christianæ humilitatis oratio: & omnino

d) *Luc.* 18. 13.

nobis ipsi diffidentes, (d) illius more Publicani confugiemus in Dei misericordiam; totumque ejus benignitati tribuentes, ipsi gratias agemus immortales, qui nobis suum spiritum

e) *Rom.* 8. 15.

sit elargitus, (e) quo freti clamare audeamus: *Abba, Pater.*

18. Quanto studio nobis incumbendum sit, ut tandem Cœlorum Regno potiamur.

Quid sequi, vel fugere debeamus, ut simus beati, sæpe cogitandum.

Suscipiemus etiam illam curam, & cogitationem, quid agendum, quid contra vitandum sit, ut ad Cœleste Regnum pervenire possimus. Non enim a Deo (f) ad otium, & inertiam vocati sumus: quinimo inquit: (g) *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, &, (h) *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Itaque non est satis petere Regnum Dei, nisi suum ipsi etiam studium, & operam adhibeant homines. Nam (i) adjutores sint oportet, & administri Dei gratiæ in eo tenendo cursu, quo

f) *Hoc docet parabola Evangelica de vinea. Matth.* 20. 1.
g) *Matt.* 11. 12.
h) *Matt.* 19. 17. *Diligentia adhibenda.*
i) 1. *Cor.* 9. 3 *Quomodo simus divinæ gratiæ adjutores.*

per-

pervenitur in Cœlum. Nunquam nos deſerit Deus, (a) qui nobiſcum ſe futurum perpetuo pollicitus eſt: unum ut nobis videndum ſit, ne Deum, & nos ipſos deſeramus. Ac Dei quidem ſunt in hoc Eccleſiæ Regno omnia, quibus & vitam tuetur hominum, & ſalutem perficit ſempiternam, & quæ ſub aſpectum non cadunt Angelorum copiæ, & pleniſſimum virtutis Cœleſtis viſibile hoc munus Sacramentorum. In his tantum nobis præſidii eſt divinitus conſtitutum, ut non modo ab acerrimorum hoſtium Regno tuti eſſe, ſed ipſum etiam Tyrannum, ejuſque nefarios ſatellites proſternere, & conculcare poſſimus.

a) *Matth.* 28. 20.

Quantis præſidiis homines inſtruxerit Deus ad Cœleſtis Regni conſecutionem.

19. Concluſio hujus Petitionis, & brevis illius alia expoſitio.

Quare vehementer ad extremum petemus a Dei ſpiritu, nos ut omnia jubeat e ſua voluntate facere: Satanæ ut tollat imperium, nullam ut in nobis ſummo illo die poteſtatem habeat: ut vincat, & triumphet Chriſtus: ut vigeant ejus Leges toto orbe terrarum: ut decreta ſerventur: nullus ut proditor, & deſertor ejus ſit, ſed tales ſe præbeant omnes, ut in Regis Dei conſpectum non dubitanter veniant, & (b) conſtitutam illis ex omni æternitate poſſeſſionem adeant Regni Cœlorum, ubi beati cum Chriſto ſempiterno ævo fruantur.

b) *Matth.* 25. 34.

DE TERTIA PETITIONE.

CAPUT XIII.

Fiat voluntas tua.

1. *Quare poſtulato Dei Regno, ſtatim ſubjiciatur, ut ejuſdem Voluntas fiat.*

a) *Matt.* 7. 21. Cum a Chriſto Domino dictum ſit: (a) *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe intrabit in Regnum Cœlorum:* quicunque in illud cœleſte Regnum pervenire cupiunt, id a Deo petere debent, ut fiat voluntas ejus. Quamobrem hoc loco poſita hæc Petitio eſt, ſtatim poſt Regni Cœleſtis Poſtulationem.

2. *Qua methodo ad veram hujus Petitionis intelligentiam perveniendum ſit.*

Ut autem intelligant Fideles, quam neceſſarium id nobis ſit, quod hac Prece poſtulamus, quantamque vim ſalutarium munerum ex ejus impetratione conſequamur; demonſtrabunt Parochi, quibus miſeriis, & ærumnis oppreſſum fuerit hominum genus propter peccatum primi Parentis.

3. *Quæ malâ prævaricatio primi Parentis in humanum genus invexerit.*

Homo in initio ſuæ creationis in Deum tanquam ſuæ beatitudinis auctorem recta ferebatur. Eccl. 7. 29.

Nam a principio Deus proprii boni appetitionem creatis rebus ingeneravit, ut naturali quadam propenſione ſuum quærerent, & ex-

pe-

peterent finem, a quo illæ nunquam, nisi objecto extrinsecus impedimento, declinant. Hæc autem initio fuit in homine expetendi Deum suæ beatitudinis auctorem, parentemque eo præclarior, & præstantior vis, quod is compos esset rationis, atque consilii. Sed hunc amorem sibi naturaliter ingenitum cum reliquæ naturæ rationis expertes conservassent, quæ, ut initio procreatæ fuerunt, natura bonæ, sic in eo statu, & conditione manserunt, hodieque manent; miserum hominum genus cursum non tenuit. Non enim solum bona justitiæ originalis amisit, quibus a Deo supra naturæ suæ facultatem auctum, ornatumque fuerat; sed etiam insitum in animo præcipuum virtutis studium obscuravit: (a) *Omnes*, inquit, *declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Nam (b) *sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua;* ut inde facile intelligi possit, neminem per se salutariter sapere, sed omnes ad malum esse propensos, innumerabilesque esse hominum pravas cupiditates, (c) dum proclives sunt, & flagranti studio feruntur ad iram, ad odium, ad superbiam, ad ambitionem, ad omne fere malorum genus.

Peccato originali & amissa Justitia, & ad virtutem inclinatio corrupta est.

a) *Psal.* 52. 4.

b) *Gen.* 8. 21. *item* 6. 5. *Omnes ab adolescentia ad malum sunt proclives. Conc. Trid. sess.* 5. *de peccato originali.*

c) *Rom.* 7. 21. 22. 23.

4. Homo, etsi multis miseriis obrutus sit, suum tamen statum ignorat.

Quibus in malis quanquam assidue versemur; tamen, quæ summa est nostri generis miseria, permulta ex illis sunt, quæ nobis minime mala videantur. Quæ res insignem arguit hominum calamitatem, qui cupiditatibus, ac libi-

dinibus obcæcati non videant, quæ ſalutaria opinantur, plerumque eſſe peſtifera; imo vero ad illa pernicioſa mala, tanquam ad optabile, & expetendum bonum, rapiantur præcipites, ab iis, quæ vere bona ſunt, & honeſta, tanquam a contrariis rebus, abhorreant. Hanc opinionem, corruptumque judicium deteſtatur Deus illis verbis: (a) *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*

a) *Iſa.* 5. 28.

5. *Quomodo noſtram hanc miſeriam ſacræ Literæ nobis ob oculos ſubjiciant.*

Guſtum ſpiritualem amiſit homo.

Itaque, noſtris ut ſubjiciant oculis noſtras miſerias, comparant nos Divinæ Literæ iis, (b) qui verum guſtandi ſenſum amiſerunt: quare fit, ut a ſalubri victu alieni ſint, appetantque contrarium. (c) Cum ægrotis præterea nos conferunt: ut enim illi, niſi morbum depulerint, ſanorum, & integrorum hominum officia, ac munera obire non poſſunt: ſic nos actiones, quæ Deo gratæ ſunt, ſuſcipere ſine Divinæ Gratiæ adjumento nequimus.

b) *Iſa.* 24. 9. *Hiere.* 4. 31. 29. *Ezech.* 18. 2. *Homines omnes poſt peccatum ſunt ægrotis ſimiles.*

c) *Pſal.* 6. 26. & 106. *Iſa.* 24. & 53. 4.

6. *In ſtatu naturæ corruptæ quanta ſit ad aliquid boni agendum hominum infirmitas.*

Virtutes Cœlo dignas homo ſibi relictus perficere non poteſt.

Quod ſi quædam ſic affecti aſſequimur, levia illa ſunt, & quæ ad conſequendam Cœleſtem Beatitudinem parum, vel nihil momenti habent. At Deum, ut par eſt, amare, & colere, quod majus quiddam, & altius eſt, quam ut nos humi ſtrati id humanis viribus aſſequamur, nunquam poterimus, niſi adminiculo Divinæ Gratiæ ſublevemur.

7. *In*

7. In rebus Divinis nos omnino pueris esse persimiles.

Quanquam aptissima etiam est illa comparatio ad significandam miseram humani generis conditionem, quod similes esse dicimur puerorum, qui suo relicti arbitrio temere moventur ad omnia: pueri, inquam, sumus, & imprudentes, ludicris sermonibus, & inanibus actionibus dediti, si a Divino præsidio deseramur. Sic enim nos objurgat Sapientia, (a) *Usquequo parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient?* Et in hunc modum hortatur Apostolus: (b) *Nolite pueri effici sensibus.* Etsi in majori inanitate, & errore versamur, quam illa puerilis ætas, cui tantum abest humana prudentia, ad quam tamen per se tempore potest pervenire: cum ad divinam prudentiam, quæ ad salutem necessaria est, nos, nisi Deo auctore, & adjutore, adspirare non possimus. Nisi enim præsto nobis sit Dei auxilium, rejectis iis, quæ vere sunt bona, ad interitum ruimus voluntarium.

Homines per Adæ peccatum nunc sunt ipsis pueris insipientiores.

a) *Prov.* 1. 22.

b) 1. *Cor.* 14. 20. *Prudentiam salutis necessariam nisi Deo adjutore consequi non possumus.*

8. Quodnam hac Petitione tantorum malorum proponatur remedium.

Ac si quis, discussa divinitus animi caligine, has videat hominum miserias & sublato stupore, sentiat, (c) legem membrorum, ac sensus cupiditates spiritui repugnantes recognoscat, omnemque despiciat naturæ nostræ propensionem ad malum; qui poterit non ardenti studio opportunum tanto huic malo, quo naturæ vitio premimur, remedium quærere, salutaremque illam regulam expetere, ad quam Christiani hominis vita dirigenda, & conformanda sit? Hoc igitur illud est, quod imploramus, cum

c) *Rom.* 7. 23. *Omnium actionum, & cogitationum humanarum bonitas ex consensu, quem habent cum Divina Voluntate, est metienda. Suam autem Voluntatem Deus manifestavit hominibus per Decalogum.*

ita precamur Deum; *Fiat Voluntas tua.* Cum enim, (a) abjecta obedientia, & Dei Voluntate neglecta, in has miserias inciderimus; unum illud tantorum malorum remedium nobis divinitus propositum est, ut ex Dei voluntate, quam peccando contempsimus, aliquando vivamus, omnesque cogitationes, & actiones nostras ea regula metiamur. Quod ut assequi possimus, suppliciter illud a Deo petimus: *Fiat Voluntas tua.*

a) *Rom. 5. 9.*

9. *Etiam a justificatis, qui jam Deo parent, usurpanda hæc Precatio est.*

Justificati propter pronitatem ad malum vita hac durante semper periclitantur Conc. Trid. sess. 6. c. 12. & 13. vide Ezech. 8. 25. Hier. 16. 2.

Id vero illis etiam vehementer petendum est, in quorum animis jam regnat Deus, quique jam sunt radiis Divini Luminis illustrati, cujus gratiæ beneficio Dei obtemperent Voluntati. Quibus, licet ita comparatis, propriæ tamen cupiditates adversantur, propter proclivitatem ad malum, insitam in hominum sensibus: ut, etiam si tales simus, magnum tamen hoc loco nobis periculum sit a nobis ipsis, ne (b) abstracti, & illecti a concupiscentiis, quæ militant in membris nostris, iterum de salutis via deflectamus. De quo nos periculo Christus Dominus admonuit illis verbis: (c) *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

b) *Jacob. 4. 1.*

c) *Matth. 26. 41.*

10. *In justificatis adhuc viget concupiscentia, quam quidem nemo penitus potest extinguere.*

Justitia originalis fuit tanquam frænum, quo carnis cupiditates regebantur, eoque semel amisso, nunquam ita regi potuerunt quin identidem noxia appeterent.

Non enim est in hominis potestate ne in ejus quidem, qui per Dei Gratiam est justificatus, ita domitos habere carnis affectus, ut nunquam illi postea excitentur: quippe cum eorum, qui justificati sunt, mentem sanet Dei gratia, non

etiam

etiam carnem, de qua illud ſcripſit Apoſtolus, (a) *Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum.* Nam ut ſemel primus Homo Juſtitiam originalem, quo tanquam fræno quodam cupiditates regebantur, amiſit, minime eas poſtea ratio ita continere potuit in officio, ut ea non appeterent, quæ etiam rationi repugnant. Itaque in ea hominis parte (b) Peccatum, id eſt, peccati fomitem habitare, ſcribit Apoſtolus, ut intelligamus, eum non ad tempus, quaſi hoſpitem, diverſari apud nos, ſed quamdiu vivimus, tanquam incolam noſtri corporis, in domicilio membrorum hærere perpetuo. Ergo domeſticis, & inteſtinis hoſtibus aſſidue oppugnati facile intelligimus, confugiendum eſſe ad Dei auxilium, petendumque, ut fiat in nobis Voluntas ejus. Jam vero faciendum eſt, ut ſciant Fideles, quæ ſit hujus Petitionis vis.

a) *Rom.* 7. 18. *Fomes peccati, ſeu concupiſcentia perpetuo in membris noſtris latitat; unde etiam perpetuo adverſus illam quærenda ſunt auxilia.*

b) *Rom.* 7. 20.

11. Quomodo voluntas Dei in hac Petitione accipiatur.

Quo loco multis omiſſis, quæ a Doctoribus Scholaſticis de Dei Voluntate utillter, & copioſe diſputantur, Voluntatem hic accipi dicimus pro ea, quam *Signi* appellare ſolent, hoc eſt, pro eo, quod Deus a nobis fieri, aut caveri jufſerit, aut monuerit. Quare *Voluntatis* nomine hoc loco comprehenſa ſunt univerſa, quæ nobis ad Cœleſtem Beatitudinem comparandam proponuntur, ſive illa ad Fidem, ſive ad mores pertineant: omnia denique, quæcunque nos Chriſtus Dominus per ſe, vel per Eccleſiam ſuam facere aut imperarit, aut prohibuerit. De qua voluntate ita ſcribit Apoſtolus: (c)

Vide Magiſtrum in 1. *diſt.* 45. *lit. G. H. & I. & D Thom. in* 1. *p. q.* 19. *& ipſum, & alios in* 1. *diſt.* 45.

c) *Epheſ.* 5. 17.

No-

1. Thess. 4. 3. Rom. 12. 2. 1. Petr. 2. 15.

Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit Voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.

12. Quam includat tertia Petitio sententiam.

Cum igitur illud precamur, *Fiat Voluntas tua*, petimus in primis nobis, ut Pater Cœlestis facultatem concedat obtemperandi Divinis jussis, (a) inserviendi ei in sanctitate, & justitia omnibus diebus nostris: ut ad nutum, & Voluntatem ejus omnia faciamus: ut ea colamus officia, de quibus in sacris Literis admonemur: ut ipso duce, & auctore, reliqua omnia præstemus, quæ eos decent, (b) *qui non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*, exemplum Christi Domini secuti, (c) qui *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: ut parati simus omnia perpeti potius, quam vel minimum ab ejus Voluntate discedere.

a) Luc. 1. 74. 75.

b) Joan. 1. 13.

c) Phil. 2. 8.

13. Quibus potissimum datum sit eorum, quæ hic petuntur, studio, & amore ardentissime flagrare.

Nec vero quisquam est, qui hujus studio, & amore Petitionis flagret ardentius, quam is, cui concessum sit, ut summam eorum dignitatem intueatur, qui Deo obediunt. Idem enim illud verissime dici intelligit, servire Deo, & illi obedire, regnare esse: (d) *Quicunque*, inquit Dominus, *fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est*: hoc est: *cum illo sum omnibus amoris, & benevolentiæ vinculis conjunctissimus.* Nemo fere est ex viris Sanctis, quin præcipuum hujus Petitionis munus vehementer a Deo postularit: ac præclara quidem omnes, sed varia persæpe oratione usi sunt. In quibus mirificum, & suavissimum Davidem videmus illud varie postulantem:

Parere Deo libertas est, inquit Seneca libro de beata vita c. 15. ex quo D. Bern. ser. 3. de S. Andrea hæc sumpsisse videtur, servire Deo regnare est.

d) Matt. 12. 50. Marc. 3. 35. Luc. 8. 21.

Omnes Sancti Divinam Voluntatem semper fieri optarunt, ut Christus. Matth. 26. 42. Paulus Act. 21. 14. 2. Reg. 3. 18.

mo-

modo enim inquit: (a) *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas Justificationes tuas:* interdum (b) *Deduc me in semitam Mandatorum tuorum:* nonnunquam, (c) *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia.* Huc pertinent illa: (d) *Da mihi intellectum, ut discam Mandata tua:* (e) *Judicia tua doce me:* (f) *Da mihi intellectum, ut sciam Testimonia tua:* Sæpe aliis verbis eandem tractat, versatque sententiam. Qui loci diligenter animadvertendi sunt, & Fidelibus explicandi, ut, quanta sit in prima hujus Petitionis parte vis, & copia salutarium rerum, omnes intelligant.

a) *Psal.* 118. 5.
b) *Ibid.* 35.
c) *Ibid.* 133.
d) *Ibid.* 73.
e) *Ibid.* 108.
f) *Ibid.* 125.

14. Quid præterea hac Petitione significemus.

Secundo loco, cum illud precamur, *Fiat Voluntas tua,* detestamur opera carnis: de quibus scribit Apostolus; (g) *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, &c.* &, *Si secundum carnem vixeritis, moriemini:* petimusque, ne sinat Deus ea nos perficere, quæ sensus, quæ cupiditas, quæ imbecillitas nostra suaserit, sed ut nostram voluntatem sua voluntate moderetur. Alieni sunt ab hac Voluntate voluptarii homines, qui in terrenarum rerum cura, & cogitatione defixi sunt. Feruntur enim libidine præcipites ad potiundum, quod concupierunt, & in illo fructu pravæ cupiditatis felicitatem ponunt, ut beatum etiam esse dicant, qui, quodcunque optarit, consequatur. Nos contra petimus

g) *Gal.* 5. 19. 20. 21. 1. *Rom.* 8. 13.

Voluptarii, terrenisque affectibus implicati, nisi illam cupiditatem exuant, non vere istud precantur.

a) *Rom.* 13. 14. timus a Deo, ut ait Apoſtolus, (a) ne carnis curam faciamus in deſideriis, ſed ut fiat Voluntas ejus.

15. Melius eſt id optare fieri, quod Deus vult, quam id, quod cupimus.

Difficile eſt adverſus propriam cupiditatem precari, ſed tamen ſalutare, & glorioſum.

Etſi non facile adducimur, ut precemur Deum, ut cupiditatibus noſtris non ſatisfaciat; habet enim difficultatem hæc animi inductio, quod ipſi quodammodo id petentes nos videmur odiſſe. Quod etiam ſtultitiæ tribuunt ii, qui toti hærent in corpore. Sed nos ſtultitiæ famam ſubeamus libenter Chriſti cauſa; cujus eſt illa ſententia: (b) *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum.* Præſertim cum ſciamus multo præſtare, id optare, quod rectum, juſtumque ſit, quam id aſſequi quod a ratione, a virtute, a Dei Legibus ſit alienum. Et certe deteriore loco is eſt, quicunque ad id pervenit, quod temere, ac libidinis impulſu cupiebat, quam qui, optime quod optavit, non aſſequitur.

b) *Matth.* 16. 24. *Luc.* 9. 23. *Marc.* 8. 34.

16. Etiam ea, quæ pietatis ſpeciem non habent, a Deo petenda non ſunt.

Quanquam non id modo petimus, ne concedatur nobis a Deo, quod ipſi noſtra ſponte cupimus, cum ſtudium noſtrum depravatum eſſe conſtet; ſed ne id etiam detur, quod ſuaſore, & impulſore Dæmone (c) ſimulato lucis Angelo, tanquam bonum interdum poſtulamus. Rectiſſimum illud Principis (d) Apoſtolorum ſtudium videbatur pietatiſque pleniſſimum, cum Dominum a conſilio proficiſcendi ad mortem avocare conabatur; & tamen eum, qui humanis ſenſibus, non divi-

c) 2. *Cor.* 11. 14.

d) *Matth.* 16. 22.

na

na ratione ducebatur, Dominus acriter objurgavit. Quid amantius in Dominum videtur eo postulari potuisse, quod sancti viri (a) Jacobus & Joannes, illis irati Samaritanis, qui magistrum hospitio accipere noluissent, ab eo petierunt, ut juberet ignem e cœlo descendere, qui duros illos, & inhumanos absumeret? At a Christo Domino reprehensi sunt illis verbis: *Nescitis, cujus spiritus estis:* (b) *Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

a) *Luc.* 9. 54.

b) *Luc.* 9. 56. *Joan.* 3. 16.

17. *Cum quæ cupimus, ad naturæ conservationem spectant, ea maxime ut fiant, si Deus velit, petendum est.*

Neque vero solum, cum quod cupimus, malum est, aut mali speciem habet, Deum precari debemus, ut fiat voluntas ejus; sed etiam, cum revera malum non est; veluti cum voluntas sequitur illam naturæ inclinationem, ut appetat ea, quæ naturam conservant, & rejiciat, quæ ei contraria videntur. Quocirca, cum in eum locum ventum est, ut aliquid petere velimus hujus generis: tum vero dicamus ex animo: FIAT VOLUNTAS TUA; imitemur illum ipsum, a quo salutem, & salutis disciplinam accepimus: (c) qui cum naturaliter insito cruciatu, & acerbissimæ mortis timore commoveretur, tamen in illo horrore summi doloris suam ad Dei Patris retulit voluntatem. (d) *Non mea,* inquit, *voluntas, sed tua fiat.*

c) *Matt.* 26. 36. 31. 38. *Marc.* 14. 33. *Qualis autem in Christo fuerit tristitia, & timor, vide D. Th.* 3. p. q. 15.

d) *Luc.* 22. 41.

18. *Cum citra Dei auxilium peccatum vitare non possimus, id etiam hac Petitione postulamus.*

Sed mirabiliter depravatum est hominum genus, qui, cum vim suæ etiam attulerint cupiditati, eamque divinæ voluntati subjecerint, ta-

men ſine Dei auxilio, quo a malo protegimur, & in bonum dirigimur, peccata vitare non poſſunt. Ergo confugiendum eſt ad hanc Precationem, & petendum a Deo, ut in nobis ipſe inſtituta perficiat, ut exultante cupiditatis motus comprimat, ut appetitus rationi obedientes efficiat, ut nos denique totos ad ſuam conformet voluntatem. Precamur etiam, ut (a) Dei voluntatis cognitionem totus orbis terrarum accipiat: quo (b) divinum myſterium abſconditum a ſæculis, & generationibus notum, ac pervulgatum ſit apud omnes.

a) 1. *Tim.* 2. 4.
b) *Col.* 1. 26.

Sicut in Cœlo, & in Terra.

19. Quid ſibi iſta clauſula velit.

Formam præterea, & præſcriptionem illius obedientiæ poſtulamus, ut videlicet ad eam regulam dirigatur, quam in Cœlo & ſervant beati Angeli, & colit reliquus cœleſtium animarum Chorus; ut quemadmodum illi ſponte, & ſumma cum voluptate obediunt divino numini; ſic nos Dei voluntati, quomodo ipſe maxime vult, libentiſſime pareamus.

20. Deo non pretii alicujus cauſa, ſed amore ipſius parendum eſt.

Vide D. Bern. in lib. de diligendo Deo.

Voluntas Dei in Cœlo ſit ex amore, & charitate.

Et vero in opera, & ſtudio, quod Deo navamus, ſummum a nobis amorem Deus, & eximiam charitatem requirit; ut, etiam ſi ſpe cœleſtium præmiorum totos nos ei dicaverimus, tamen ideo illa ſperemus, quod, ut in eam ſpem ingrederemur, placuit divinæ Majeſtati. Quare tota nitatur illo in Deum amore noſtra ſpes, qui mercedem amori noſtro propoſuit æternam beatitudinem. Sunt enim, qui amanter alicui

cui ſerviant, ſed tamen pretii cauſa, quo amorem referunt. Sunt præterea, qui tantummodo charitate, & pietate commoti, in eo, cui dant operam, nihil ſpectant, niſi illius bonitatem, atque virtutem, cujus cogitatione, & admiratione ſe beatos arbitrantur, quod ei ſuum officium præſtare poſſint.

21. Aliæ item ejus clauſulæ expoſitiones.

Et hanc habet ſententiam illa appoſitio, SICUT IN COELO, ET IN TERRA. Maxime enim nobis enitendum eſt, ut Deo ſimus obedientes, quemadmodum beatas mentes eſſe diximus: quarum laudes in illo ſummæ obedientiæ munere obeundo eo Pſalmo perſequitur David: (a) *Benedicite Domino omnes virtutes ejus, miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Quod ſi quis ſanctum Cyprianum ſecutus, ſic illa interpretatur, ut dicat: *In Cœlo, in bonis, & piis; In terra in malis, & impiis:* nos vero etiam ejus ſententiam comprobamus; ut pro Cœlo ſpiritus, pro Terra caro intelligatur; ut & omnes, & omnia in omnibus Dei voluntati obediant.

a) *Pſal.* 102. 21

S. *Cypr. in ſer. de Orat. Dom.*

22. Quomodo etiam gratiarum actionem contineat hæc Petitio.

Gratiarum item actionem continet hæc Petitio: veneramur enim Dei ſanctiſſimam voluntatem, & maximo perfuſi gaudio, ſummis laudibus, & gratulationibus omnia ejus opera celebramus, qui certo ſciamus, (b) eum omnia bene feciſſe. Cum enim conſtet, eſſe omnipotentem Deum, neceſſario ſequitur, ut omnia ejus nutu facta eſſe intelligamus. Cum vero etiam ipſum, ſicut eſt, ſummum bonum eſſe

b) *Marc.* 7. 37. *Eccl.* 39. 21.

affirmemus, nihil ex ejus operibus non esse bonum, cum omnibus ipse suam impertiverit bonitatem, confitemur. Quod si in omnibus divinam rationem non assequimur, in omnibus tamen, & ambigui causa neglecta, & rejecta omni
a) *Rom.* 11. 33. hæsitatione, illud Apostoli profitemur, (a) investigabiles esse vias ejus. Sed ob id maxime etiam Dei voluntatem colimus, quod ab eo
b) *Colos.* 1. 13. cœlesti lumine dignati sumus. (b) Ereptos enim de potestate tenebrarum transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.

23. Quid ex hac Petitione ad contemplationem referendum sit.

Sed ut extremo loco id explicetur, quod ad meditationem pertinet hujus Petitionis, redeundum est ad id, quod initio attigimus, debere Fidelem Populum in hujus pronuntiatione Petitionis esse demisso, & humili animo reputantem secum eam, quæ in naturæ est insita, cupiditatum vim divinæ voluntati repugnantem, cogitantem se in eo officio vinci a naturis
c) *Psal.* 118. 91. omnibus: de quibus ita scriptum est: (c) *Omnia serviunt tibi*: maximeque imbecillem esse, qui nullum opus Deo gratum non modo non per-
d) *Joan.* 16. 6. & 2. *Cor.* 3. 5. ficere, (d) sed ne instituere quidem possit, nisi Dei adjumento sublevetur. Quoniam vero nihil magnificentius est, nihil præstantius, quam, ut diximus, Deo servire, & vitam ex ejus Lege, ac Præceptis agere; quid optabilius esse
e) *Psal.* 118. 1. *Infelices, qui sua consilia Divinæ Voluntati non accommodant. Exemplum vide in Pharaone. Exod.* 4. 5. 6. & *seq.* potest homini Christiano, quam (e) ambulare in viis Domini, quam nihil agitare animo, nihil actione suscipere, quod a divina Voluntate abhorreat? Ut vero eam exercitationem capiat, & illud institutum teneat diligentius, pe-

tat

tat ex Divinis Libris exempla eorum, quibus, cum illi consiliorum suorum rationem non retulissent ad Dei voluntatem, omnia male ceciderunt.

24. Quantum commodi ad vitam tranquille agendam ex hujus Petitionis meditatione consequi possimus.

Moneantur postremo Fideles, ut in simplici, & absoluta Dei voluntate acquiescant : ferat æquo animo conditionem suam, qui sibi inferiori loco videtur esse, quam ejus dignitas postulet: ne deserat ordinem suum: sed (a) in ea vocatione maneat, in qua vocatus est: & proprium judicium subjiciat Dei voluntati, qui nobis melius consulit, quam ipsi optare possimus. Si angustia rei familiaris, si corporis valetudine, si persecutionibus, si aliis molestiis, & angoribus premimur, certo statuendum est, nihil horum sine Dei voluntate, quæ summa omnium ratio est, nobis accidere posse; ideoque non debere nos gravius commoveri, sed invicto animo ferre, semper illud in ore habentes, (b) *Domini voluntas fiat ;* & illud beati Job, (c) *Sicut Domino placuit, ita factum est ; sit Nomen Domini benedictum.*

a) 1. *Cor.* 7. 20. *Ephes.* 4. 1.

Dei Voluntas est ratio summa omnium, quæ sunt. *D. Th. in* 1. *p. q.* 19. *art.* 4.

b) *Act.* 21. 14.

c) *Job.* 1. 21.

DE QUARTA PETITIONE.

CAPUT XIII.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

1. Quænam in hac Oratione Dominica ratio ordinis ſervata ſit.

Quarta Petitio, & reliquæ deinceps, quibus animæ, & corporis ſubſidia proprie, ac nominatim poſtulamus, ad ſuperiores Petitiones referuntur. Habet enim hunc ordinem, ac rationem Precatio Dominica, ut Poſtulationem rerum divinarum conſequatur earum Petitio, quæ ad corpus, & ad hanc vitam tuendam pertinent. Nam ut ad Deum, tanquam ad ultimum finem, referuntur homines; ſic humanæ vitæ bona ad divina eadem ratione diriguntur.

2. Cur humanæ vitæ bona a Deo licite optentur, & petantur.

Quæ quidem ideo optanda, ac petenda ſunt, vel quod ita Divinus ordo poſtulat, vel quod illis adjumentis ad Divinorum bonorum adeptionem indigemus, ut iis adminiculis propoſitum finem conſequamur, qui Regno, & Gloria Cœleſtis Patris, atque iis Præceptis colendis, ſervandiſque continetur, quæ Dei Voluntatis eſſe, non ignoramus. Quare omnem vim, & rationem hujus petitionis ad Deum, ejuſque Gloriam referre debemus.

3. Quo

3. *Quo fine, & modo temporalia bona ſint poſtulanda.*

Præſtabunt igitur ſuum officium Parochi fidelibus auditoribus, ut intelligant, iis petendis, quæ ad uſum, ac fructum pertinent rerum terrenarum, eſſe intendendum animum, ac ſtudium noſtrum ad Dei præſcriptionem, nec inde ulla ex parte declinandum. Nam in eo, quod ſcribit Apoſtolus, (a) *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*, maxime peccatur his poſtulationibus terrenarum, & caducarum rerum. Ergo petenda ſunt bona hæc, ut oportet, ne perperam aliquid poſtulantes reſponſum illud a Deo feramus, (b) *Neſcitis, quid petatis.* Erit autem certa judicandi nota, quæ prava ſit, quæve recta petitio, conſilium, & propoſitum poſtulantis. Nam ſi quis terrena petit eo animo, ut illa omnino bona exiſtimet, & in illis tanquam in optato fine conquieſcens, nihil præterea requirat, ſine dubio non orat, ſicut oportet: *Non enim*, inquit S. Auguſtinus, *petimus temporalia hæc, tanquam bona noſtra, ſed tanquam neceſſaria noſtra.* Apoſtolus etiam in Epiſtola ad Corinthios docet, omnia, quæ ſpectant ad uſus vitæ neceſſarios, ad Dei gloriam referri oportere: (c) *Sive enim manducatis*, inquit, *ſive bibitis, ſive aliud facitis, omnia in Gloriam Dei facite.*

Temporalia bona iuxta Dei præſcriptum ſunt poſtulanda. Vide D. Th. in 2. 2. q. 83. art. 6.

a) *Rom. 8. 26.*

b) *Matth. 20. 22.*

In petitione rerum temporalium qualitas orationis ex propoſita poſtulantis eſt metienda.

S. Aug. l. 2. de ſer. Domin. in mon. cap. 16.

c) *1. Cor. 10. 31. Coloſ. 3. 17.*

4. *Quot, quantisque commoditatibus in ſtatu innocentiæ homo ſit potitus.*

Sed, ut videant Fideles, quantam habeat hæc Petitio neceſſitatem, commemorabunt, Parochi, quanta ad victum, & ad vitam colendam indigentia ſit externarum rerum. Quod

magis intelligent, ſi comparatio fiet eorum quæ primo illi Parenti noſtri generis, & reliquis deinceps hominibus fuerunt ad vivendum neceſſaria. Nam etſi illle in ampliſſimo innocentiæ ſtatu, unde & ipſe, & ejus culpa omnis poſteritas corruit, neceſſe habuiſſet adhibere cibum ad reficiendas vires: tamen inter illius, & noſtræ vitæ neceſſitates multum intereſt. Non enim ei veſtibus ad tegumentum corporis opus fuiſſet, non tecto ad perfugium, non armis ad defenſionem, non remediis ad valetudinem, non aliis multis, quorum ſubſidio nos ad hanc naturæ imbecillitatem, ac fragilitatem tuendam egemus; ſatis ei fuiſſet ad immortalem vitam ille fructus, quem feliciſſima vitæ arbor nullo ejus, aut poſterum labore præbuiſſet. Neque vero futurus erat homo in tantis Paradiſi deliciis otioſus; (a) quem ad agendum Deus in eo voluptatis domicilio collocarat; verum nulla ei opera moleſta, nullum officii munus non jucundum fuiſſet: tuliſſet ille perpetuo ſuaviſſimos fructus ex cultura felicium hortorum, nec eum unquam opera, aut ſpes fefelliſſet.

Primi parentes ſi in ſtatu innocentiæ perſeveraſſent, neceſſario cibouti debuiſſent. Vide D. Th. in 1. p. qu. 97. art. 3.

a) *Gen. 2. 15.*

5. Quanta mala Adæ prævaricationem ſint ſecuta.

At poſterorum proles non ſolum fructu privata vitalis arboris, verum etiam horribili illa ſententia condemnata eſt: (b) *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Nobis igitur contra evenerunt omnia,

b) *Gen. 3. 17. 18.*

at-

atque illi, & posteris contigissent, si Dei dicto audiens fuisset Adam; itaque versa sunt omnia, & mutata in deterrimam partem. In quo illud gravissimum est, quod maximos sumptus, summum laborem, ac sudorem sæpissime nullus fructus consequitur: cum fruges datæ in deteriorem segetem, vel succrescenti agrestium herbarum asperitate opprimuntur, vel nimbis, vento, grandine, uredine, rubigine perculsæ, & prostratæ intereunt; ut omnis anni labor, exiguo tempore, aliqua cœli, vel terræ calamitate recidat ad nihilum. Quod accidit immanitate nostrorum scelerum, a quibus aversus Deus nostris minime benedicit operibus: sed horrenda manet sententia, quam de nobis initio pronunciavit: (a) *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

Opera nostra & omnis labor sæpe inanis, propter scelerum immanitatem. Vide Lev. 26. 16. Deut. 28. 22. Psal. 106. 34.

a) *Gen. 3. 17. 18.*

6. *Homines, ut succurrant suis necessitatibus, laborare tenentur; qui tamen, nisi Deus faveat, frustra laborant.*

Ergo Pastores in hujus loci tractationem incumbent, ut sciat Fidelis Populus, sua culpa homines in has angustias, & miserias incidere: & ut intelligat, desuadendum quidem, & elaborandum esse in parandis iis, quæ ad vivendum sunt necessaria; verumtamen, nisi laboribus nostris benedixerit Deus, fallacem spem, & inanem fore omnem contentionem. Nam (b) *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*: & (c) *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.*

Curandum est, ut laboribus nostris Deus benedicat.

b) *1. Cor. 3. 7.*

c) *Psal. 126. 1.*

7. *Deus rogandus, ut ea, quibus indigemus, suppeditet; quod prolixe facit.*

Docebunt igitur Parochi, esse res pene innumerabiles, quæ si nobis desint, vel vitam amittimus, vel agimus insuavem. Hac enim cognita rerum necessitate, naturæque imbecillitate, Christianus Populus Cœlestem Patrem adire cogetur, ab eo terrena, & cœlestia bona
a) *Luc.* 15. 16. 17. suppliciter petere. Imitabitur (a) Prodigum illum filium, qui cum in regione longinqua cæpisset egere, nec esset, cum esuriret, qui ei siliquas daret, aliquando ad se rediens intellexit, malorum, quibus premebatur, nusquam nisi a patre esse expetendum remedium. Quo loco accedet etiam fidentius ad orandum Fidelis Populus, si in cogitatione Divinæ Benignitatis recordabitur, paternas aures perpetuo patere filiorum vocibus. Nam dum hortatur nos, ut panem petamus, ea se recte petentibus abunde largiturum pollicetur. Docendo enim, quomodo petamus, hortatur, hortando impellit, impellendo spondet, spondendo nos in spem certissimæ impetrationis inducit.

Deus filios suos fidenter necessaria petentes exaudit. Vide Matth. 7. 9. 10. 11.

8. *Quid* Panis *nomine intelligatur, quæque hujus Petitionis sit sententia.*

Excitatis igitur, & inflammatis animis Fidelis Populi, sequitur, ut, quid hac Petitione postuletur; declarandum sit: primum, quid sit ille Panis, quem petimus. Sciendum igitur est,
b) *Gen.* 18. 24. 31. 37. 43. & *alibi* 10. *Eccl.* 15. *doctrinam salutarem. Luc.* 14. 15. in Divinis Literis hoc (b) Panis nomine multa quidem significari, sed illa duo præcipue; primum quidquid in victu, cæterisque rebus ad corpus, vitamque tuendam adhibemus; deinde quicquid nobis ad spiritus, & animæ vitam, ac

salu-

salutem Dei munere tributum est. Petimus autem hoc loco hujus, quam in terris agimus, vitæ subsidia, Sanctorum (a) Patrum ita sentientium auctoritate.

a) *Cypr. lib. de Orat. Dom. Basil. in reg. brev. inter. 252. Quod terrena petere liceat.*

2. *Temporalia a Deo beneficia peti posse demonstratur.*

Quamobrem minime sunt audiendi, qui dicunt non licere Christianis hominibus a Deo petere terrena hujus vitæ bona. Nam huic adversantur errori, præter consentientem Patrum sententiam, exempla permulta tum veteris, tum novi Testamenti. Jacob enim vovens sic orabat: (b) *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum: reversusque prospere fuero ad domum Patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Salomon etiam certum petebat hujus vitæ subsidium, cum illud precabatur: (c) *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* Quid quod Salvator humani generis illa jubet petere, quæ nemo negare audeat ad corporis usum pertinere? (d) *Orate*, inquit, *ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato.* Quid dicemus de sancto Jacobo? cujus illa sunt verba: (e) *Tristatur aliquis vestrum? oret: æquo animo est? psallat.* Quid de Apostolo? qui sic cum Romanis agebat: (f) *Obsecro vos fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per Charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa.* Quare, cum & divinitus concessum

b) *Gen. 28. 20.*

c) *Prov. 30. 8.*

d) *Matth. 24. 20.*

e) *Jacob. 5. 13.*

f) *Rom. 15. 30.*

sit

sit Fidelibus, ut petant hæc subsidia rerum humanarum, & perfecta hæc a Christo Domino tradita sit orandi formula; ne illud quidem dubium relinquitur, unam ex septem esse Petitionem.

10. Panis *nomine quid hic ad corporis necessitatem pertinere intelligatur.*

Petitionis sententia illustratur.

Panis nomen interdum victum, & amictum significat.

Petimus præterea *Panem quotidianum*, id est, victui necessaria; ut panis nomine, quod satis sit & vestium ad tegendum, & cibi ad vescendum, sive panis is sit, sive caro, sive pisces, sive quodcunque aliud, intelligamus. Videmus enim usum esse hoc loquendi modo Eliseum, a) 4. *Reg.* 6. 22. cum Regem moneret, (a) ut preberet panem militibus Assyriis, quibus magna ciborum copia data est. Illud etiam de Christo Domino b) *Luc.* 14. 1. scriptum scimus: (b) *Ingressus est in domum cujusdam Principis Phariſæorum Sabbato manducare panem:* qua voce quæ ad cibum, quæque ad potum pertinent, significari videmus. Ad hujus Petitionis absolutum significationem præterea animadvertendum est, hoc panis vocabulo non abundantem, & exquisitam, ciborum, ac vestium copiam, sed necessariam ac simplicem intelligi c) 1. *Tim.* 6. 8. debere, quemadmodum Apostolus scripsit: (c) *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti* d) *Prov.* 30. 8. *simus:* & Salomon, ut diximus, (d) *Tribue tantum victui meo necessaria.*

Panis nomen non delicias, sed necessaria vitæ includit.

11. Cur non simpliciter panem, sed panem nostrum *hic petamus.*

Quem primo Panem nostrum hic dicamus.

Hujus quoque frugalitatis, & parsimoniæ illa voce, quæ proxime sequitur, admonemur. Cum enim *nostrum* dicimus, Panem illum ad necessitatem nostram, non ad luxuriam

riam petimus: non enim noſtrum dicimus, quia eum nobis opera noſtra, ſine Deo, parare poſſimus: eſt enim apud Davidem: (a) *Omnia a te expectant, ut des illis eſcam in tempore: dante te illis, colligent: aperiente manum tuam, omnia implebuntur bonitate:* & alio loco: (b) *Oculi omnium in te ſperant, Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno:* ſed quia neceſſarius eſt, & a Parente omnium Deo, (c) qui omnes ſua providentia alit animantes, nobis attributus.

a) *Pſal.* 103. 27. 28. 29.

b) *Pſal.* 144. 15.

c) *Pſ.* 146. 10.

12. Labore noſtro parandus eſt nobis panis, quem eſſe volumus, ſi noſtrum Panem poſtulamus.

Ob eam quoque cauſam Panis noſter appellatur, quod jure eſt a nobis acquirendus, non injuria, fraude, aut furto parandus, quæ enim nobis malis artibus concilianus, non noſtra ſunt, ſed aliena; ſæpiuſque illorum calamitoſa eſt vel adeptio, vel poſſeſſio, vel certe jactura. Contra vero honeſtis, & laborioſis piorum hominum lucris ex Prophetæ ſententia tranquillitas ineſt, & magna felicitas. (d) *Labores enim,* inquit, *manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Jam vero iis, qui juſto labore victum quærunt, fructum ſuæ benignitatis eo loco pollicetur Deus. *Emittet Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum, benedicetque tibi.*

Secundo panis noſter dicitur juſto labore paratur.

d) *Pſal.* 127. 2.

Deut. 28. 8.

Neque ſolum petimus a Deo nobis, ut illo uti liceat, quod noſtro ſudore, ac virtute peperimus, ejus adjumento benignitatis, (id enim vere dicitur noſtrum) ſed etiam bonam mentem poſtulamus, ut recte partis recte item, ac prudenter uti poſſimus.

Poſtulatur etiam hic, ut noſtro pane recte utamur.

13. Qua-

13. *Quare & hæc particula*, Quotidianum, *adjiciatur.*

Prima ratio, ob quam Panem quotidianum postulare iubeamur. Deliciæ, & habendi cupiditas reprehensa.

Quotidianum. Huic etiam voci subjecta est ea notio frugalitatis, ac parsimoniæ, quam proxime diximus. Non enim multiplicem, aut delicatum cibum postulamus, sed eum, qui naturæ necessitati satisfaciat: ut eos pudeat hoc loco, qui fastidio communis cibi, & potionis, conquisitissima escarum, ac vinorum genera persequuntur. Nec minus hac voce, *Quotidianum*, improbantur ii, quibus horrendas illas minas

a) *Isa.* 5. 8. proponit Isaias: (a) *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Etenim est inexplebilis horum hominum cupiditas, de quibus illud scriptum est a Sa-

b) *Eccl.* 5. 9. 10. lomone: (b) *Avarus non implebitur pecunia.* Ad quos dictum etiam illud pertinet Apostoli:

c) 1. *Tim.* 6. 9. (c) *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli.*

Quotidianum præterea Panem appellamus, quod vescimur eo ad reficiendum vitalem humorem, qui quotidie consumitur vi naturalis caloris. Est denique illa hujus ratio nominis, quod assidue petendus est, ut in hac consuetudine amandi, & colendi Deum retineamur, nobisque omnino persuadeamus, id quod est, vitam, ad salutem nostram ex Deo pendere.

14. *Quid hæc duo verba*, Da nobis, *sibi velint.*

Da nobis. Quantam hæ duæ voces materiam præbeant ad cohortandos Fideles, ut infinitam Dei potentiam pie, sancteque colant, ac

d) *Psal.* 23. 49. & 94. 4. *Esther* 13. 9. venerentur, in (d) cujus manu sunt omnia;

&

& ut nefariam illam Satanæ ſententiam deteſtentur, (a) *Mihi tradita ſunt omnia, & cui volo, do illa*, nemo non videt. Nam unius nutu Dei diſtributa cuncta & conſervantur, & augentur.

a) *Luc. 4. 6. Dei nutu cuncta diſtribuuntur, & conſervantur.*

15. Cur divites, etiamſi rebus omnibus abundent, his verbis uti debeant.

Sed quæ divitibus hæc eſt impoſita neceſſitas, dixerit quiſpiam, petendi quotidianum Panem, cum rebus omnibus abundent? Hæc illis neceſſitas eſt orandi in hunc modum, non ut dentur eis, quorum Dei benignitate habent copiam; ſed ne, quæ abunde illis adſunt, amittant. Quamobrem, ut ſcribit Apoſtolus, (b) hinc diſcant divites non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum. Hujus autem neceſſariæ Petitionis affert hanc cauſam ſanctus Chryſoſtomus, non ſolum ut nobis ſuppetat cibus, ſed ut eum ſuppeditet nobis Domini manus, quæ ſalubrem, atque adeo ſalutarem vim inſerens pani quotidiano, efficit, ut & cibus corpori proſit, & corpus animæ ſerviat.

b) *1. Tim. 6. 17.*

Cur petimus, ut Deus det nobis Panem? Chryſ. Hom. 14. oper. imperf. in Matth.

16. Cur, da nobis, *non*, da mihi, *dicamus.*

Sed quid eſt, quamobrem, *Da nobis*, numero multitudinis dicimus, non autem, *mihi?* quia proprium illud eſt Chriſtianæ Charitatis, non (c) ut quiſque de ſe uno ſollicitus ſit, ſed ut præterea de proximo laboret, & in cura ſuæ utilitatis meminerit etiam aliorum. Accedit eo, quod quæ alicui munera divinitus tribuuntur, non idcirco tribuuntur, ut ſolus ea poſſideat, vel in illis luxurioſe vivat, ſed ut cum aliis

c) *1. Cor. 13. 5. Vide item Cypr. in lib. de Orat. & D. Thom. in 2. 2. q. 82. art. 7. ad 1.*

aliis communicet, quæ neceſſitati ſuperfuerint. Nam inquiunt ſancti Baſilius, & Ambroſius: *Eſurientium panis eſt, quem tu detines; nudorum indumentum eſt, quod tu recludis: miſerorum redemptio eſt, & abſolutio, pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo ſcias invadere bona, quot poſſis præſtare, & nolis.*

Baſil. Homil. 6. Variorum argument. quam deinde D. Ambroſ. latinam fecit, eſtque inter eius ſerm. 81. in fine tat.

17. Quid vocula, Hodie, *hic appoſita inſinuet.*

Hodie. Admonet nos hæc vox communis infirmitatis. Quis enim eſt, qui, ſi minus ſua unius opera providere ſe poſſe ſperat in longinquum tempus neceſſarios vitæ ſumptus, ſaltem in diem victus ſubſidia paraturum non confidat? Sed ne hujus quidem fiduciæ facultas nobis a Deo permittitur, qui nos ſingulorum etiam dierum cibum a ſe petere juſſit. Quæ ſententia habet neceſſariam illam rationem, quia quotidiano pane egemus omnes, quotidie etiam Dominica precatione ſingulis utendum eſſe. Hæc de pane, qui ore perceptus corpus alit, atque ſuſtentat; qui communis Fidelium, & infidelium, piorum, & impiorum, admirabili Dei bonitate, (a) *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*, omnibus impertitur.

Vocula Hodie *duo inſinuat.*

Oratio Dominica quotidie dicenda.

a) *Matt.* 5. 45. *Luc.* 6. 27.

18. Quidnam ſpirituali pane, qui amplitudine hujus Petitionis etiam includitur, hic intelligendum ſit.

Reliquus eſt ſpiritualis panis, quem etiam hoc loco petimus; quo ſignificantur omnia, quæcunque in hac vita ad ſpiritus, & animæ ſalutem, & incolumitatem requiruntur. Ut enim multiplex eſt cibus, quo corpus alitur, & ſuſtentatur: ſic non eſt unius generis eſca, quæ ſpiritus, & animæ vitam continet: nam &

Cibus animæ, ut & corporis, eſt multiplex.

ver-

verbum Dei cibus est animæ. Sapientia enim inquit: (a) *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Hujus autem verbi facultatem cum adimit Deus hominibus, quod efficere solet, cum gravius nostris sceleribus offenditur, fame dicitur premere genus humanum. Sic enim est apud Amos: (b) *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Ut autem illud est certum propinquæ mortis signum, cum non possunt homines vel cibum sumere, vel sumptum retinere: sic magnum est desperatæ salutis argumentum, cum vel non quærunt verbum Dei, vel, si adsit, non sustinent, & eam impietatis vocem in Deum effundunt: (c) *Recede a nobis: scientiam viarum tuarum nolumus.* In hoc furore animi, & mentis cæcitate versantur illi, qui, neglectis iis, qui legitime eis præsunt, Catholicis & Episcopis, & Sacerdotibus, a Sancta Romana Ecclesia desciscentes, corruptoribus verbi Dei hæreticis se in disciplinam tradiderunt.

Verbum Dei Panis.

a) *Prov. 9. 5. Quomodo Deus fame verbi sui homines premat.*

b) *Amos 8. 11. Desperata est reipublicæ salus, in qua verbum Dei reiicitur.*

c) *Job. 21. 24.*

19. *De vero pane supersubstantiali, qui est Christus Dominus.*

Jam vero panis est Christus Dominus, animæ cibus. Inquit enim ipse de se: (d) *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Incredibile est, quanta voluptate, ac lætitia perfundat piorum animas hic panis, tum cum maxime terrenis molestiis, & incommodis conflictantur. Exemplo nobis est sanctus ille chorus Apostolorum, de quibus extat: (e) *Ille quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Re-

d) *Joan. 6. 41.*

e) *Act. 5. 41.*

ferti sunt; hujusmodi exemplis libri de vita sanctorum hominum, & de intimis his bonorum gaudiis ita loquitur Deus: (a) *Vincenti dabo manna absconditum.*

a) *Apoc.* 2. 17.

20. *Christus in Eucharistiæ sacramento vere continetur, atque ideo proprie* panis noster *dicitur.*

Sacramentum corporis Christi panis est anima. Sic hanc Petitionem interpretatur Tertull. lib. de Orat. Cypr. item. & Aug. & alii.

Præcipue autem *panis noster* est ipse Christus Dominus, qui in Sacramento Eucharistiæ substantialiter continetur. Hoc inexplicabile pignus charitatis dedit nobis rediturus ad Patrem, de quo dixit: (b) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* (c) *Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum.* Ea petent Parochi, quæ ad Fidelis Populi utilitatem pertinebunt, eo ex loco, quo seperatim hujus Sacramenti vis, ac ratio continetur. Et vero dicitur hic Panis noster, quia Fidelium modo hominum est, id est eorum, qui charitatem cum fide conjungentes, Pœnitentiæ Sacramento sordes eluunt peccatorum; qui non dimittentes memoriam, se Dei filios esse, Divinum Sacramentum sumunt, & colunt, quanta maxima possunt sanctitate, ac veneratione.

b) *Joan.* 6. 56.
c) *Matt.* 26. 26. 1. *Cor.* 11. 24. *Marc.* 14. 22. *Luc.* 22. 19.

21. *Cur Eucharistia* quotidianis noster Panis *dicatur.*

Quotidianus vero quamobrem dicatur, in promptu duplex ratio est: altera, quod in sacris Christianæ Ecclesiæ Mysteriis quotidie & offertur Deo, & datur pie, sancteque postulantibus: altera, quod quotidie sumendus est, vel certe ita vivendum, ut quotidie, quoad ejus fieri possit, digne sumere queamus. Audiant, qui contra sentiunt, nisi longo intervallo

Frequenter communicandum.

salu-

ſalutaribus his epulis animæ veſci non oportere, quid ſanctus dicat Ambroſius : *Si quotidianus eſt Panis, cur poſt annum illum ſumis ? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit : ſic vive, ut quotidie mereari accipere.* S. Ambr. in l. 5. de Sacram. c. 4.

22. *Quomodo affecti eſſe debeamus, ſi petitum Panem mox non impetremus.*

Sed in hac petitione ad illud præcipue cohortandi ſunt fideles, ut, cum recte & conſilium, & induſtriam ſuam poſuerint in comparandis rebus vitæ neceſſariis, rei exitum Deo permittant, ſuumque deſiderium ad ejus referant voluntatem, (a) *Qui non dabit in æternum fluctuationem juſto;* nam vel concedet Deus, quæ petuntur, & ita ſuum optatum conſequentur ; vel non concedet, & id erit certiſſimum argumentum, nec ſalutare illud eſſe, nec utile, quod piis a Deo negatur, cui magis curæ eſt de eorum ſalute, quam illis ipſis. Quem locum inſtruere poterunt, explicandis iis rationibus, Parochi, quæ a ſancto Auguſtino in Epiſtola ad Probam præclare colliguntur. a) Pſal. 54. 23. S. Aug. in ep. 121. ad Probam c. 14.

23. *Cujus rei meditandæ occaſio ſe hic exhibeat.*

Extremum illud erit in hujus tractatione Petitionis, ut meminerint divites facultates ſuas, & copias Deo acceptas referre, cogitentque, ſe idcirco illis bonis eſſe cumulatos, ut illa diſtribuant indigentibus. In quam ſententiam conveniunt, quæ in (b) prima Epiſtola ad Timotheum ab Apoſtolo differuntur, unde magnam vim Parochis petere licebit Divinorum Præceptorum, ad hunc locum utiliter, & ſalutariter illuſtrandum. b) 1. Tim. 6. 17. 18. 19.

DE QUINTA PETITIONE.

CAPUT XIV.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

1. Ex Paſſione Chriſti omnium peccatorum noſtrorum remiſſio emanavit.

Nihil magis charitatem Dei erga hominem declarat quam Dei paſſio. Vide Jo. c. 3. 15. Rom. 5. 5. 8. 7. Hebr. 9. 9. 15. 1. Joan. 4. 9. Apoc. 1. 5.

Cum ita multa ſint, quæ infinitam Dei potentiam, cum pari ſapientia, ac bonitate conjunctam ſignificent, ut quocunque oculos, cogitationemque converteris, certiſſima ſigna immenſæ poteſtatis, ac benignitatis occurrant; nihil profecto eſt, quod ſummum ejus amorem, & admirabilem in nos charitatem magis declaret, quam inexplicabile Myſterium Jeſu Chriſti Paſſionis: unde perennis ille fons ad eluendas peccatorum ſordes erupit, quo perfundi, & expiari, Deo duce, ac largitore, exoptamus, cum illud ab eo petimus: *Dimitte nobis debita noſtra.*

2. Quid hæc quinta Petitio contineat.

Continet autem hæc petitio ſummam quandam eorum bonorum, quibus per Jeſum Chriſtum cumulatum eſt humanum genus. Id enim docuit Iſaias: (a) *Dimittetur*, inquit, *iniquitas domui Jacob; & iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.* Quod David etiam oſtendit, beatos prædicans eos, qui ſalutarem illum fructum per-

a) *Iſa. 25. 9. Vide eundem 5. 3. 4. 5. 6. Rom. 4. 26. 2. Cor. 15. 5.*

ci-

cipere potuerunt, his verbis: (a) *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.* Quare est accurate, ac diligenter Pastoribus hujus postulationis animadvertenda, & exponenda sententia, quam ad cœlestem vitam consequendam tantum valere intelligimus.

a) *Psal.* 32. 1. *Rom.* 4. 7. *Quomodo ante Christi adventum passio sit operata remissionem nostrorum peccatorum.*

3. *Quomodo hic non sit eadem precandi ratio, quæ in superioribus fuit.*

Vide D. Thom. 3. p. q. 49. art. 1. D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 9.

Ingredimur autem novam precandi rationem. Nam hactenus a Deo non solum æterna, & spiritualia bona, sed caduca, & quæ ad hanc vitam pertinent, commoda petivimus: nunc vero mala deprecamur & animæ, & corporis, & hujus, & sempiternæ vitæ.

4. *Quæ in eo, qui veniam peccati impetrare velit, requirantur.*

Sed, quoniam ad impetrandum, quod postulamus, requiritur recta postulandi ratio; quomodo affectos esse oporteat eos, qui Deum hoc modo orare velint, dicendum videtur. Monebunt igitur Parochi fidelem populum, primum necesse esse, ut is, qui ad hoc petendum velit accedere, suum ipse peccatum agnoscat; deinde, ut ejus sensu, ac dolore commoveatur: tum, ut sibi omnino persuadeat, Deum in hac esse voluntate, ut iis, qui peccaverunt, ità, ut diximus, affectis, & comparatis ignoscat: ne forte acerbam delictorum recordationem, ac recognitionem illa veniæ desperatio consequatur, quæ olim (b) Cain, & (c) Judæ animum occupavit, qui Deum modo vindicem, & ultorem, non etiam mitem, & misericordem existimarunt. Ergo in hac petitione sic affecti simus oportet, ut dolenter peccata

Agnitio peccati est primus ad pœnitentiam gradus. Bern. ser. 3. de S. Andrea. Secundo dolor de peccatis est ad peccati remissionem necessarius. Aug. ep. 43. ad Vin. & habetur de pœn. d. 1. c. Neminem. Tertius gradus spes veniæ.

b) *Gen.* 4. 13. c) *Matt.* 27. 4. *Act.* 1. 18.

noſtra recognoſcentes, ad Deum, tanquam ad parentem, non quaſi ad judicem confugiamus, a quo, non ut ex juſtitia nobiſcum agat, ſed ex miſericordia, poſtulemus.

5. Quibus rationibus homo ad agnitionem peccatorum perducatur.

Nemo eſt, qui, ſe peccatorem eſſe, agnoſcere non debeat, & egere Dei gratia.

Facile autem adducemur, ut peccatum noſtrum agnoſcamus, ſi ipſum audierimus Deum nos in ſacris Literis hujus rationis admonentem; eſt enim illud apud Davidem: (a) *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* In eandem ſententiam loquitur Salomon: (b) *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quo illud etiam pertinet: (c) *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Quod idem a ſancto Joanne ad deterrendos homines ab arrogantia ſcriptum eſt: (d) *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et a Hieremia: (e) *Dixiſti: abſque peccato, & innocens ego ſum, & propterea avertatur furor tuus a me; ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris, non peccavi.* Quorum ſententias omnium idem, qui eas eorum ore protulerat, Chriſtus Dominus hoc petitionis præſcripto confirmat, quo jubet nos delicta noſtra confiteri. Id enim ſecus interpretari prohibuit auctoritas Milevitani Concilii, in hunc modum: *Placuit, ut, quicunque verba ipſa Dominicæ Orationis, ubi dicimus*, Dimitte nobis debita noſtra, *ita vult a Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema ſit.* Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimit-

a) *Pſal.* 13. 3. *Rom.* 3. 10.

b) *Eccl.* 7. 21. 3. *Reg.* 8. 46. 2. *Paral.* 6. 36.

c) *Prov.* 20. 9.

d) 1. *Joan.* 1. 8. *Job.* 14. 4. *Nemo mundus a ſorde, &c. juxta verſionem* LXX. *interpretum.*

e) *Hier.* 2. 35. *Sed legat Parochus totum hoc caput, ex quo multa ad concionandum argumenta deſumet. Milevitanum Conc. can.* 8. *&* 9. *Item Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *de Juſtificatione c.* 11.

mitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere?

6. Quo pacto post agnitum peccatum dolor remordens, & vera ejusdem Pœnitentia in animo excitetur.

Verum in necessaria recognitione peccatorum non est satis, illa leviter recordari. Nam, ut acerba nobis sit ea memoria, ut cor pungat, animum stimulet, & dolorem inurat, necesse est. Quare pertractabunt locum hunc diligenter Parochi, ut non solum facinorum, ac flagitiorum suorum meminerint fideles auditores, sed ut moleste, dolenterque meminerint; ut, cum angantur intimis sensibus, conferant se ad Patrem Deum, a quo, ut inhærentes evellat scelerum aculeos, suppliciter petant. Nec vero solum erratorum turpitudinem studebunt subjicere oculis fidelis populi, verum etiam indignitatem, ac sordes hominum; qui, cum nihil simus, nisi putida caro, nisi summa fœditas, incomprehensibilem illam Dei majestatem, & inexplicabilem præstantiam incredibilem in modum audeamus offendere; præsertim a quo procreati, liberati, innumerabilibus, maximisque beneficiis aucti sumus.

De hominum vanitate lege Isa. 40. 6. 7. Eccl. 14. 18. Jacob. 1. 10. 1. Petr. 1. 24. Job. 7. 10. De Dei incomprehensibili majestate vide Job. 9. & 12. Hier. 10.

7. Quomodo per peccatum gravissimæ Diaboli servituti nos tradamus.

Ut quid? Ut (a) abalienati a Patre Deo, qui summum bonum est, turpissima peccati mercede, (b) Diabolo nos addicamus in miserrimam servitutem, neque enim dici potest, quam crudeliter ille dominetur in eorum animis, qui, repulso suavi jugo Dei, ruptoque charitatis amabilissimo nodo, quo parenti Deo Spi-

a) *Hier. 3. per totum, & 5. per totum.*

b) *Diabolo sese per peccatum homines addicunt.*

ritus noſter adſtringitur, ad hoſtem acerrimum
a) *Joan.* 12. 32. & 14. 30. deſciverunt, qui eo nomine (a) *Princeps*, & (b) *Rector mundi*, & *Princeps tenebrarum*, & (c) *Rex ſuper ſuper univerſos filios ſuperbiæ* dicitur in divinis Literis. In eos autem, qui Dæmonis tyrannide opprimuntur, vere convenit illa vox
b) *Eph.* 6. 12.
c) *Job.* 41. 25.
d) *Iſa.* 26. 13. Iſaiæ: (d) *Domine Deus noſter, poſſederunt nos domini abſque te.*

8. Quanta mala peccatum in animam invehat.

Hæc ſi nos minus movent rupta fœdera charitatis, moveant certe calamitates, & ærumnæ, in quas per peccatum incidimus. Violatur enim Sanctitas animæ, quam (e) Chriſto deſponſam eſſe ſcimus: profanum fit illud idem (f) Templum Domini, quod qui contaminant, in eos dicit Apoſtolus: (g) *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Innumerabilia ſunt mala, quæ peccatum invehit in hominem: quam pene infinitam peſtem David his verbis expreſſit: (h) *Non eſt ſanitas in carne mea a facie iræ tuæ. Non eſt pax in oſſibus meis a facie peccatorum meorum.* Nimirum norat hanc plagæ vim, cum nullam ſui partem peſtifero peccato intactam fateretur. Pervaſerat enim in oſſa peccati virus, id eſt, rationem, & voluntatem, quæ maxime ſolidæ ſunt animi partes, infecerat. Hanc late patentem peſtem indicant ſacræ Literæ, cum peccatores (i) claudos, (k) ſurdos, (l) mutos, (m) cæcos, & omnibus membris captos appellant. Sed præter dolorem, quem ex peccatorum quaſi ſcelere ſentiebat, magis etiam angebatur David ex ira Dei, quam in ſe propter peccatum commotam intelligebat. Bellum enim eſt ſce-

e) *Anima eſt ſponſa Chriſti. Hier.* 2. 2. *Oſea* 2. 19. 2. *Cor.* 11. 1. *Corinth.* 3.
f) *Eſt templum Domini Spiritus Sancti.* 1. *Cor.* 6. 19.
g) 1. *Cor.* 3. 17.
h) *Pſal.* 37. 4.
i) *Prov.* 26. 6. *Iſa.* 33. 23. *Hier.* 31. 8. *Luc.* 14. 13.
k) *Iſa.* 42. & 43. 8.
l) *Pſal.* 37. 5. *Iſa.* 56. 10.
m) *Iſa.* 42. 43. 56. & 9. 10.

lera-

leratis cum Deo, quorum sceleribus incredibiliter offenditur; inquit enim Apostolus: (a) *Ira, & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Nam, etsi transierit actio peccati, tamen peccatum macula, & reatu permanet, cui semper imminens ira Dei illud insequitur, tanquam umbra corpus.

Bellum est sceleratis cum Deo. Isa. 59.

a) *Rom. 2. 2. 8. 9.*

Peccato commisso remanet macula & reatus.

9. *Quomodo perspecta peccatorum calamitate, ad Pœnitentiam converti debeamus.*

Cum igitur David his vulneraretur aculeis, ad petendam delictorum veniam excitabatur: cujus & exemplum doloris, & doctrinæ rationem, ex quinquagesimo ejus Psalmo deprompta, proponent Parochi fidelibus auditoribus; ut Prophetæ imitatione, & ad doloris sensum, id est ad veram pœnitentiam, & ad veniæ spem erudiri possint. Quantam habeat utilitatem hæc docendi ratio, ut ex peccatis dolere discamus, illa Dei apud Hieremiam declarat oratio, qui, cum Israelem ad Pœnitentiam hortaretur, admonebat eum, ut malorum sensum perciperet, quæ peccatum consequuntur. (b) *Vide enim*, inquit, *quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem ejus apud te, dicit Dominus Deus exercituum.* Qui carent necessario hoc recognitionis, ac doloris sensu, ii apud Prophetas, Isaiam, Ezechielem, & Zachariam, (c) cor durum, (d) lapideum, & (e) adamantinum habere dicuntur. Sunt enim instar lapidis nullo dolore molliti, nullum vitæ, id est salutaris recognitionis sensum habentes.

Exemplo Davidis excitandus est animus ad pœnitentiam. Utilitas veræ pœnitentiæ, & contritionis.

b) *Hier. 2. 16.*

c) *Isa. 46. 12. Ezech. 3. 7.*

d) *Ezech. 36. 26.*

e) *Ezech. 7. 12.*

10. *Quibus meditationibus post peccati agnitionem, & detestationem spes impetrandæ veniæ concipienda sit.*

Quomodo spes sit peccatoribus excitanda.

Sed, ne peccatorum gravitate deterritus se populus veniam impetrare posse desperet, ipsum ad spem vocare Parochi debebunt his rationibus; quod & Ecclesiæ Christus Dominus (a) potestatem dedit remittendi peccata, quemadmodum sacrosancti Symboli articulo declaratur; & hac petitione docuit, quanta esset Dei Bonitas, ac liberalitas in genus humanum; nisi enim promptus esset, ac paratus Deus ad condonandum peccata pœnitentibus, nunquam nobis hanc precandi formulam præscripsisset: *Dimitte nobis debita nostra.* Quamobrem illud fixum in animis nostris tenere debemus, fore, ut is paternam misericordiam nobis impertiat, qui ipsam his precibus jussit exposcere.

a) *Matth.* 16. & 18. 19. & *Joan.* 20. 23. *Promptus est Deus ad ignoscendum, si nobis ipsi non desimus, vide Hier.* 31. *Ezech.* 18. 23. *Joel* 2. 13. 14. *Joan.* 3. & *in novo Testamento passim.*

11. *Quomodo, si nos pœniteat, Deus facile peccatis nostris indulgeat.*

Peccatum proprie adversus Deum pugnat.

Nam omnino sub hac petitione illa est subjecta sententia, sic esse in nos affectum Deum, ut vere pœnitentibus libenter ignoscat. Est enim Deus, in quem, abjecta obedientia, peccatur; cujus ordinem sapientiæ perturbamus, quantum est situm in nobis; quem offendimus; quem factis, dictisque violamus. Verum idem est ille beneficentissimus parens, qui, cum possit omnia condonare, non modo se id velle declaravit, sed etiam impulit homines, ut a se veniam peterent, &, quibus verbis id facerent, docuit. Quare nemini dubium esse potest, quin, illo auctore, in nostra potestate sit nobis

Dei

Dei gratiam reconciliare. Et quoniam hæc teſtificatio propenſæ ad ignoſcendum Divinæ voluntatis fidem auget, ſpem alit, charitatem inflammat; operæ pretium eſt ornare hunc locum nonnullis divinis teſtimoniis, & hominum exemplis, quibus maximorum ſcelerum pœnitentibus Deus veniam conceſſerit. Quam ſententiam quoniam perſecuti ſumus, quantum res ferebat, in procœmio hujus Precationis, & in ea Symboli parte, quæ eſt *de Remiſſione peccatorum;* inde aſſument Parochi, quæ ad hunc locum inſtruendum pertinere videbuntur: reliqua haurient ex Divinarum Literarum fontibus.

Pœnitentiæ veræ exempla ſunt iudicio. & 1. Reg. 7. & 2. Reg. 12. 24. & 2. Paralip. 12. 33. & Jonæ 3. per totum. Jud. 7. Novi Teſtamenti exempla notiora ſunt.

12. *Quid in illa petitionis ſententia* debitorum *nomine intelligendum ſit.*

Tum vero eodem utantur inſtituto, quo in cæteris petitionibus utendum duximus, ut intelligant fideles, quid hic *Debita* ſignificent; ne forte decepti ambiguo, aliud ab eo, quam quod petendum ſit, poſtulent.

Deo debemus amorem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. Deut. 6. Matth. 22. 37. Marc. 12. 29. Rom. 13. 8. Gal. 5. 3.

Primum autem ſcire oportet, minime petere nos, nobis ut remittatur amor ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente noſtra, quem omnino Deo debemus, & cujus debiti ſolutio eſt ad ſalutem neceſſaria.

Neque vero, quia *debiti* nomine etiam obedientia, cultus, veneratio, & cætera hujus generis officia continentur, poſtulamus, ut non amplius ea debeamus.

Sed precamur, ut liberet a peccatis; ſic enim ſanctus (a) Lucas eſt interpretatus; qui peccata pro debitis poſuit, ob eam cauſam, quod illis committendis rei efficimur

a) *Luc. 7. 47. Luc. 11. 4.*

Deo,

Deo, & debitis pœnis propoſiti, quas vel ſatisfaciendo, vel patiendo pendimus. Hujus generis debitum fuit, quod Chriſtus Dominus loquutus eſt ore Prophetæ: (a) *Quæ non rapui, tunc exſolvebam.* Qua Dei verbi ſententia licet intelligere, non ſolum nos debitores eſſe, ſed etiam non eſſe ſolvendo, (b) cum peccator per ſe ſatisfacere nullo modo poſſit.

a) *Pſal.* 68. 5.

b) *Luc.* 7. 41. *Chriſti implorandum patrocinium ut ex theſauro paſſionis eius præſtetur, quo contracta per peccatum debita noſtra diſſolvantur.*

13. Cum peccator per ſe non ſit ſolvendo, unde debito per peccatum contracto ſatisfieri poſſit.

Quare confugiendum nobis eſt ad Dei miſericordiam: cui quia (c) par juſtitia reſpondet, cujus eſt retinentiſſimus Deus, utendum erit (d) deprecatione, & patrocinio Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſine qua nemo unquam veniam delictorum impetravit, a qua omnis ſatisfaciendi vis, & ratio, tanquam ex fonte, profluxit. Nam pretium illud in cruce a Chriſto Domino perſolutum, & nobiſcum per Sacramenta, re, vel ſtudio, ac deſiderio adhibita communicatum, tanti eſt, ut nobis impetret, & conficiat, quod hac petitione poſtulamus, ut peccata noſtra remittantur.

c) *Pſal.* 100. 1.

d) 1. *Joan.* 2. *Chriſti paſſio eſt fons omnis noſtræ ſatisfactionis.*

14. Hic pro indulgentia, ac remiſſione culpæ venialis, & mortiferæ oratur.

Quo loco non id modo pro levibus erratis, & facillimis ad impetrandam veniam, ſed pro gravibus, & mortiferis peccatis deprecamur: quæ precatio in ſcelerum gravitate pondus non habebit, niſi id a Pœnitentiæ Sacramento, re, vel certe deſiderio ſuſcepto, ut jam dictum eſt, aſſumpſerit.

Pro remiſſione peccatorum venialium, & capitalium fit hac oratio.

15. Non

15. Non eadem ratio, cur debita noſtra *his dicamus, quæ fuit, dum* Panem noſtrum *peteremus.*

Dicimus autem *Debita noſtra* longe aliter, atque *Panem noſtrum* antea diximus. Noſter enim ille eſt panis, quia nobis Dei munere tribuitur: at peccata noſtra ſunt, quia illorum culpa reſidet in nobis: nam noſtra voluntate ſuſcipiuntur, quæ peccati vim non haberent, niſi eſſent voluntaria. Nos igitur eam culpam ſuſtinentes, & confitentes, ad expiandum peccata neceſſariam Dei clementiam imploramus. In quo non utimur excuſatione cujuſquam, nec cauſam in quenquam transferimus, ut primi homines (a) Adam, & Eva fecerunt: ipſi nos judicamus, illam, ſi ſapimus, Prophetæ precationem adhibentes: (b) *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.*

Aliter Panem noſtrum, aliter debita noſtra dicimus. Peccatum omne voluntarium. Aug. lib. 1. retract. c. 13. & 15. & l. de vera rel. c. 14. & alibi ſæpe. vide Magr. in 2. d. 41. lit. C. & F.

a) *Gen. 3. 12. 13.*

b) *Pſal. 140. 4.*

16. Cur in numero multitudinis, dimitte nobis debita, *poſtulemus.*

Nec vero dicimus, *Dimitte mihi*, ſed, *nobis*: quod fraterna neceſſitudo, & charitas, quæ inter omnes homines intercedit, a nobis ſingulis poſtulat, ut de communi proximorum ſalute ſoliciti, cum pro nobis preces facimus, pro illis etiam deprecemur. Hunc orandi morem a Chriſto Domino traditum, deinceps ab Eccleſia Dei acceptum, perpetuoque ſervatum, (c) ipſi & maxime tenuerunt Apoſtoli, &, ut cæteri adhiberent, auctores fuerunt. Hujus autem flagrantis ſtudii, & cupiditatis in deprecando pro ſalute proximorum habemus in utroque teſtamento ſanctorum Moyſis, & Pauli præclarum exemplum: Quorum alter ſic

Alii pro aliis orare debemus.

c) *Rom. 1. 9. 2. Cor. 11. 28. 2. Petr. 1. 15.*

Deum

Deum precabatur: (a) *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti:* Alter in hunc modum: (b) *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.*

a) *Exod.* 32. 32.

b) *Rom.* 9. 3.

17. *Quomodo hæc verba,* Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, *sint intelligenda.*

Duplex acceptio particulæ sicut. *Primo.*

Illud, *Sicut*, dupliciter intelligi potest: nam & similitudinis vim habet, cum videlicet a Deo petimus, ut, quemadmodum nos injurias, & contumelias remittimus iis, a quibus læsi sumus, sic ipse nobis peccata condonet.

Greg. lib. 17. *Moral. c.* 6.

Secundo.

Est præterea conditionis nota: in quam sententiam Christus Dominus eam formulam interpretatur. (c) *Si enim dimiseritis hominibus,* inquit, *peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester Cœlestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Verum habet uterque sensus eandem ignoscendi necessitatem: ut, si volumus nobis Deum veniam concedere delictorum, parcamus illis ipsis necesse sit, a quibus injuriam accepimus. Sic enim Deus oblivionem injuriarum, mutuumque studium, & amorem requirit a nobis, ut eorum, (d) qui in gratiam non sunt reconciliati, dona, ac sacrificia rejiciat, & aspernetur.

c) *Matth.* 6. 14. 15. *Marc.* 11. 25. 26. *Eccl.* 28. 3.

d) *Matth.* 10. 24. 25.

18. *Remissio omnium injuriarum probatur esse & naturæ præceptis, & Christi mandatis consentanea.*

Est etiam naturæ lege sancitum, (e) ut tales nos aliis præbeamus, quales eos in nos esse cupimus; vere ut impudentissimus ille sit, qui postulet a Deo, ut suis sceleris pœnam præ-

e) *Matt.* 7. 12. *Luc.* 6. 31. *Tob.* 4. 16.

prætermittat, cum ipſe in proximum animum retineat armatum. Quare parati, & prompti ad ignoſcendum eſſe debent ii, quibus impoſitæ ſunt injuriæ; cum & urgeantur hac precandi formula, & apud ſanctum Lucam id jubeat Deus: (a) *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; &, ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi; &, ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi:* & in Evangelio S. Matthæi ſit: (b) *Diligite inimicos veſtros:* (c) & Apoſtolus, & ante eum (d) Salomon ſcripſerit: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitierit, potum da illi:* & ſit apud S. Marcum Evangeliſtam: (e) *Cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis adverſus aliquem; ut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.*

a) *Luc.* 17. 3.

b) *Matt.* 5. 44.

c) *Rom.* 12. 20.

d) *Prov.* 25. 21.

e) *Marc.* 11. 25.

19. *Quibus rationibus flectendi ſint hominum animi ad lenitatem, quam hic Deus exigit.*

Sed, quoniam depravatæ naturæ vitio nihil ægrius ſit ab homine, quam ut inferenti condonet injurias; omnem conferant Parochi animi, & ingenii vim ad commutandos, & flectendos animos fidelium ad hanc lenitatem, & miſericordiam, Chriſtiano homini neceſſariam. Commorentur in traditione (f) divinorum oraculorum, in quibus audire licet imperantem Deum, inimicis ignoſcendum. Prædicent id, quod veriſſimum eſt, magno eſſe argumento hominibus, eos eſſe Dei filios, ſi facile remittant injurias, & inimicos diligant ex animo. Elucet enim, in eo, quod inimicos diligimus, ſimilitudo quædam cum parente Deo, (g) qui ſibi inimiciſſimum, & infeſtiſ-

f) *Prater ſuperiora hac illis indicanda duximus.* *Exod.* 23. 4. 5. *Lev.* 19. 17. 18. *Deut.* 22. 1. 1. *Reg.* 24. 5. & 26. 10. 11. *Job.* 31. 29. *Pſal.* 7. & 9. *Prov.* 20. 24. *Exod.* 25. 12.

g) *Rom.* 5. 8. 9. 10.

ſtiſſimum genus hominum, Filii ſui morte ab æterno exitio redemptum, reconciliavit. Sit autem hujus cohortationis, & præcepti clauſula illud imperium Chriſti Domini, quod recuſare non poſſumus ſine ſummo dedecore, & pernicie: (a) *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in Cœlis eſt.*

a) *Matt.* 5. 44.

20. *Quomodo cum iis agendum ſit, qui ex animo omnem injuriarum memoriam delere nequeunt.*

Quanta oblivio injuriarum requiratur a Chriſtianis. Vide D. Thom. in 2. 2. q. 25. art. 9.

Verum hoc loco non vulgaris Paſtorum prudentia requiritur, ne quis, cognita hujus difficultate, ac neceſſitate præcepti, ſalutem deſperet. Sunt enim, qui, cum ſe debere intelligant conterere injurias oblivione voluntaria, & eos diligere, qui læſerunt, id cupiunt, & pro viribus faciunt, ſed univerſam memoriam injuriarum ſibi exhauriri non poſſe ſentiunt. Nam reſident in animo quædam reliquiæ ſimultatis; quamobrem magis agitantur conſcientiæ fluctibus, verentes, ne parum ſimpliciter, & candide poſitis inimicitiis, Dei juſſo non obediant. Hic igitur Paſtores (b) contraria ſtudia carnis, & ſpiritus explicabunt, quod illius ſenſus ſit ad vindicationem proclivis, hujus ratio propenſa ad ignoſcendum, hinc inter ipſos perpetuam turbam, ac rixam exiſtere, quare ſaluti minime diffidendum eſſe demonſtrabunt, reclamantibus, & adverſantibus rationi corruptæ naturæ appetitionibus, modo ſpiritus perſtet in officio, & voluntate remittendi injurias, proximumque diligendi.

b) *Matt.* 26. 4. *Rom.* 8. 18. 19. *Gal.* 5. 14.

21. *Qui*

21. *Qui appetitum vindictæ adhuc retinent, possunt, & debent orationem Dominicam absque culpa recitare.*

Quod autem aliqui fortasse fuerint, qui, cum nondum animum inducere possint, ut obliti injurias, ament inimicos: propterea deterriti ea, quam diximus, conditione hujus petitionis, Dominica precatione non utantur; duas has rationes afferent Parochi quibus exitiosum hunc errorem illis eripiant. Nam quivis unus e fidelium numero preces has facit totius Ecclesiæ nomine, in qua pios aliquot esse necesse est, qui debitoribus ea, quæ hic commemorantur, debita remiserunt.

Orant Christiani nomine totius Ecclesiæ. D. Thom. in 2. 2. qu. 83. art. 16.

Accedit eo, quod id a Deo petentes, una etiam petimus, quicquid ad impetrandum in eam petitionem a nobis necessario conferendum est. Petimus enim & veniam peccatorum, & donum veræ pœnitentiæ; petimus facultatem intimi doloris; postulamus, ut a peccatis abhorrere, & illa Sacerdoti vere, ac pie confiteri possimus. Itaque, cum necesse etiam nobis sit parcere iis, qui damnum, aut malum aliquod dederint; cum, ut nobis Deus ignoscat, precamur, simul oramus, ut largiatur facultatem reconciliandi nos illis, quos odimus. Quare deterrendi sunt ab ea opinione, qui inani illo, & pravo timore commoventur, ne sibi Deum reddant offensiorem hac precatione; contraque etiam cohortandi ad frequentem orationis usum, quo a parente Deo postulent, ut sibi det eam mentem, ut iis, qui læserint, ignoscant, & inimicos diligant.

Cum petitur aliquid a Deo, petitur etiam facultas perficiendi illud, quod homini alioqui esse videtur impossibile.

22. Quid illis sit faciendum, qui orationem de remissione peccatorum sibi cupit esse fructuosam.

Sed, ut precatio omnino fructuosa sit, primum hæc in ea est cura, meditatioque adhibenda, nos Deo supplices esse, & ab eo veniam petere, quæ non datur nisi pœnitenti: itaque nos ea charitate, & pietate præditos esse oportere, quæ pœnitentibus conveniat: convenire autem maxime iis, subjecta quasi oculis propria flagitia, atque facinora lacrymis expiare.

Occasiones peccatorum evitandæ.

Cum hac cogitatione conjungenda est cautio in posterum earum rerum, in quibus fuit aliqua occasio peccandi, quæque nobis ansam dare possint ad offendendum Parentem Deum. In

a) *Psal.* 50. 5. his curis versabatur David, cum diceret: (a) *Et peccatum meum contra me est semper.* Et alio

b) *Psal.* 6. 7. loco: (b) *Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.* Proponat, sibi

Exempla eorum proponenda, qui precibus veniam impetrarunt.

præterea unusquisque ardentissimum orandi studium eorum, qui a Deo precibus impetraverunt

c) *Luc.* 18. 13. veniam delictorum: (c) Ut publicani illius, qui longe consistens præ pudore, ac dolore, & oculis humi defixis, tantum pulsabat pectus, eam habens orationem: *Deus propitius esto mihi*

d) *Luc.* 7. 38. *peccatori.* Tum (d) illius peccatricis mulieris, quæ Christo Domino, retro stans, rigatos a se ejus pedes, & capillis etiam absterso osculabatur: (e) Petri denique Principis Apostolorum,

e) *Matth.* 26. 75. *qui egressus foras flevit amare.*

23. Quæ sint præcipua ad sananda animæ vulnera remedia.

Remedia præcipua ægrotantis animæ sunt Pœnitentia, & Eucharistia.

Deinde cogitandum est, quo infirmiores sunt homines, & ad morbos animi, quæ sunt peccata, propensiores, eo pluribus, & frequentiori-

bus

bus medicamentis indigere. Sunt autem ægrotæ animæ remedia, Pœnitentia, & Eucharistia. Hæc igitur sæpissime adhibeat Fidelis Populus. Deinde Eleemosyna, quemadmodum tradunt (a) Divinæ Literæ, medicina est accomodata sanandis animæ vulneribus. Quare qui pie hac prece uti cupiunt, pro viribus benigne faciant egentibus. Quantam enim vim habeat ad delendas scelerum maculas, testis est in Tobia Angelus Domini sanctus Raphael: cujus est illa vox: (b) *Eleemosyna a morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam:* testis est Daniel, qui Nabuchodonosor Regem sic admonebat: (c) *Peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

Eleemosyna virtus.

a) *Vide Deut.* 15. 5. 7. 8. *Tob.* 4. 7. *Psal.* 40. 12. *Prov.* 14. 19. *Eccl.* 3. 33. *Luc.* 11. 12. *& alibi sæpe.*

b) *Tob.* 12. 9.

c) *Dan.* 4. 24.

Optima autem largitio, & impertiendæ misericordiæ ratio est oblivio injuriarum, & bona voluntas erga eos, qui rem, vel existimationem, vel corpus tuum, tuorumve violaverint. Quicunque igitur cupit in se esse maxime misericordem Deum, is ipsi Deo suas donet inimicitias, remittatque omnem offensionem, & pro Hostibus libentissime deprecetur, omnem captans occasionem de illis ipsis bene promerendi. Sed, quoniam hoc argumentum explicatum est, cum homicidii locum tractavimus, eo rejicimus Parochos. Qui tamen hanc petitionem hoc fine concludant, nihil injustius esse, aut fingi posse, quam eum, qui cum hominibus durus sit, ut nemini se det ad lenitatem, idem postulet, ut in se sit mitis, & benignus Deus.

Optima eleemosyna etiam iniuriarum oblivio.

DE SEXTA PETITIONE.

CAPUT XV.

Et ne nos inducas in tentationem.

1. Quantum periculum sit, ne post peccatorum remissionem perceptam iterum in peccatum relabamur.

Bern. serm. 4. de Assumpt. Quomodo Damon eos maxime impugnet, qui ab eo defecerunt. Vide Luc. 11. 24. 25. 26.

NOn dubium est, quin filii Dei post impetratam delictorum veniam cum incensi studio adhibendi Deo cultum, & venerationem, Cœleste Regnum exoptant, & omnia divino numini tribuentes pietatis officia, toti pendent a paterna ejus voluntate, ac providentia; tum eo magis humani generis hostis omnes adversus illos artes excogitet, omnes machinas paret, quibus oppugnentur, sic ut verendum sit, ne, labefactata, & mutata sententia, rursum in vitia delabantur, longeque deteriores evadant, quam antea fuerint: de quibus illud Principis Apostolorum jure dici possit: (a) *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

a) 2. *Pet.* 2. 21.

2. Quomodo Christus nos hac oratione adversus vaferrimi hostis insidias munire voluerit.

Fortis est, quem adversa non frangunt, fortior quem prospera non abiiciunt, fortissimus, qui hac rerum vicissitudine non commovetur.

Quare nobis a Christo Domino datum est hujus petitionis præceptum, ut quotidie nos Deo commendemus, ejusque patriam curam, & præsidium imploremus, minime dubitantes fore, ut, si deferamur divino patrocinio, vaferrimi

rimi hoſtis laqueis irretiti teneamur. Neque vero ſolum in hac orandi regula juſſit a Deo petere, ne patiatur nos induci in tentationem; ſed in illa etiam oratione, quam ad ſacros habuit Apoſtolos ſub ipſum mortis tempus, cum quidem (a) ipſos mundos eſſe dixiſſet, eos hujus officii his verbis admonuit: (b) *Orate, ut non intretis in tentationem.* Quæ iterum a Chriſto Domino adhibita admonitio magnum diligentiæ onus imponit Parochis excitandi fidelem populum ad frequentem hujus uſum precationis, ut, cum tanta hominibus ab hoſte Diabolo in ſingulas horas pericula hujus generis intendantur, a Deo, qui ſolus illa propulſare poteſt, petant illud aſſidue: *Ne nos inducas in tentationem.*

a) *Jo.* 13. 10.

b) *Matt.* 26. *Marc.* 14. 38. *Luc.* 22. 40. *Docuit, ut vigilemus, ne incidamus in peccatum, &c. Ambr. lib.* 5. *ep.* 33. *in medio.*

3. *Quibus præcipue rationibus homines hujus petitionis neceſſitatem intelligere poſſint.*

Intelliget autem fidelis populus, quantopere egeat divini hujus adjumenti, ſi ſuæ imbecillitatis, inſcitiæque meminerit: ſi recordabitur illam Chriſti Domini ſententiam: (c) *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma;* ſi ei venerit in mentem, quam graves ſint, & exitiales hominum caſus, impellente Dæmone, niſi ſuſtineantur dexteræ cœleſtis auxilio. Quod illuſtrius eſſe poſſit humanæ infirmitatis exemplum, quam ſacer ille Chorus Apoſtolorum, (d) qui magno antea animo cum eſſent, primo quoque objecto terrore, relicto Salvatore, diſfugerunt? Etſi illuſtrius etiam eſt illud Principis Apoſtolorum, qui in tanta profeſſione ſingularis & fortitudinis, & amoris in Chriſtum Dominum, cum paulo ante, ſibi bene fidens,

c) *Matt.* 26. 41. *Marc.* 14. 33.

d) *Matt.* 26. 35. 36.

Humanæ imbecillitatis exemplum in Apoſtolis.

ita dixiſſet: (a) *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo:* ſtatim unius voce mulierculæ perterritus, ſe Dominum non noſſe jurejurando affirmavit. Nimirum illi in ſumma ſpiritus alacritate non reſpondebant vires. Quod ſi viri ſanctiſſimi humanæ naturæ fragilitate, cui confidebant, graviter peccaverunt; quid non timendum eſt cæteris, qui ab eorum ſanctitate abſunt longiſſime?

a) *Matth.* 26. 35. 70. 71. *Marc.* 14. 19. 68. 69.

4. Quot, quantiſque tentationum periculis hominum vita ſit expoſita.

A minori ad maius. Pericula, inter quæ fideles verſantur, ſæpius ad memoriam ſunt revocanda.

Quare proponat fideli populo Parochus prælia, & pericula, in quibus aſſidue verſamur, (b) dum anima eſt in hoc mortali corpore, quos undique caro, mundus, & ſatanas oppugnant. Quid ira, quid cupiditas in nobis poſſit, quotuſquiſque eſt, qui magno ſuo malo non experiri cogatur? Quis non his laceſſitur ſtimulis? quis hos non ſentit aculeos? quis ſubjectis non uritur ardentibus facibus? Et quidem tam varii ſunt ictus, tam diverſæ petitiones, ut difficillimum ſit gravem aliquam plagam non accipere. Ac præter hos inimicos, (c) qui habitant, & vivunt nobiſcum, ſunt præterea hoſtes illi acerrimi, de quibus ſcriptum eſt: (d) *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus Principes, Poteſtates, adverſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra Spiritualia nequitiæ in cœleſtibus.*

b) *Job.* 7. 2. *iuxta* 70. *Matt.* 1. 3. 5. 9. *Joan.* 2. 16.

c) *Matt.* 10. 16.

d) *ad Eph.* 6. 12

5. Quam graves ſint Dæmonum in nos inſultus, ex ſententia Divi Pauli exponitur.

Dæmonum poteſtas reliquis rebus antecellit.

Accedunt enim ad intimas pugnas externi impetus, & impreſſiones Dæmonum, qui & aperte nos petunt, & per cuniculos in animas no-

noſtras vix ut ab illis cavere poſſimus. Illos & *Principes* Apoſtolus appellat propter naturæ excellentiam (nam natura hominibus, & cæteris, quæ ſub ſenſum cadunt, creatis rebus antecellunt) & *Poteſtates* vocat, quod non ſolum naturæ vi, ſed poteſtate etiam ſuperant, & *Rectores* nominat *mundi tenebrarum:* non enim clarum, & illuſtrem mundum regunt, id eſt, bonos, & pios, ſed obſcurum, & caliginoſum, nempe eos, qui flagitioſæ, & facinoroſæ vitæ ſordibus, ac tenebris obcæcati, duce tenebrarum Diabolo delectantur. Nuncupat etiam Dæmones *ſpiritualiæ nequitiæ:* eſt enim Carnis, & Spiritus nequitia. Carnalis quæ dicitur nequitia, incendit appetitum ad libidines, & voluptates, quæ percipiuntur ſenſibus. Spiritualia nequitiæ ſunt mala ſtudia, & pravæ cupiditates, quæ ad ſuperiorem pertinent animæ partem; quæ tanto pejores ſunt, quam reliquæ, quanto mens ipſa, & ratio altior eſt, atque præſtantior. Quæ Satanæ nequitia, quia maxime ſpectat illuc, ut cœleſti nos hæreditate privet, propterea dixit (a) Apoſtolus *in cœleſtibus.* Ex quo licet intelligere, magnas eſſe hoſtium vires, invictum animum, immane in nos, & infinitum odium, bellum etiam perpetuum eos gerere nobiſcum, ut nulla pax eſſe cum illis, nullæ induciæ fieri poſſint.

Job. 41. *Vide Gregor. lib.* 34. *mor. c.* 17.

Rectores mundi tenebrarum cur dicantur Dæmones. D. Aug. in Pſal. 8.

Carnalis, & ſpiritualis nequitiæ quæ ſint.

a) *Epheſ.* 6. 12. Ly, *in, accipitur cauſative, hoc eſt propter cœleſtia ſua, facta noſtra.*

6. Quanta ſit diaboli ad tentandum audacia, & perverſitas.

Quantum vero audeant, declarat Satanæ apud Prophetam vox: (b) *in cœlum conſcendam.* (c) Aggreſſus eſt primos homines in Paradiſo, (d) adortus eſt Prophetas, appetivit Apoſtolos,

Quanta dæmonum ſit audacia, & invidia.

b) *Iſa.* 14. 13.
c) *Gen.* 3. 12.
d) *Job.* 1. 1. 1. *Paral.* 21. 1.

ut, quemadmodum apud Evangelistam loquitur Dominus, (a) *cribraret eos, sicut triticum.* (b) Ne ipsum quidem Christi Domini os erubuit, itaque ejus inexplebilem cupiditatem, & immensam diligentiam sanctus Petrus expressit, cum dixit: (c) *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret.* Quamquam non unus modo tentat homines Satan, sed gregatim interdum Dæmones in singulos impetum faciunt: quod ille confessus est Dæmon, (d) qui rogatus a Christo Domino, quod sibi nomen esset, respondit: *Legio mihi nomen est,* nempe Dæmonum multitudo, quæ miserum illum divexarat; & de alio scriptum est: (e) *Assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.*

a) *Luc.* 22. 31.
b) *Matt.* 4. 3.
c) 1. *Pet.* 5. 8. *Dæmones non singuli, sed plures infestant interdum homines.*
d) *Matth.* 8. 28. 29. *Marc.* 1. 9. *Luc.* 8. 30.
e) *Matth.* 12. 43. *Luc.* 11. 26.

7. *Cur perversi minus, pii autem magis a Dæmonibus infestentur.*

Dæmones improbis infesti non sunt. Judith. 11. *Ego nunquam novi virum, &c. Et Luc.* 11. *In pace sunt omnia, quæ possidet. Joan.* 15. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, & hoc est, quia vir bonus est Cœli, malus est telluris alumnus, quos igitur Cœlum diligit, odit humus. Ab exemplo Sanctorum.*

Multi sunt, qui, quod impulsus, atque impetus Dæmonum in se minime sentiunt, totam rem falsam esse arbitrantur: quos ipsos a Dæmonibus non impugnari mirum non est, quibus se sponte tradiderunt: non est in illis pietas, non charitas, non virtus ulla Christiano homine digna, quare fit, ut toti sint in potestate Diaboli: nec ullis tentationibus opus est ad eos evertendos, in quorum jam animis, ipsis libentibus, commoratur. At vero qui se Deo dicaverunt, in terris cœlestem vitam agentes, ii maxime omnium Satanæ incursibus petuntur, hos acerbissime odit, his in singula temporis momenta struit insidias. Plena est Historia Divinarum Literarum Sanctorum hominum,

quos

quos præsenti etiam animo stantes vel vi, vel fraude pervertit. (a) Adam, (b) David, (c) Salomon, (d) aliique, quos enumumerare difficile sit, experti sunt Dæmonum violentos impetus, & callidam astutiam, cui resisti non possit consilio, aut hominum viribus. Quis igitur se suo præsidio satis tutum existimet? Itaque pie, casteque petendum a Deo est, (e) ne nos tentari sinat supra id, quod possumus, sed faciat etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.

a) *Gen.* 3. 2.
b) 2. *Reg.* 11. 2. 3.
c) 3. *Reg.* 11.
d) *Sampson. Jud.* 16. 4. *Saul.* 1. *Reg.* 15. *Ezech.* 4. *Reg.* 20. 13.
e) 1. *Cor.* 10. 13. 2. *Petr.* 2. 9. *Dæmonum in nos potentia limitata est. Apoc.* 2. & 20. *Vide Cassian. coll.* 8. *cap.* 18. *Aug. in Psal.* 61.

8. Dæmones, quantum, aut quamdiu volunt, homines tentare non possunt.

Verum hic fideles confirmandi sunt, si quis animi imbecillitate, aut rei ignoratione Dæmonum vim perhorrescunt, ut ipsi tentationum fluctibus agitati in hunc precationis portum confugiant; non enim Satan in tanta potentia, & pertinacia, in capitali odio nostri generis, nec quantum, nec quandiu vult, tentare nos, aut vexare potest; sed omnis ejus potestas Dei nutu, & permissu gubernatur. Notissimum est exemplum Job, de quo nisi Diabolo dixisset Deus, (f) *Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt*, nihil ejus Satanas attigisset: contra vero, nisi addidisset Dominus, (g) *Tantum in eum ne extendas manum tuam*, uno Diaboli ictu cum filiis ipse, facultatibusque concidisset. Ita autem alligata est Dæmonum vis, ut ne (h) in porcos quidem illos, de quibus scribunt Evangelistæ, non permittente Deo, invadere potuissent.

f) *Job.* 1. 12.
g) *Ibidem* 16.
h) *Matth.* 8. *Marc.* 5. 11. *Luc.* 8. 32.

9. Quid tentandi *vox nobis designet, quaque ratione a Deo tentemur.*

Tentare quid sit. D. Thom. in 1. p. qu. 114. a. 2. & 2. 2. q. 97. a. 1.

Sed ad intelligendam hujus petitionis vim dicendum est, quid hic *tentatio* significet, quid item induci in tentationem. *Est autem tentare, periculum facere de eo, qui tentatur, ut ab ipso, quod cupimus, elicientes, verum exprimamus.* Qui tentandi modus in Deum minime cadit; quid enim est, quod nesciat Deus? (a) *Omnia enim,* inquit, *nuda, & aperta sunt oculis ejus.*

a) *Heb. 4. 13. Psal. 33. 16. Eccl. 15. 20.*

Quomodo Deus hominem tentet, vide item Aug. ep. 146. & in exp. q. 58. & 74.

Est alterum tentandi genus, cum longius progrediendo aliud quæri solet, vel in bonam, vel in malam partem: in bonam, cum ea re tentatur alicujus virtus, ut, illa perspecta, & cognita, is commodis, & honoribus augeatur, ejusque exemplum cæteris imitandum proponatur, ac denique omnes ob idipsum ad Dei laudes excitentur: quæ tentandi ratio sola convenit in Deum. Hujus exemplum tentationis est illud in Deuteronomio: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.* Quo modo etiam tentare suos dicitur Deus, cum inopia, morbo, & aliis calamitatum generibus premit: quod probandæ eorum patientiæ causa facit, & ut aliis documentum sint Christiani officii.

Deut. 13. 3. Vide Aug. in Ps. 5. & 6.

b) *Gen. 22. 1. Vide Aug. lib. 16. de Civ. Dei. c. 32.*

In hanc partem (b) legimus Abraham esse tentatum, ut filium immolaret; quo facto fuit is obedientiæ, & patientiæ exemplum singulare ad memoriam hominum sempiternam. In eandem sententiam dictum est de Tobia: (c) *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.*

c) *Tob. 12. 13.*

10. Quomodo Dæmon homines tentet.

Tentatio deceptionis causa diaboli est propria.

In malam partem tentantur homines, cum ad peccatum aut exitium impelluntur: quod proprium

prium diaboli officium eſt. Is enim eo animo tentat homines, ut decipiat, agatque præcipites: quamobrem (a) *Tentator* in Divinis Literis appellatur. In iis vero tentationibus modo intimos nobis admovens ſtimulos, animæ affectiones, & commotiones adhibet adminiſtras; modo nos exagitans extrinſecus, externis rebus utitur, vel proſperis ad efferendos, vel ad frangendos adverſis; nonnunquam habet emiſſarios, & excurſores, perditos homines, in primiſque hæreticos, qui (b) ſedentes in cathedra peſtilentiæ, malarum doctrinarum mortifera ſemina diſpergunt, ut illos, qui nullum delectum, aut diſcrimen habent virtutis, & vitiorum, homines per ſe proclives ad malum, nutantes, ac præcipitantes impellant.

Aug. ep. 146. & alibi frequenter.

a) *Matt. 4. 3.*

b) *Pſal. 1.*

11. Quibus modis dicatur quis in tentationem induci.

Dicimur autem induci in tentationem, cum tentationibus ſuccumbimus. Inducimur vero in tentationem dupliciter; primum, cum de ſtatu dimoti, in id ruimus malum, in quod tentando nos aliquis impulerit. At nemo quidem a Deo hoc modo in tentationem inducitur: quia nemini eſt peccati auctor Deus; immo vero (c) *Odit omnes, qui operantur iniquitatem.* Sic vero etiam apud ſanctum Jacobum: (d) *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt.*

Quid ſit induci in tentationem, quodque multipliciter fieri poſſit. vide D. Aug. l. 1. de ſer. Dom. in monte, c. 14. Deus peccata non eſt auctor, ſed illud odit.

c) *Exod. 23. 7. & 2. Paral. 19. 7. Job. 24. Pſal. 5. 44. Prov. 15. Sap. 14. 9. Eccl. 15. 21. Oſea 13. & alibi ſæpe. Baſil. in hom. quod Deus non ſit auctor malorum.*

Deinde dicitur, nos in tentationem inducere is, qui, etſi non tentat ipſe, neque operam dat, quo tentemur, tentare tamen dicitur, quia, cum poſſit prohibere, ne id accidat, aut ne tentationibus ſuperemur, non impedit. Hoc modo Deus pios, & bonos tentari quidem ſinit, ve-

d) *Jacob. 1. 13. Quomodo a Deo in tentationem inducamur.*

De hac hominum nequitia, vide Deut. 32. 15. & 1. Reg. 2. & 2. Reg. 12. 9.

verumtamen ſua gratia ſuſtentatos non deſerit. Nec vero interdum juſto, & occulto Dei judicio, noſtris id ſceleribus poſtulantibus, nobis ipſi relicti concidimus.

12. *Beneficia Dei quandoque nos in tentationem inducunt.*

Præterea nos in tentationem Deus inducere dicitur, cum ejus beneficiis, quæ nobis ad ſalutem dedit, abutimur ad perniciem, &

a) *Luc. 15. 12. 23. 14.* (a) patris ſubſtantiam, ut prodigus ille filius, diſſipamus vivendo luxurioſe, noſtris cupiditatibus obſequentes. Quamobrem id dicere poſſumus, quod de lege dixit Apoſtolus:

b) *Rom. 7. 10.* (b) *Inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.* Opportunum rei exemplum eſt Hieroſolyma, teſte Ezechiele: quam Deus omni ornamentorum genere locupletarat, ut ejus ore Prophetæ diceret

c) *Ezech. 16. 14.* Deus: (c) *Perfecta eras, in decore meo, quem poſueram ſuper te:* & tamen illa civitas divinis cumulata bonis, tantum abeſt, ut optime de ſe merito, ac merenti Deo gratiam habens, cœleſtibus beneficiis ad beatitudinem conſequendam, cujus gratia ea acceperat, uteretur; ut ingratiſſima in parentem Deum, abjecta ſpe, & cogitatione cœleſtium fructuum, tantum præſenti abundantia luxurioſe, ac perdite frueretur: quod (d) Ezechiel eodem capite pluribus verbis perſecutus eſt. Quare

d) *Ibid. 19. 20. Ingrati in Deum homines reprehenduntur.* ſunt eodem loco ingrati in Deum homines, qui præbitam ſibi ab eo divinitus uberem materiam recte factorum, ad vitia, illo permittente, convertunt.

13. Quo-

13. Quomodo Scripturæ verba intelligenda sint, quæ de permissione Dei per verba operationem significanda loquuntur.

Sed oportet hunc divinæ Scripturæ morem diligenter attendere, quæ Dei permissionem iis interdum verbis significat, quæ proprie si accipiantnr, tanquam actionem in Deo significant; nam in Exodo sic est: (a) *Indurabo cor Pharaonis*, & apud Isaiam; (b) *Excæca cor populi hujus*, & ad Romanos scribit Apostolus: (c) *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum.* Quibus in locis, aliisque similibus, non id omnino esse actum a Deo, sed permissum intelligendum est.

Mos loquendi Scripturarum improprius, quando verbis activis Dei permissio significatur.

a) *Exod.* 4. 7. 3.
b) *Isa.* 6. 10.
c) *Rom.* 1. 26. 28. *Concil. Trid. sess.* 6. *can.* 6.

14. In hac precationis parte non postulatur, ut prorsus ab omni tentatione immunes simus, sed ne in tentationibus a Deo deseramur.

His vero positis, non erit difficile scire, quid in hac precationis parte postulemus. Nec vero petimus, ne omnino tentemur. (d) *Est enim † tentatio vita hominis super terram.* Est autem ea res utilis, & fructuosa hominum generi: nam in tentationibus nos ipsos, id est vires nostras cognoscimus. Quamobrem etiam (e) humiliamur sub potenti manu Dei, viriliterque decertantes, (f) expectamus immarcescibilem coronam gloriæ. Nam & (g) qui in agone contendit, non coronatur, nisi legitime certaverit: &, ut inquit sanctus Jacobus: (h) *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Quod si urgemur, nonnunquam hostium tentationibus, magnæ nobis erit levationi cogitatio, (i) *habere nos adju-*

Tentationum utilitas.

d) *Job.* 7. *secundum LXX.* † *al. leg. militia.*
e) 1. *Petr.* 5. 6.
f) *Ibidem* 4.
g) 2. *Tim.* 2. 5.
h) *Jac.* 1. 12.
i) *Hebr.* 4. 15.

adjutorem Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatum & ipsum *per omnia.* Quid hic igitur petimus? ne divino præsidio deserti tentionibus vel decepti assentiamur, vel cedamus afflicti: ut presto sit nobis Dei gratia, quæ, cum defecerint nos propriæ vires, in malis recreet, ac reficiat.

15. Quomodo a Deo in nostris tentationibus opem implorare debeamus.

Non modo generatim, sed speciatim postulandum Dei auxilium in tentationibus.

Quare & generatim Dei opem implorare debemus in omnibus tentationibus, & nominatim, cum singulis affligimur, ad precationem confugere oportet. Quod a Davide factum legimus pene in unoquoque tentationum genere. Nam in mendacio sic precabatur: (a) *Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque.* In avaritia ad hunc modum: (b) *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam.* In rebus vero inanibus hujus vitæ, & illecebris cupiditatum, hac prece utebatur: (c) *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Ergo postulamus, ne morem geramus cupiditatibus, neve (d) defatigemur in tentationibus sustinendis, ne (e) declinemus de via Domini, ut tam in rebus incommodis, quam in prosperis, æquitatem animi, constantiamque servemus, & nullam nostri partem Deus sua tutela vacuam relinquat. (f) Petimus denique, ut Satanam conterat sub pedibus nostris.

a) *Psal.*118.43.
b) *Ibid.*36.
c) *Ibid.*37.
d) *Hebr.*12.3.
e) *Deut.*31.29.
f) *Rom.*16.20.

16. Quomodo de tentatione victoria reportari, & quo auctore illa obtineri possit.

Victoriam ex tentatione possumus referre per fiduciam in Deum.

Reliquum est, ut fidelem populum ad ea Parochus cohortetur, quæ in hac precatione maxime cogitare, & meditari oporteat; in qua

erit

erit illa optima ratio, ſi, quanta ſit hominum infirmitas, intelligentes, viribus noſtris diffidamus, &, omni ſpe noſtræ incolumitatis in Dei benignitate collocata, eo freti patrocinio, vel maximis periculis magnum animum habuerimus, præſertim cogitantes, quam multos hac ſpe, atque hoc animo præditos exhiantibus Satanæ faucibus liberarit Deus. An non (a) Joſeph undique circumdatus ardentibus inſanæ mulieris facibus e ſummo ereptum periculo, (b) ad gloriam extulit? an non (c) Suſannam, a Satanæ miniſtris obſeſſam, tum cum nihil propius eſſet, quam ut nefariis ſententiis interficeretur, ſervavit incolumem? neque mirum: (d) *Erat enim*, inquit, *cor ejus fiduciam habens in Domino.* Inſignis eſt laus, & gloria Job, qui de Mundo, de Carne, de Satana triumphavit. Plurima ſunt ejus generis exempla, quibus Parochus diligenter pium populum ad eam ſpem, fiduciamque cohortari debebit.

a) *Gen.* 39. 7. 8. 9. *Pſal.* 140. 18.
b) *Gen.* 41. 38. *& ſeq.*
c) *Dan.* 13. 61. 62.
d) *Ibidem.*

17. *Noſtri certaminis anteſignanus Chriſtus eſt, ſocii Sancti omnes, quos qui non ſequuntur, vecordes ſunt.*

Cogitent etiam Fideles, quem in hoſtium tentationibus ducem habeant, nempe Chriſtum Dominum, qui (e) victoriam ex illo certamine retulit. Vicit ipſe Diabolum. Eſt (f) is ille fortior, qui ſuperveniens fortem ſuperavit armatum, quem & armis nudavit, & ſpoliis. De ejus victoria, quam de Mundo reportavit, eſt apud ſanctum Joannem: (g) *Confidite, ego vici mundum.* Et in Apocalypſi dicitur (h) *ipſe Leo vincens*, & (i) *exiiſſe vincens, ut vinceret*, qua in victoria ſuis etiam cultoribus facul-

e) *Matt.* 14. 4. *Col.* 2. 15.
f) *Luc.* 11. 22.
g) *Joan.* 16. 33.
h) *Apoc.* 5. 5.
i) *Apoc.* 6. 2.

cultatem vincendi dedit. Est Apostoli ad Hebræos Epistola plena victoriis sanctorum hominum, *qui* (a) *per fidem vicerunt regna, obduraverunt ora Leonum:* & quæ sequuntur. Ex his vero, quæ sic acta legimus, eas victorias cogitatione complectamur, quas quotidie reportant ex intimis, & externis dæmonum prællis homines fide, spe, & charitate præstantes; quæ tam multæ sunt, tamque insignes, ut, si sub aspectum caderent oculorum, nihil frequentius accidere judicaremus, nihil gloriosius, de quorum hostium clade his verbis scripsit sanctus Joannes: (b) *Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.*

a) *Hebr.* 11. per totum. *Quomodo Christus nobis prostrato diabolo, vincendi facultatem dederit, & exemplum præbuerit. Vide D. Aug. l. 4. de Trin. c. 12. Greg. hom. 16. in Evang. D. Thom. in 3. p. q. 41. art. 1.*

b) 1. *Jo.* 2. 14.

18. Quomodo diabolus a nobis superari possit.

Labore, virtutibus, & vigilantia dæmones superantur.

Vincitur autem Satanas non otio, somno, vino, commessatione, libidine, sed oratione, labore, vigilia, abstinentia, continentia, castitate: (c) *Vigilate, & orate,* inquit, ut jam diximus, *ut non intretis in tentationem:* qui iis armis ad illam pugnam utuntur, in fugam convertunt adversarios: qui enim resistunt diabolo, is fugiet ab eis. In his tamen sanctorum hominum victoriis, quas diximus, nemo sibi placeat, nemo se efferat insolentius, ut se suis viribus hostiles dæmonum tentationes, impetusque sustinere posse confidat: non est hoc naturæ nostræ, non humanæ inbecillitatis, sed solius divinæ potestatis.

c) *Matth.* 26. 41. *Luc.* 22. 46. *Jacob.* 4. 7. *Marc.* 14. 38. *Et si propriam infirmitatem in certamine agnoscimus.*

19. Quomodo omnes nobis ad vincendum vires a Deo dentur.

Citra Dei auxilium nihil possumus.

Hæ vires, quibus prosternimus Satanæ satellites, dantur a Deo, (d) qui ponit, ut arcum æreum,

d) *Psal.* 17. 35.

æreum, brachia noſtra, (a) cujus beneficio *arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore*, qui (b) dat nobis protectionem ſalutis, (c) cujus nos dextera ſuſcipit, (d) qui docet manus noſtras ad prælium, & digitos noſtros ad bellum: ut uni Deo pro victoria ſint agendæ, & habendæ gratiæ, quo uno & auctore, & adjutore vincere poſſumus: quod fecit Apoſtolus; inquit enim: (e) *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Eundem auctorem victoriæ prædicat illa cœleſtis vox in Apocalypſi: (f) *Facta eſt ſalus, & virtus, & Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus; quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, & ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni.* Teſtatur idem liber Chriſti Domini partam ex mundo, carneque victoriam, eo loco: (g) *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos.* Hæc de cauſa, & de modo vincendi.

a) 1. *Reg.* 2. 4.
b) *Pſal.* 17. 36.
c) *Pſal.* 62. 9.
d) *Pſal.* 143. 1.
e) 1. *Cor.* 15. 17.
f) *Apoc.* 12. 10. 11.
g) *Apoc.* 17. 14.

20. *Quæ ſint in ſpirituali illo certamine victorum præmia.*

His expoſitis, proponent fideli populo Parochi a Deo paratas coronas, & conſtitutam victoribus ſempiternam præmiorum amplitudinem: quorum ex eadem Apocalypſi divina proferent teſtimonia: (h) *Qui vicerit, non lædetur a morte ſecunda.* Et alio loco: (i) *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus:* & paulo poſt Deus ipſe, ac Dominus noſter ita loquitur ad Joannem: (k) *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egre-*

h) *Apoc.* 2. 11.
i) *Apoc.* 3. 5.
k) *Apoc.* 3. 12.

a) *Apoc.* 3. 21. *dietur amplius.* Tum inquit: (a) *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.* Denique, cum Sanctorum gloriam, & perpetuam illam bonorum vim, quibus in Cœlo fruuntur, b) *Apoc.* 21. 7. expoſuiſſet, adjunxit: (b) *Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ipſe erit mihi filius.*

DE SEPTIMA PETITIONE.

CAPUT XVI.

Sed libera nos a malo.

1. Nihil continetur ſuperioribus petitionibus, quod iſta non includatur.

Poſtrema petitio vim ſex ſuperiorum ſua amplitudine concludit.

Poſtrema hæc petitio eſt inſtar omnium, qua Dei Filius Divinam hanc Orationem concluſit; cujus etiam vim, & pondus oſtendens, ea uſus eſt orandi clauſula, cum e vita migraturus Deum Patrem pro hominum c) *Joan.* 17. 16. ſalute deprecaretur: (c) *Rogo enim,* inquit, *ut ſerves eos a malo.* Ergo hac precationis formula, quam & præcepto tradidit, & exemplo confirmavit, quaſi quadam epitome, ſummatim complexus eſt vim, & rationem cæterarum petitionum. Cum enim id, quod ea prece continetur, impetraverimus, nihil, auctore ſancto *Cypr. ſer. 6. de Orat. Domin.* Cypriano, remanet, quod ultra adhuc debeat poſtulari, cum ſemel protectionem Dei adverſus malum petamus: qua impetrata, contra omnia,

omnia, quæ Diabolus, & Mundus operantur, ſecuri ſtamus, & tuti. Quare, cum tanti ſit hæc petitio, quanti diximus, debebit Parochus in ea fidelibus explicanda ſummam adhibere diligentiam. Differt autem hæc, & proxima petitio, quod illa vitationem culpæ, hac pœnæ liberationem poſtulamus.

2. *Quid nos urgeat, ut hanc precationem coram Domino effundamus.*

Quare non jam monendus eſt fidelis populus, quantopere & laboret ex incommodis, & calamitatibus, & cœleſtis egeat adjumenti. Nam quot, & quantis miſeriis propoſita ſit hominum vita, præterquam quod ſacri, & profani ſcriptores hoc argumentum ſunt copioſiſſime perſecuti, nemo fere eſt, qui non intelligat & ſuo, & alieno periculo. Perſuaſum enim eſt omnibus, quod exemplum patientiæ Job memoriæ prodidit: (a) *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis; qui quaſi flos egreditur, & conteritur, &* (b) *fugit, velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Nec vero ullum præterire diem, qui propria aliqua moleſtia, aut incommodo notari non poſſit, teſtis eſt illa Chriſti Domini vox: (c) *Sufficit diei malitia ſua.* Etſi conditionem humanæ vitæ declarat ipſius Domini monitum illud, (d) quo crucem quotidie ſumi, ſeque docuit ſequi oportere. Ut igitur quiſque ſentit, quam laborioſa ſit, & periculoſa hæc vivendi ratio, ita facile perſuadebitur fideli populo, malorum liberationem a Deo implorandam eſſe: præſertim cum nulla re magis ad orandum adducantur homines, quam cupiditate, & ſpe

a) *Job.* 14. 1. 2.

b) *Job.* 8. 9. *Pſal.* 143. 4.

c) *Matt.* 6. 34.

d) *Luc.* 9. 23.

In calamitatibus propenſiores ſunt homines ad Deum invocandum.

liberationis eorum incommodorum, quibus premuntur, aut quæ impendent. Est enim hæc insita ratio in animis hominum, ut in malis statim ad Dei auxilium confugiant. Qua
a) *Psal.* 82. 7. de re est illud scriptum: (a) *Imple facies eorum*
b) *Psal.* 49. 15. *ignominia, & quærent nomen tuum Domine:* & (b) *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

3. Quanam ratione periculorum, & calamitatum depulsio a Deo postulanda sit.

Quod non recte precetur, qui primis, & mediis Dominicæ Orationis gradibus omissis, calamitatum depulsionem postulat.

Sed si illud fere sua sponte faciunt homines, ut in periculis, & calamitatibus invocent Deum; certe, quomodo id recte facere possint, ab iis, quorum fidei, ac prudentiæ commissa est eorum salus, maxime docendi sunt. Non enim desunt, qui contra Christi Domini jussum, præpostero utantur ordine precationis.
c) *Psal.* 49. 15. Nam (c) qui jussit nos ad se confugere in die tribulationis, idem orationis ordinem nobis præscripsit. Voluit enim, ut prius quam precaremur, ut nos liberaret a malo, peteremus, uti nomen Dei sanctificaretur, & adveniret Regnum ejus, & reliqua postularemus, quibus quasi gradibus quibusdam in hunc locum pervenitur. Sed quidam, si caput, si latus, si pes condoluit, si rei familiaris jacturam faciunt, si mimæ, si pericula ab inimicis intenduntur, in fame, in bello, in pestilentia, omissis mediis Dominicæ precationis gradibus, tantum petunt, ut ex illis eripiantur malis; at huic consuetudini repugnat Christi Domini jus-
d) *Matt.* 6. 33. sum: (d) *Quærite primum Regnum Dei.* Itaque qui recte preces faciunt, cum deprecantur calamitates, incommoda, malorum depulsionem,

id

id referunt ad Dei gloriam. Sic David illi precationi, (a) *Domine, ne in furore tuo arguas me*, ſubjecit rationem, qua ſe Dei gloriæ cupidiſſimum oſtendit: inquit enim: (b) *Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Et idem, cum oraret Deum, (c) ſibi ut miſericordiam impertiret, ſubjecit illud: (d) *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Ad hanc orandi ſalutarem rationem, & ad exemplum Prophetæ incitandi ſunt fideles auditores; & ſimul docendi, quantum interſit inter Infidelium, & Chriſtianorum hominum preces.

a) *Pſal. 6. 2.*
b) *Ibid. 6.*
c) *Pſal. 50. 2.*
d) *Ibid. 15.*

4. Infideles ſe liberari a malo, ac Chriſtiani non perinde petunt.

Petunt vehementer illi quidem a Deo, ut poſſint ex morbis, vulneribuſque convaleſcere, ſibi ut ex urgentibus, vel imminentibus malis evadere liceat; ſed tamen illius præcipuam ſpem liberationis ponunt in remediis natura, vel hominum induſtria comparatis: quin etiam ſibi datum a quovis medicamentum, etiam ſi cantionibus, ſi beneficiis, ſi dæmonum opera confectum ſit, ſine ulla religione adhibent, modo aliqua valetudinis ſpes oſtendatur. Longe alia eſt ratio Chriſtianorum, qui in morbis, & in omnibus adverſis rebus habent ſummum perfugium, & præſidium ſalutis Deum; unum illum omnis auctorem boni, & liberatorem ſuum agnoſcunt, ac venerantur; remediis vero quæ ineſt ad ſanandum vis, inſitam a Deo eſſe pro certo habent; tantumque illa ægrotis prodeſſe exiſtimant, quantum ipſe voluerit Deus. Eſt enim a Deo

Quod in morbis, & rebus adverſis præcipua ſpes in externis remediis non ſit ponenda, exemplo tibi ſit Aſa Rex Juda, qui ob id 2. Paralip. 16. 22. reprehenditur.

data hominum generi medicina, qua morbos
a) *Eccl.* 38. 4. sanaret. Hinc est illa Ecclesiastici vox, (a) *Altissimus creavit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* Itaque qui Jesu Christo nomen dederunt, non in illis remediis summam spem reponunt recuperandæ valetudinis, sed ipsi medicinæ auctori Deo maxime confidunt.

5. Quomodo in morbis soli Deo fidendum sit, qui plurimos a præsentissimis periculis liberavit.

b) *Asa, sicut dictum est.* 2. *Paralip.* 16. 22. *Sine Deo nullam opem afferre medicamina, indicat Jer.* 9. *&* 46. 11.

c) *Non est utendum remediis a Deo non constitutis ad sanitatem recuperandam. Lev.* 20. 6. 1. *Reg.* 28. 7. 5. 4. *Reg.* 12. 3.

Quare etiam in (b) divinis Literis reprehenduntur ii, qui medicinæ fiducia, nullum Dei auxilium requirunt: imo vero qui vitam agunt ex divinis legibus, abstinent omnibus remediis, (c) quæcunque ad curationem a Deo non adhibita esse constet. Quod si etiam eorum usu medicamentorum illis explorata sit spes sanitatis, tamen ab iis, ut cantionibus, & dæmonum artificiis, abhorrent. Ad id autem fideles cohortari oportet, ut Deo confidant. Ea enim re jussit nos beneficentissimus Parens liberationem malorum postulare, ut in eo ipso, quod jussit, spem etiam impetrationis haberemus. Multa sunt in sacris Literis hujus rei exempla, ut qui minus rationibus adducuntur ad bene sperandum, exemplorum multitudine confidere cogantur. (d) Abraham, (e) Jacob, (f) Loth, (g) Joseph, (h) David sunt in oculis locupletissimi testes divinæ benignitatis. Sacræ novi Testamenti Literæ tam multos enumerant, qui ex maximis discriminibus erepti sunt piæ pondere precationis, ut res exemplorum commemoratione non egeat. Una igitur illa Prophetæ sententia contenti erimus,

d) *Gen.* 12. 12. 15. *&* 17. 2.
e) *Gen.* 28. 14. 33. *&* 35. 5.
f) *Gen.* 14. 12. *&* 16. 17. 18.
g) *Gen.* 36. 23. *&* 41. 14.
h) 1. *Reg.* 21. 14. 15.

quæ

quæ vel infirmiſſimum quemque confirmare poteſt; (a) *Clamaverunt enim*, inquit, *juſti, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

a) 2. *Reg.* 7. 17. 18. 19. & 20. *Pſal.* 33. 18.

6. *Quid* mali *nomine hic intelligatur, & quæ hujus petitionis ſit ſententia.*

Sequitur hujus vis, & ratio petitionis, ut fideles intelligant, non omnino petere nos hoc loco, ut a malis omnibus liberemur. Sunt enim quædam, quæ communiter mala putantur, quæ tamen ſunt illis fructuoſa, qui patiuntur; (b) ut ille ſtimulus, qui Apoſtolo erat adhibitus, ut, Dei gratia adjuvante, virtus in infirmitate perficeretur; hæc, ſi cognita ſit eorum vis, ſumma voluptate pios afficiunt: tantum abeſt, ut a Deo petant, ut auferantur. Quare tantum ea mala deprecamur, quæ nullam animæ utilitatem afferre poſſunt: reliquæ minime, modo aliquis inde ſalutaris fructus exiſtat.

b) 2. *Cor.* 12. 7. 8. 9.

7. *Quot, & quanta ſint malorum genera, a quibus liberari cupimus.*

Omnino igitur huic voci ea ſubjecta vis eſt, ut a peccato liberati, a tentationis etiam periculo, ab intimis, externiſque malis eripiamur; ut tuti ſimus ab aqua, ac igne, a fulgure; ne grando noceat frugibus; ne annonæ charitate, ſeditionibus, bello laboremus: petimus a Deo, ut morbos, peſtem, vaſtitatem arceat; vincula, carcerem, exilium, proditiones, inſidias, cæteraque omnia prohibeat incommoda, quibus maxime terreri, ac premi ſolet hominum vita; omnes denique flagitiorum, & facinorum cauſas evertat: neque hæc ſo-

Mala, a quibus liberari cupimus, quæ, & qualia ſint. *Pſal.* 118. *Cant.* 8. *Iſai.* 26.

lum, quæ omnium consensione mala sunt, deprecamur; sed illa etiam, quæ pene omnes bona confitentur, divitias, honores, valetudinem, robur, hanc ipsam vitam: petimus, inquam, ne ad malum, & ad animæ nostræ exitium hæc convertantur. Oramus etiam Deum, ne morte opprimamur repentina; ne in nos iram Dei concitemus; ne quæ impios manent, supplicia subeamus, ne igne Purgatorii torqueamur, a quo ut alii liberentur, pie, & sancte precamur. Hanc petitionem & in Missa, & in Litaniis sic interpretatur Ecclesia, nos videlicet ea præterita, præsentia, futura mala deprecari.

8. Deus & impendentia mala arcet, & a præsentibus quandoque mirabiliter eripit.

Non uno autem modo Dei nos benignitas eripit a malis: nam impendentes prohibet calamitates; quomodo legimus magnum illum Jacob esse liberatum ab inimicis, quos in illum concitarat Sichimitarum cædes; extat enim illud: (a) *Terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, & non sunt ausi persequi recedentes.* Et quidem Beati omnes, qui cum Christo Domino in cœlis regnant, (b) omnibus malis Dei ope liberati sunt: nos autem, qui in hac peregrinatione versamur, ab omnibus incommodis solutos esse minime vult, sed eripit a quibusdam: etsi sunt instar liberationis malorum omnium ea solatia, quæ dat Deus interdum iis, qui rebus premuntur adversis. His se consolabatur Propheta, cum illa dicebat: (c) *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Præterea

a) *Gen.* 35.

b) *Isa.* 25. 8. *Apoc.* 7. & 21. 4.

c) *Psal.* 93. 19.

tereâ a malis homines liberat Deus, cum illos in ſummum diſcrimen adductos integros ſervat, & incolumes: quod & (a) pueris illis in ardentem Fornacem conjectis, & (b) Danieli contigiſſe legimus, quem Leones nihil læſerunt, quemadmodum neque pueros flamma violavit.

a) *Dan.* 3. 22.

b) *Dan.* 6. 22. & 14. 39.

Diabolus eſt malitiæ inventor, & auctor.

9. *Diabolus hic* malus *dicitur, quod mali culpæ auctor, & mali pœnæ exactor ſit.*

Malus vero etiam ex ſententia ſanctorum (c) Baſilii Magni, (d) Chryſoſtomi, & (e) Auguſtini, præcipue dicitur dæmon, quod hominum culpæ, id eſt ſceleris, & peccati auctor fuit: quo etiam miniſtro utitur Deus in repetendis pœnis a ſceleratis, & facinoroſis: (f) *Dat enim Deus omne malum hominibus, quod illi peccati cauſa patiuntur.* In quam ſententiam loquuntur divinæ Literæ illis verbis: (g) *Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit?* item: (h) *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.*

c) *Baſil. in hom. quod Deus non ſit auctor malorum.*

d) *Chryſoſtom. hom. 20. in Matt.*

e) *D. Auguſt. de Eccl. dogm. c.* 57.

f) *Dam. lib. 4. de orthod. fide, c.* 20.

g) *Amos* 3. 6.

h) *Iſa.* 45. 7. *Vide item Deut.* 32. 23. & 3. *Reg.* 9. 21. & 29. & *Hier.* 11. & 32. 42.

Deus eſt auctor mali pœnæ non culpæ. Dæmon nobis nocere non poteſt, niſi permittente Deo. D. Auguſt. in Pſal. 96.

Malus quoque dicitur dæmon ob eam cauſam, quod, etſi nihil eum læſerimus, tamen perpetuum bellum nobis infert, & capitali nos inſectatur odio. Quod ſi nobis & fide armatis, & innocentia tectis nocere non poteſt, tamen nullum finem facit tentandi nos externis malis, &, quacunque poteſt ratione divexandi. Quamobrem Deum precamur, ut nos a malo liberare velit.

10. *Cur ſingulari, non autem multitudinis voce a* malo *liberari petamus.*

Dicimus autem, *a Malo*, non, *a malis*, ob id, quod mala, quæ in nos a proximis proficiſcun-

tur, illi assignamus tanquam auctori, & impulsori, quominus etiam proximis irasci debemus; quin odium, & iracundiam in ipsum Satanam convertere oportet, a quo homines ad injuriam inferendam impelluntur. Itaque, si te aliqua re læserit Proximus, cum preces facis Parenti Deo, pete, ut non modo te liberet a malo, id est, ab iis, quas tibi proximus imponit, injuriis; sed illum ipsum eripiat proximum ex diaboli manu, cujus impulsu homines in fraudem inducuntur.

Omnia mala, quæ nobis inferunt proximi, a dæmone proficiscuntur. Vide D. Aug. ser. 85. de temp.

11. Quomodo in malis affecti esse debeamus, etiamsi continuo non liberemur.

Cum a malis non liberamur, ea nobis patienter ferenda sunt.

Illud denique sciendum est, si in precibus, & votis non liberamur a malis, debere nos, quæ premant, ferre patienter, intelligentes placere divino Numini, ut toleranter ea patiamur. Quare minime nos indignari, aut dolere par est, quod preces nostras non audiat Deus; sed omnia ad ejus nutum, ac voluntatem referre oportet, existimantes, id utile, id esse salutare, quod Deo placet, ut ita sit, non autem id, quod secus nobis videatur.

12. Quot, & quanta commoda ex tribulationibus ad nos proveniant.

D. Aug. ser. 85. de temp. Dam. lib. 2. de orth. fide, c. 4.

Docendi etiam sunt pii Auditores, dum in hoc vitæ curriculo versantur, eos ad omne incommodorum, & calamitatum genus non solum æquo, sed etiam gaudenti animo ferendum

a) 2. *Tim.* 3. 11. paratos esse debere. (a) *Omnes enim*, inquit, *qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem pa-*

b) *Act.* 14. 21. *tientur.* Item: (b) *Per multas tribulationes opor-*

c) *Luc.* 24. 25. *tet nos intrare in Regnum Dei.* Rursum: (c) *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in glo-*

gloriam ſuam? Non enim æquum eſt, (a) ſervum eſſe majorem Domino ſuo; ſicuti turpe eſt, e ſententia S. Bernardi, membra eſſe delicata ſub ſpinoſo capite. Præclarum illud eſt exemplum Uriæ propoſitum ad imitandum, qui, adhortante Davide, domi ut ſe contineret, inquit: (b) *Arca Dei, & Iſrael, & Juda habitant in papilionibus, & ego ingrediar domum meam?* His inſtructi rationibus, ac meditationibus ſi ad orandum veniemus, illud aſſequemur, ut, ſi minus undique cincti, maliſque circumdati, (c) quemadmodum tres illi pueri intacti ab igne, ſic nos inviolati ſervemur; certe, ut (d) Machabæi, caſus adverſos conſtanter, ac fortiter feramus. In contumeliis, & cruciatibus ſacros imitabimur Apoſtolos, (e) qui cæſi verberibus vehementer lætabantur, quod digni habiti eſſent, qui pro Chriſto Jeſu contumelias paterentur; ſic nos ita comparati canemus illa ſumma cum animi voluptate: (f) *Principes perſecuti ſunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum: lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.*

a) *Matt.* 10. 24. *Luc.* 6. 40. *Joan.* 13. 16. & 15. 20. *Bern. ſerm.* 5. de omnibus Sanctis.

b) 2. *Reg.* 11. 11.

c) *Dan.* 3. 49.

d) 1. *Mach.* 2.

e) *Act.* 5. 41.

f) *Pſalm.* 118. 161. 162.

De extrema Orationis Dominicæ Particula, quæ eſt, *Amen.*

CAPUT XVII.

1. *Quis uſus, & fructus ſit hujus particulæ.*

Hanc vocem, ſicuti eſt, ſignaculum Orationis Dominicæ appellat ſanctus Hieronymus *in Commentariis* in Matthæum. Quare, ut admonuimus antea Fideles de præparatione, quæ adhibenda ſit prius, quam aggrediantur

S. Hieron. in c. 6. Matth. Curandum eſt, ut preces & reliqua inchoentur, & recte abſolvantur.

tur ad divinam precationem: ſic nunc faciendum duximus, ut clauſulæ, ac finis ipſius precationis cauſam, rationemque cognoſcant. Non enim (a) pluris eſt divinas preces diligenter ordiri, quam religioſe abſolvere. Sciat igitur fidelis populus, multos eſſe, & eos uberes fructus, quos ex Orationis Dominicæ fine percipimus; ſed omnium uberrimus, ac lætiſſimus fructus eſt eorum impetratio, quæ poſtulavimus: de quo ſupra ſatis dictum eſt. Non ſolum autem conſequimur poſtrema hac parte precationis, ut noſtræ preces audiantur, ſed quædam etiam majora ac præclariora, quam ut verbis explicari poſſint.

a) *Immo melior eſt Orationis finis, quam principium. Eccl. 7. 9.*

2. Quanta bona ex oratione ad homines promanent.

Orationis virtus & utilitas Cypr. circa fin. ſerm. de Or. Dom. & Chryſ. Or. 1. de orando Deo.

Nam, cum orando homines cum Deo colloquantur, ut ſanctus Cyprianus ait, *fit quodam inexplicabili modo oranti divina majeſtas propior, quam cæteris:* quem præterea ſingularibus ornat muneribus; ut qui pie Deum orant, quodammodo cum iis, qui ad iguem accedunt, comparari poſſint; qui, ſi algent, caleſcunt, ſi calent, æſtuant: ſic illi aſſiſtentes ad Deum, pro modo pietatis, ac fidei ardentiores evadunt: inflammatur enim eorum animus ad Dei gloriam, mens illuſtratur admirabilem in modum, omnino cumulantur divinis muneribus: eſt enim illud proditum ſanctis Literis: (b) *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Exemplo eſt omnibus magnus ille Moyſes, (c) qui a Dei congreſſu, & colloquio digrediens divino quodam fulgore collucebat, ſic, ut (d) Iſraelitæ ejus oculos, & os intueri non poſſent. Omnino qui vehementi illo ſtudio preces faciunt,

b) *Pſal. 20. 4.*

c) *Exod. 34. 35.*

d) *2. Cor. 3. 13.*

Dei

Dei benignitate, ac majeſtate admirabiliter perfruuntur. (a) *Mane adſtabo*, inquit Propheta, *& videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Hæc quo magis noſcunt homines, eo Deum vehementiori cultu, ac pietate venerantur: eo etiam ſentiunt jucundius, (b) quam ſuavis ſit Dominus, & quam vere beati ſint omnes, qui ſperant in eo: tum vero clariſſima illa luce circumfuſi, quanta ſit eorum humilitas, quanta ſit Dei majeſtas, conſiderant. Eſt enim illa ſancti Auguſtini regula: *Noverim te, noverim me.* Itaque fit, ut ſuis viribus diffidentes totos ſe committant Dei benignitati, minime dubitantes, quin is ipſos paterna illa ſua, & admirabili charitate complexus, abundanter iis omnia ſuppeditet, quæ ſint ad vitam, & ſalutem neceſſaria: hinc ſe ad agendas Deo gratias convertant, quantas animo maximas capere poſſunt, quantas oratione complecti, quod magnum Davidem feciſſe legimus, qui, cum ita precationem inſtituiſſet. (c) *Salvum me fac ex omnibus perſequentibus me*, ſic eam abſolvit; (d) *Confitebor Domino ſecundum juſtitiam ejus, & pſalam nomini Domini altiſſimi.*

a) *Pſal.* 5. 5.

b) *Pſal.* 33. 9.

D. Aug. lib. 2. *Soliloq. cap.* 1. *Pſal.* 138. *Mirabilis, &c.*

c) *Pſal.* 7. 1.

d) *Ibid.* 18.

3. *Qua ratione fiat, ut Sanctorum preces a timore inchoatæ, lætitia concludantur.*

Sunt ejuſmodi Sanctorum preces innumerabiles, quarum exordium eſt timoris plenum, clauſula ſpei bonæ, lætitiæque referta: ſed mirabile eſt, quam eo in genere eniteant Davidis ipſius precationes. Nam, cum metu perturbatus ſic orare eſſet exorſus: (e) *Multi inſurgunt adverſum me, multi dicunt animæ meæ, Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus:* confirmatus aliquando, gau-

Fiducia, & ſpei virtute efficitur, ut Sanctorum preces a timore inchoata lætitia concludantur.

e) *Pſal.* 3. 3.

a) *Ibid.* 7. gaudioque perfusus subjunxit paulo post: (a) *Non timebo millia populi circumdantis me.* Alio

b) *Psal.* 4. etiam (b) Psalmo suam cum deploraſſet miſeriam, ad extremum Deo confiſus, incredibili-

c) *Psal.* 4. 9. ter lætatur ſpe ſempiternæ beatitudinis. (c) *In pace in idipſum*, inquit, *dormiam, & requieſcam.*

d) *Psal.* 6. 2. Quid illa? (d) *Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me:* quanto cum tremore, & pallore Prophetam dixiſſe credendum eſt? Contra, quæ deinceps ſequuntur,

e) *Ibidem.* quam fidenti, ac lætanti animo? (e) *Diſcedite a me*, inquit, *omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Cum vero Saulis iram, furoremque pertimeſceret, quam humiliter, ac demiſſe Dei opem implo-

f) *Psal.* 53. 5. rabat! (f) *Deus, in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua judica me*, & tamen hilare, ac fi-

g) *Ibid.* 7. denter in eodem Pſalmo ſubjecit: (g) *Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.* Quare qui ſe confert ad ſacras preces fide, ſpeque munitus, parentem adeat Deum, ut ſe id conſequi poſſe, quod ei opus ſit, nullo modo diffidat.

4. *Quo ſenſu illa vocula*, Amen, *in fine hic uſurpetur, & in Miſſa Sacerdoti pronuncianda reſervetur.*

Quanta ſit virtus, & dignitas vocis, Amen. Sunt autem in extremo hoc divinæ precationis verbo, *Amen*, multa quaſi ſemina quædam earum rationum, cogitationumque, quas diximus, & quidem adeo frequens fuit hæc Hebræa vox in ore Salvatoris, ut Spiritui ſancto placuerit, ut in Eccleſia Dei retineretur; cui voci illa quodammodo ſubjecta ſententia eſt:

Amen *in ore Chriſti Salvatoris.* *Scito, tuas auditas eſſe preces:* habet enim vim re-

respondentis, & illum, qui precibus, quod velit, impetrarit, cum bona gratia dimittentis Dei. Hanc sententiam perpetua Ecclesiæ Dei consuetudo comprobavit, quæ in Sacrificio Missæ, cum pronunciatur oratio Dominica, non rei sacræ Ministris, quorum partes sunt illa dicere, *Sed libera nos a malo*, attribuit hanc vocem, *Amen*; sed ipsi sacerdoti accommodatam reservavit, qui, cum Dei, & hominum sit interpres, Deus exoratum esse populo respondet.

ris fuit frequentissima.

Cur in Missa peculiariter pronunciatio particula.

Amen, *sacerdoti, non autem ministro, ut sit in aliis rationibus, reservetur.*

5. *Cur in aliis precationibus minister, in hac vero sacerdos*, Amen, *respondeat.*

Nec tamen hic ritus communis est omnium precationum, quippe cum in cæteris ministrorum sit munus respondendi, *Amen*: sed proprius Dominicæ orationis. Nam in aliis precibus consensum modo, desideriumque significat, in hac responsio est, Deum orantis postulationi consensisse.

Non una est interpretrtio vocis Amen.

6. *Quomodo dictio*, Amen, *varie exponatur.*

Ac varie quidem a multis est interpretatum hoc verbum, *Amen*. Septuaginta Interpretes verterunt, *fiat*; alii reddiderunt, *vere*; Aquila, *fideliter*, convertit, sed parvi refert, hoc, an illo modo sit redditum, modo habere intelligamus eam vim, quam diximus, confirmantis sacerdotis, concessum id esse, quod petebatur, cujus sententiæ testis est Apostolus in epistola ad Corinthios. (a) *Quotquot enim*, inquit, *promissiones Dei sunt, in illo Est, ideo & per ipsum dicimus Amen Deo ad gloriam per nos.* Est etiam hæc nobis accommodata vox, in qua inest confirmatio quædam earum petitionum, quas ad-

Septuaginta reddiderunt γένιτο, *id est* fiat, *ut Psalm.* 40. 14. *Aquila vero.* πεπισθιμένως *id est*, fideliter, *Isa. vero* 65. 16. *ubi nos habemus.* Jurabit in Deo Amen. LXX. *legunt* ὁμοῦνται τον δεόν τόν ἀληθινόν *Vide Hier. epist.* 174. *ad Marc. & in Isa.*

a) 2. Cor. 1. 20.

adhuc adhibuimus; quæ etiam eos reddit attentos, qui dant operam ſacris precibus: fit enim ſæpe, ut in precatione diſtracti homines variis cogitationibus alio traducantur. Imo vero ſummo ſtudio petimus hac ipſa voce, ut omnia fiant, ideſt concedantur, quæ antea petivimus; vel potius intelligentes, nos jam impetraſſe omnia; ac ſentientes præſentem vim divini auxilii, illud una cum Propheta canimus: (a) *Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.* Nec eſt, quod quiſquam dubitet, quin & nomine Filii ſui, & verbo, quo ſæpiſſime is uſus eſt, moveatur Deus, qui ſemper, ut ait Apoſtolus, (b) *Exauditus eſt pro ſua reverentia*, cujus eſt *Regnum, & poteſtas, & imperium in ſæcula ſæculorum.*

Pſalm. 53. 6.

a) Amen, *attentionem etiam, excitat.*

b) *Hebr.* 5. 7.

BULLA
S. D. N. D. PII
DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.
Super forma Juramenti Profeſſionis Fidei.

Pius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam,

Injunctum Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officium requirit, ut ea, quæ Dominus Omnipotens, ad providam Eccleſiæ ſuæ directionem, ſanctis Patribus, in Nomine ſuo congregatis, divinitus inſpirare dignatus eſt, ad ejus laudem, & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini diſpoſitionem omnes, quos deinceps Cathedralibus, & ſuperioribus Eccleſiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, & aliis quibuſcunque beneficiis Eccleſiaſticis curam animarum habentibus provideri continget, publicam orthodoxæ fidei profeſſionem facere, ſeque in Romanæ Eccleſiæ obedientia permanſuros ſpondere, & jurare teneantur; Nos volentes, etiam per quoſcunque, quibus de monaſteriis, conventibus, domibus, & aliis quibuſcunque locis Regularium quorumcunque Ordinum, etiam Militarium, *quocunque nomine, vel titulo providebitur, idem ſervari, & ad hoc, ut unius, & ejuſdem fidei profeſſio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque, & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſolicitudinis partes in hoc alicui minime deſiderari, formam ipſam præſentibus annotatam publicari, & ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipſius Concilii, & alios prædictos ſpectat, recipi, & obſervari, ac ſub pœnis per Concilium ipſum in contravenientes latis, juxta hanc, & non aliam formam, profeſſionem prædictam ſo-*

lemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentium districte præcipiendo mandamus, hujusmodi sub tenore.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet. Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium, & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos; cujus regni non erit finis: & in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: & unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi: Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque, septem esse vere, & proprie sacramenta novæ legis a Jesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum,

Con-

Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium, pro vivis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima, & divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero: imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia a sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata,

indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego NN. idem spondeo, voveo, ac juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Volumus autem, quod præsentes Literæ in Cancellaria nostra Apostolica de more legantur: &, ut omnibus facilius pateant, in ejus Quinterno describantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romæ, apud S. Petrum, anno Incar. Domin. MDLXIV. Id. Novembr. Pontificatus nostri anno V.

Fed. Card. Cæsius.

Cæs. Glorierius.

Lectæ, & publicatæ fuerunt suprascriptæ Literæ Romæ in Cancell. Apostol. anno Incarnationis Dom. MDLXIV. Die vero Sabbati, 9. Mensis Decemb. Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pii Papæ IV. anno V.

A. Lomellinus Custos.

INDEX
IN
CATECHISMUM
MELIOR, ET OMNI CURA EMENDATUS.

A

Abbatibus permissum est, ut interdum minores ordines administrent. Fol. 395
Abrahæ peregrinatio. 429
Abrahæ sinus. 73
Abrenunciant Satanæ baptizandi, & cur? 229
Absolvendi qui sint. 353, 354
Absolvendi potestas quibus data. 334
Absolutio quando pœnitentibus deneganda. 349
Absolutio peccatorum est effectus pœnitentiæ. 332
Accidentia in Eucharistiæ Sacramento manent sine subjecto. 282
Accusatores quo pacto non recte suo fungantur officio. 553
Actiones Deo gratas sine adjumento divinæ gratiæ suscipere non possumus. 634
Actio gratiarum erga Deum quomodo fiat in petitione de facienda Dei voluntate. 643
Actio gratiarum est una de partibus orationis. 577
Adam sibi, & posteris donum justitiæ originalis amisit. 648, 649
Adam cibo indigebat in statu innocentiæ ad reficiendas vires. 648
Inter Adam necessitates, & nostras multum interest. ibid.
Adam non indiguisset multis rebus, quibus nos indigeremus, si non peccasset. ibid.
In paradiso voluptatis otiosus non erat futurus. ibid.
Adam, & ejus posteritas fructu ligni vitæ immortalis permansisset. ibid.
Adam in paradiso nulla molestia affectus fuisset. ibid.
Adæ posteritas fructu vitalis arboris privata, & horribili sententia maledicta. 53
Adam, & Christi comparatio. ibid.
Adulterium quid. 515
Adulterii interdicto quæ peccata prohibeantur. ibid.
Adulterii detestatio. 516
Adulterium quare prohibitum. ibid.
Adulterii interdicto omne impuritatis, & impudicitiæ genus, quo corpus polluitur, prohibetur. ibid.
Adulterio intima animi libido prohibetur. ibid.
Adulterium insignem turpitudinis notam inurit. 519
Adulterorum supplicium, & damna. 520

Advocatus tempore neceſſitatis pauperi gratis debet patrocinari. 552
Advocatorum alia officia. ibid.
Affectus carnis ita domitos habere, ut omnino non excitentur, non eſt in hominis etiam juſtificati poteſtate. 623
Affinitas patrinorum cum quibus contrahatur. 206
Ad agnitionem peccati quomodo homo perducatur. 662
Amen quid ſignificet. 703 Interpretatio. 704. Cur in ſacrificio Miſſæ reſervetur ſacerdoti pronunciandum. ibid. Cur in aliis precibus hac voce miniſter utatur. 703
Amici amico periculoſe ægrotanti quomodo pernicioſe aſſententur. 574
Amor Dei in nos in redemptione erga homines oſtenſus maxime. 605
Angelorum creatio. 31
Angeli ab ortus ſui initio gratia prædíti, ſapientia, & potentia ornati. ibid.
Angelicæ ſalutationi adjunxit Eccleſia preces, & imploratíonem B. V. 587
Angelorum plurimi ex cœleſtibus ſedibus deturbati. 32
Angelorum ſcientia qualis. ibid.
Angelorum poteſtas qualis. ibid.
Angeli quare Virtutes dicti. ibid.
Angelus multa edocuit Tobiam de ratione matrimonii. 407
Angeli quomodo adorentur. 437
Angeli quare humana ſpecie effingantur, & cum alis. 444
Angelica ſalutatione Deus laudatur. 587
Angelica ſalutatio eſt actio gratiarum. ibid.
Angelum cuſtodem ſinguli habent. 438
Angelorum cuſtodia erga homines. 600
Angelorum obedientia ergo Deum ibid.
Angeli non adorantur, ut Deus. 437
Angelorum opera quotidie a maximis periculis liberamur. ibid.
Angelorum opera quanta Deus humano generi beneficia contulerit. 438
Angelos eſſe invocandos, & colendos ex Scripturis demonſtratur. ibid.
ab Anima Chriſti nunquam ſeparata eſt divinitas. 50
in Anima Chriſti ab inſtanti ſuæ creationis fuit omnis gratiæ plenitudo. 51
Anima Chriſti cruciatus in utraque ſui parte ſenſit. 57
Anima Chriſti re, & præſentia ad inferos deſcendit. 73
Anima Chriſti deſcendens ad inferos communicavit meritum paſſionis animabus Patrum. 74
Anima eſt immortalis. 139
Animæ piorum ante Chriſti mortem in ſinum Abrahæ deferebantur. 75
Anima, quæ peccaverit, quomodo mori dicatur, & ob peccatum parentum puniatur. 449, 450
Animæ præter naturam perpetuo ſeparantur a corpore. 142

Anima ſeparata a corpore propenſionem habet ad corpus. 142
Anima duabus alis ad Cœlum pervenit. 379
Animantia omnia præter hominem in eo ſtatu permanſerunt, in quo creata ſunt. 633
Apoſtoli quare a Chriſto dati. 14 15
Apoſtolis auctoritas a Chriſto data. ibid.
Apoſtoli in duodecim articulos diſtinctum ſymbolum compoſuerunt, & quare. ibid.
Apoſtoli cæremoniarum inſtitutores. 226
Apoſtoli a Domino Chriſmatis compoſitionem didicerunt. 239
Appetitio proprii boni rebus omnibus ingeneratur. 632
Appetere Deum a principio homini datum. ibid.
Appetitionibus corruptæ naturæ etiam reclamantibus, & adverſantibus, voluntas remittendi injurias ſufficit. 672
Aqua, vide Baptiſmus.
Archiepiſcopi partes quæ ſint. 393
Artibus malis quæ acquiruntur, noſtra non ſunt. 653
Articuli quare ſingulæ Symboli ſententiæ ſint dictæ. 14
de Articulo fidei Primo 16. & ſeq. de Secundo 35 de Tertio 47 de Quarto 57 de Quinto 71 de Sexto 84 de Septimo 92 de Octavo 101 de Nono 110 de Decimo 131 de Undecimo 139 de Duodecimo 152
Articulus de Aſcenſione Chriſti ejus majeſtatem, & gloriam declarat. 84
Aſcendit Chriſtus, ut homo, corpore, & anima in Cœlos. 85
Aſcendens Chriſtus in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & quomodo intelligatur. ibid.
Aſcenſio Chriſti eſt tanquam finis, ad quem cætera myſteria referuntur. ibid.
Aſcenſionis in Cœlum Chriſti cauſæ. 87 Beneficia, quæ ex Aſcenſione Chriſti nobis donantur. 88
Aſſentatio vitium deterrimum. 547
Aſſentatores homines vitio obtrectationis peccant ſæpiſſime. ibid.
Avari reprehenduntur. 536

B

Baptiſmi cognitio maxime neceſſaria. 188. Illud Sacramentum in quanta veneratione habendum. 201 Illud ſacramentum cum conditione non eſt ſine diſcrimine adhibendum. 224
Baptiſmus quare a Parochis ſit docendus. 188 Quo tempore a Parochis de Baptiſmo differendum ſit. ibid.
Baptiſmi vox quid ſignificet. 189
Baptiſmi ſacramentum quibus nominibus ſignificetur. 190
Baptiſmi, ut ſacramentum eſt, definitio. ibid.
Baptiſmi Sacramentum quibus conficiatur. 191
Aqua, quæ in ſacro fonte ad baptiſmum conficiendum aſſervatur, non eſt ſacramentum. 191
Baptiſmi materia eſt aqua elementaris. 192

Aqua cur potiſſimum ad id inſtituta. 193
Baptiſmus ignis quis ſit. 192
Baptiſmi figuræ,& prophetiæ.ibid.
Baptiſmus pignus eſt redemptionis noſtræ. 605
Baptiſmus cur myſterium, ſeu ſacramentum fidei dicatur. 190
Aquæ in Baptiſmo quare chriſma addatur. 194
Baptiſmi forma quæ? 195 Hæc explicatur. ibid.
Baptiſmi forma apud Græcos varia. 196 Cur baptizabant Apoſtoli in nomine Jeſu. 197 Quomodo intelligendum ſit declaratur. ibid.
Baptiſmus tribus modis confici poteſt. 198
in Baptiſmo unica, an trina ablutio fiat, nihil refert. 199
in Baptiſmo caput abluendum. ibid.
in Baptiſmo verba ſimul cum ablutione proferenda. ibid.
Baptiſmus a Chriſto Domino inſtitutus, & quando. ibid.
Quando vis ſanctificandi per baptiſmum aquis fuerit tributa. ibid.
in Baptiſmo Chriſti tota Trinitas apparuit, & cur. 200
Baptiſmi lege quo tempore homines teneri cœperint. ibid.
Baptiſmi miniſtri qui,& quot. 201
Baptizare ſacerdotes quare præſente etiam Epiſcopo poſſint. 202
Ordo inter Baptiſmi miniſtros ſervandus. 203
Baptizandos ſuſcipere quibus non liceat. 207
Baptiſmus neceſſarius ad ſalutem. ibid.
Baptiſmi Sacramentum pueris dandum. 208
Baptizantur pueri in fide parentum, & Eccleſiæ. 209
Baptizandi ſunt quamprimum parvuli. 210
in Baptizandis adultis diverſa ratio eſt ſervanda ab ea, quæ in pueris. ibid.
Baptiſmus adultis quando ſit ſtatim conferendus. 211
Baptizandi quomodo affecti eſſe debeant. 212
Baptizandi cur interrogentur, an velint baptizari. ibid.
Quando Baptizandi amentes, & dormientes. ibid.
Ad Baptiſmi gratiam conſequendam fides eſt neceſſaria. 213
Baptizandum peccatorem pœniteat oportet. 214
Baptiſmi ſacramento omne peccatum condonatur. 215
In Baptiſmo prorſus tolluntur peccata, & radicitus evelluntur. ibid.
In Baptizatis concupiſcentia remanet ſed peccatum non eſt. 216
Baptiſmi proprius effectus peccatorum omnium remiſſio. 217
Peccata, & peccatorum pœnæ per baptiſmum remittuntur. ibid.
Pœnæ civilibus judiciis perſolvendæ per baptiſmum non condonantur. 218

Poſt Baptiſmum quare non reſtituamur in ſtatum naturæ integræ. 219
Baptiſmi fructus alii. 222
Per Baptiſmum Chriſto incorporamur. ibid.
Cur poſt Baptiſmum ægre virtutes exerceamus. 222
Baptiſmus characterem imprimit. 223
Baptiſmum iterari ſacrilegium eſt. ibid.
Baptiſmus cœli aditum patefacit. 225
Ceremoniæ, & precationes, quæ in Baptiſmo fiunt, ad tria capita rediguntur, & ab Apoſtolis emanarunt. 226
Fons Baptiſmi conſecratur addito oleo myſticæ unctionis. 227
Certi dies expectantur ad conſecrandam Baptiſmi aquam. ibid.
Baptizandi cur mox in Eccleſiam non admittantur. 227
Baptizandi fidei ſuæ profeſſionem faciunt. 230
Baptizandis quæ nomina imponenda, & quare. 231
Beatitudo æternæ vitæ nomine deſignata. 153 & cur. ibid. Amitti nunquam poteſt. ibid. Quid ſit. ibid. Comprehendi non poteſt. 154. Omnium bonorum adeptione, & omnium malorum liberatione definienda. 155
Beatitudo eſſentialis in quo ſita. 156
Beati lumine gloriæ elevantur ad divinam eſſentiam videndam. 157
Beati quomodo Dei formam induant. ibid.
Beati omnes iiſdem præmiis non afficientur. 161
Beatitudinis imagines, & ſimilitudines. 159
Beatitudo accidentalis in quo conſiſtat. ibid.
Conſtat omnibus bonis. 160
Bella inteſtina hominis. 664
Bellum ſceleratis eſt cum Deo. 665
Sine Benedictionibus Dei opera noſtra proſpere non cedunt. 649
Benignitas Dei non uno modo eripit nos a malis. 578
Beſtias occidere, & eas edere licet. 501
Blaſphemare nomen Dei, & Sanctorum deteſtabile ſcelus. 467
Bona humanæ vitæ quare optanda, & petenda. 646
Bona temporalia quomodo petenda. ibid.
Bona temporalia a Deo peti poſſunt. 651
Bona humanæ vitæ ad bona divina nos dirigunt. 647
Bona humanæ vitæ adjumenta ſunt ad divinorum bonorum adeptionem. 646

C

Cœlorum præſtantia. 612 & ſeq.
Charitatis præcepta duo. 484
Charitas proximi a charitate Dei ortum habet. 486
Charitatis officia quæ ſint. 507
Charitatis officium præſtantiſſimum quod. 508
Carnalis nequitia quæ ſit. 678. & ſeq.

Caſtitas recte petentibus non ne-
gatur. 522
Caſtitas non ſolum virginibus, ſed
iis, qui cœlibem vitam aguut,
& iis, qui matrimonio juncti
ſunt, convenit. 517
Caſtitatem ſervare cupienti quæ
cogitanda. ibid.
Caſtitatis remedia, quæ in actione
conſiſtunt. 520
Catechiſmi neceſſitas. 5
Catechiſmi doctrina ad captum
cujuſcunque accommodanda. 8
Cauſæ ſecundæ ſunt adminiſtræ
Dei manus. 618
Ceremoniæ, & precationes, quæ in
baptiſmo fiunt, ad tria capita
rediguntur. 226 & ſeq.
Ceremoniæ, quæ ad pœnitentiæ
ſacramentum adhibentur. 316
Ceremoniæ, quæ in ſacramento
Extremæ Unctionis adhibentur.
367
Cereus, quem tenet baptizatus,
quid ſignificet. 231
Character trium ſacramentorum
effectus. 185
Character quid præſtet. 186
Characterem imprimit Baptiſmus.
223
Characterem imprimit Confirma-
tio. 248
Characterem imprimit Ordinis
ſacramentum. 398
Chriſma in Baptiſmo cur adhi-
beatur. 231
Chriſma, materia Confirmationis,
Epiſcopi conſecratione confi-
citur. 238
Chriſma quare ex oleo, & balſamo
conficiatur. 339
Chriſma cur ſacris precationibus
conficiendum Epiſcopo. 240
Chriſtianorum omnium unus ſpi-
ritualis ortus, & una nobilitas,
& unus pater. 610 & ſunt ideo
maxima neceſſitudine copula-
ti. ibid.
Chriſtiani nunquam Deum in
ipſorum oblivionem venire co-
gitare debent. 607
Chriſtiani cur Deum Patrem no-
ſtrum invocemus. 608
Chriſtiani qua ratione Chriſti fra-
tres cenſeantur. 609
Chriſtiani alii aliis præferre ſe
non debent. ibid.
Chriſtianorum dignitas ſumma
eſt, Dei eſſe filios. 611
Chriſtiani hominis ſcientia uno
capite comprehenditur. 7
Chriſtiani Doctoris opera in quo
præcipue verſari debeat. ibid.
Chriſtiani vita non in otio degen-
da. 7 & ſeq.
Chriſtiani Philoſophia, & ſæculi
ſapientia in quo differant. 18
Chriſtianus homo quantum Chri-
ſto debeat: & ſe totum Chriſto
debet tradere. 46
Chriſtiani non de ſe ſolum, ſed de
aliis ſoliciti eſſe debent. 655
& ſeq.
Chriſtiani in omnibus calamitati-
bus Deum habent perfugium.
602
Chriſtiani quare ſancti dicantur.
125
Chriſti cauſa libenter ſtultitiæ
fama ſubeunda. 508
Chriſtus quomodo in nobis re-
gnet. 625

Chriſtus frater noſter. 608
Chriſtus Eccleſiæ caput primarium caput unum viſibile Eccleſiæ præfecit. 117
Chriſti ſanguinis triplex effectus. 265
Chriſti corpus mox atque formatum eſt, ei anima, atque divinitas eſt adjuncta. 50
Chriſti tria in Eccleſia inſignia beneficia. 92
Chriſtus imitandus in referenda noſtra voluntate ad voluntatem Dei. 638
Chriſtus verus animæ panis eſt. 657
Chriſti paſſionis myſterium maxime Dei potentiam, & benignitatem oſtendit. 605
Chriſti adventus duplex. 92
Chriſti regnum ſpirituale. 41
Chriſti nomen quid ſignificet. 40
Cur hoc nomen Domino noſtro ſit tributum. ibid.
Chriſtus a diverſis naturis diverſas proprietates accepit. 41
Chriſtus quare Dominus noſter dicendus. 44
Chriſtus non eſt dicendus filius Dei adoptione, ſed natura. 51
Chriſtus a Davide originem traxit ſecundum carnem. 52
Chriſtus quare noviſſimus Adam appellatus. 53
Chriſtus naſcens ſalutari doctrina nos inſtituit. 54
Chriſti ſanguine ſcelera noſtra expiantur. 136
Chriſtus ſacramentorum omnium auctor. 180
Chriſtus totus in ſacramento Euchariſtiæ continetur. 274
Chriſtus qua ratione ſit in ſacramento. 280
Chriſtus qua ratione pœnitentiæ ſacramentum inſtituerit. 312
Chriſti, & ejus Matris, & Sanctorum imagines pingi non interdicitur præcepto legis. 444
Chriſti reſurrectio fraternitatem Chriſti cum hominibus non dirimit. 609
Chriſti divinitas nunquam a corpore ſejuncta. 61
Chriſtus pro peccatoribus paſſus. 64
Cibus multiplex, & delicatus non poſtulandus a Deo. 654
Cibus multiplex animæ. 656 & ſeq.
Circumſtantiæ peccatorum ſunt in confeſſione patefaciendæ. 340
Clavium poteſtas eſt in Eccleſia. 132
Clavium dignitas, & amplitudo. 133
Clavium poteſtatem non omnes habent. 134
Clavibus Eccleſiæ aditum in cœlum aperiri. 332
Clerici nomen unde deductum. 384
Clericorum corona unde ortum habuerit, & quid ſignificet. ibid.
Colere Deos alienos qui maxime dicti ſint. 442
Communia tribus perſonis divinis ſunt omnia opera ad extra. 48, 49
Communio unum ex nominibus Euchariſtiæ. 252

Ante Communionem præparatio qualis esse debeat, & quam sit necessaria. 290 & seq.
Præparatio ad comunionem maxime necessaria est, & pacem cum aliis habere. ibid.
Communionem sumpturus nihil habere debet, quod conscientiam gravet. ibid.
Communicare volens aliquam etiam corporis curam habere debet. ibid.
Communicandum sæpe esse demonstratur. 294 Quod fuisse olim, in Ecclesia usitatum ostenditur. ibid.
Communicandum omnibus esse saltem in Paschate. ibid.
Communicandi sub una specie quare Ecclesia consuetudinem approbaverit, vide Eucharistia. 297
Concio sacra a fidelibus attente audienda. 8
Concupiscentia in renatis remanet, sed peccatum non est. 216
Concupiscentia prava stirps malorum omnium est. 556
Concupiscentia rerum alienarum, & alienæ uxoris quid inter se differant. 557
Concupiscentia quid. 561
Concupiscendi vis non semper in vitio ponenda. 560
Concupiscendi vis recta Deo auctore a natura nobis insita est. 560 Hæc quæ nobis præstet, si rectæ rationi sit conformis. ibid.
Concupiscentia primorum parentum peccato depravata. ibid.
Concupiscentiæ vis, si moderata est, quasnam utilitates afferat. 562
Concupiscentia quare a Paulo peccatum sit dicta. 561
Non concupisces, quem sensum habeat. 563
Concupiscenda non est alienæ uxor. 565
Concupiscere alienam uxorem, quam grave peccatum sit. ibid.
Concupiscendi vitio qui maxime laborent. 568
Concupiscentia perpetua in membris nostris latitat. 636
Concupiscentia quomodo peccatum esse cognoscatur. 562 quando est peccatum. ibid.
Concupiscentiæ remedia. 566 & incommoda, quæ ab ea emanant. 567
Confessarius qualis deligendus. 344. Nunquam debet audita in confessione manifestare. 345
Confessarius erga pœnitentem quomodo se gerere debeat. 347, 348
Citra confessionem salutem recuperare non possunt, qui peccatis sunt obnoxii capitalibus. 336
Confessio contritionem perficit 332
Confessio peccatorum, & ejus necessitas. 331
Confessio quare instituta. 334
Confessionis utilitas. 332
Confessio quid sit, & cur accusatio dicatur. 333
Judicium Ecclesiasticum, quod fit in Confessione, longe dissimile est forensibus judiciis. ibid.

Confessio a Christo ob ejus bonitatem, & misericordiam instituta. 334
Confessio Sacerdoti facienda. 335
Confessionis figuræ. ibid.
Confessionis legi quinam parere debeant. 337
Confessio quo tempore puero indicta. ibid.
Confessio quando facienda. ibid.
Confessio integra esse debet. 341
Confessio nuda, & aperta esse debet. 342. Item prudens, & verecunda. ibid. Per internuncium, & per literas fieri non debet. ibid.
Confessio quando iteranda. 341 & quando non. ibid.
Confessionis minister idoneus, & legitimus quis sit. 343
In Confessione scelera non excusanda. 347
Culpa eorum, qui verecundia impediti peccata confiteri non audent. 348 Peccata diligenter perveſtiganda, antequam quis confiteatur. ibid.
Confessor quando a se pœnitentes dimittere debeat. 349 Pudori quorundam confitentium quomodo consulet. ibid.
Confidere oportet in officio precandi. 591
Confirmationis sacramentum. 234
Confirmationis nomen unde ducatur. ibid.
Confirmatio est vere sacramentum. 335
Confirmationis Sacramentum a Baptismo maxime disjunctum. 236
Confirmationis Sacramenti Christus auctor. 238
Confirmationis Sacramentum Chrisma appellatur. ibid.
Confirmationis materia Chrisma. ibid.
Confirmationis sacramenti forma quæ sit. 240
In confirmatione tria observanda. ibid.
Confirmationis Sacramenti minister proprius Episcopus. 241
Ad Confirmationem quare patrinus advocetur. 243
Affinitas, quæ cum patrinis Confirmationis contrahitur. ibid.
Confirmandi qua ætate esse debeant. 245
Confirmationis Sacramentum quomodo sit necessarium. 243
Confirmationis Sacramentum ad universos fideles æque pertinet. 244
Confirmationis Sacramentum suscipientes adulti dolere debent de peccatis. 245
Confirmationis Sacramentum præcedere debet confessio in adultis. ibid.
Confirmationis Sacramentum novam gratiam tribuit. 246
Confirmationis vocabulum unde deductum, ibid.
Confirmationis effectus. ibid.
Confirmatio non potest iterari. 248
Confirmationis sacramenti ceremoniæ, & ritus. ibid.
Confirmationis sacramentum quo tempore potissimum administretur. 249

Con-

Consilia Evangelica sequi nemo obligatur, ea tamen contemnens peccat. 465
Contra eos, qui medicamentis utuntur dæmonum arte compositis. 693
Contritio cur peccati detestatio nominetur. 322. cur hoc nomine, & aliis hæc pœnitentiæ pars dicatur. 323
Contritio quid. 321. Dolor cur dicatur. 322
Contritionis vis, & efficacia. 329
Contritionis proprius dolor ad singula peccata mortalia adhibendus. 326 quandoque tamen conteri generatim sufficit. ibid.
Ad contritionem veram quæ sint necessaria. 327
Ad excitandum eum ad contritionem, qui de peccatis non doleat, quid faciendum. 331
Coronæ viventibus paratæ a Deo, dæmones, & alios hostes vincentibus. 689
Creationis opus ab iis facilius creditur, qui de Dei omnipotentia non dubitant. 27
Quare Deus crearit omnia. ibid.
De creatione Angelorum. 31
De creatione hominis. 32
Creator visibilium, & invisibilium Deus. 33
Quæ creavit Deus, ea & conservat. ibid.
Creatio omnibus personis Trinitatis communis. 34
Creatura nova in Christo quæ. 427
Verbi hujus, *Credo*, in materia fidei Evangelicæ acceptio, & professio. 16
Credere quis proprie dicatur. 16
Quid primo credendum. ibid.
Credens inquirendi curiositate est liber. 17
Credendum esse Deo. 17
Credens interiorem fidei actum aperta fidei professione proferre debet. 18
Crucis supplicium cur Christus subierit. 58
Crucis signum quare in baptismo toties adhibeatur. 229
Cultus divini cupidos homines esse quantum oporteat. 449
Cultus externus Deo præcipitur adhiberi tertio præcepto. 469, 470
Cultus sabbati quo tempore sublatus est. 471
Cultus diei festi quare institutus. 473
Cupiditas vitiosa quare prohibeatur. 563
Cupiditates propriæ etiam justis adversantur. 636

D

Dæmones in exitu animæ quomodo nobis insidientur. 373
Dæmones eos maxime tentant, qui ab eis defecerunt. 680
Dæmonum odium in homines implacabile. 678
Dæmon, simulans angelum lucis, quæ bona non sunt, tanquam bona postulare persuadet. 640
Dæmonum externi impetus, & impressiones. 679
Dæmones quare principes appellati, & rectores mundi tenebrarum. ibid.

Dæmones perpetuum bellum nobiſcum gerunt. ibid.
Dæmones quomodo a nobis vincantur. 686
Dæmones non ſinguli, ſed plures quandoque unum hominem impugnant. 680
Dæmones quos non oppugnent, & quos maxime infeſtent. ibid.
Dæmonum vis alligata. 681
Dæmon quare malus præcipue dicatur. 697. & peccati auctor. ibid.
Dæmoni aſſignamus omnia mala, quæ in nos a proximis proficiſcuntur, tanquam auctori, & impulſori. 682
Debita, quæ dimitti poſtulamus, quæ ſint. 667
Cujus debiti ſolutio ſit ad ſalutem neceſſaria. ibid.
Debita quare dicantur noſtra. 669
De Decalogo. 422
Decalogus legum omnium ſumma & epitome. ibid. & ſeq.
Decalogi præcepta decem ex duobus charitatis pendent. 422
Decalogi Deum eſſe auctorem credere, maximam vim habet ad homines excitandos ad eam legem ſervandam. 423
Decalogi lex quanta majeſtate data. 425
Vide lex. Vide item præceptum.
Deſcenſus Chriſti ad Inferos cauſa. 74
ex Deſcenſu Chriſti ad Inferos nihil ejus dignitati detractum eſt. 73
Deſcendere ad inferos cur Chriſtus voluerit. 74
Deſideria piorum exaudit Deus. 573
Detractionis vitium quam grave, & quanta incommoda hoc vitium conſequantur. 545
Detractores qui dicendi ſint. 546
Detractoribus aures præbentes quantum peccent. ibid.
Deum unum ſolum eſſe, non plures, confitendum eſt. 21
Deum pœnitere quomodo intelligatur. 308
Deus ſolus remittit peccata auctoritate propria. 135
Dei nomen creaturis cur aliquando tribuatur. 22
Deus generali ratione omnium hominum, peculiari vero Chriſtianorum pater dicitur. ibid.
Deo omnipotens vis tribuitur. 27
Deus omnipotens cur in ſymbolo, prætermiſſis cæteris attributis dicatur. 29
Deus ſuam excellentiam etiam ethnicis cur manifeſtaverit. 19
Deo quomodo nulla fieri poſſit acceſſio. 615
Deo cur Patris nomen tribuatur. 599
Deus omnium creator. 30
Deus quæ creavit, conſervat. 33
Deo, & non Sanctis, Sacrificium offertur. 301
Deus eſt legis auctor. 423
Deus quare fortis in decalogo dicatur. 447
Deus totus eſt in ſingulis mundi partibus. 612

Deus auctor non eſt peccati. 697
Deus quare zelotes appellatus. 448
Deus quare pœnam ad tertiam, & quartam generationem comminetur. 449
Dei bonitas ſuperat ejuſdem juſtitiam. 450
Dei nomen quomodo ſit intelligendum. 454
Dei nomen quomodo honoretur. 454
Deo multa impoſita nomina. 454
Deus quibus modis laudandus. 454
Deus non habebit inſontem eum, qui nomen ejus fruſtra aſſumpſerit. 467
Deus primo diligendus, deinde parentes. 488
Deus deſideria piorum exaudit. 573
Deus omnium hominum pater vocatur. 600
Dei providentia erga homines. 600
Deus hominum non obliviſcitur. 602
Dei benignitas, & miſericordia erga homines. 607
Dei amor erga homines in redemptione oſtenſus. 605
Dei manus cum nos tangit, id non hoſtiliter facit, ſed amanter. 606
Deus quare caſtigat, quos amat. 607
Deus calamitates noſtras non ignorat. ibid.
Deus omnium Dominus eſt. 610
Deus eſt ubique, & quomodo. 612
Deus quare in cœlis eſſe dicatur. ibid.
Deus quomodo ex animo ametur. 414
a Deo quid primo petendum. ibid.
Dei gloria quomodo petatur. ibid.
Dei nomen quomodo ſanctificari petamus. 616
Deo non pretio aliquo, ſed amore ſerviendum. 642
Deo ſervire regnare eſt. 638
Dei nomen ſanctum, & terribile ſanctificatione non eget. 616
Dei nomen re, non verbis tantum ſanctificandum. 619
Dei providentia erga hominum ſalutem plane regia. 621, 622
Dei potentia, & providentia. ibid.
Deus non ad otium, & inertiam nos vocavit. 630
Deus nunquam nos deſerit. 631
Deus adminicula nobis concedit ad regnum cœlorum conſequendum. ibid.
Deum amare, ut par eſt, ſine divinæ gratiæ adminiculo non poſſumus. 634
Deum amare ſine modo debemus. 667
Ad Chriſtianam prudentiam niſi Deo auctore, & adjutore, nos aſpirare non poſſumus. 635
Deus in juſtificatis mentem ſanat, non carnem. 636
Deus requirit ſummum amorem in opera, & ſtudio, quod ei navamus. 642
Dei opera omnia bona. 643
Deus omnibus operibus ſuis ſuam bonitatem impertivit. ibid.
Dei voluntatem quare maxime colamus. ibid.
Dei viæ inveſtigabiles. ibid.

Deus nobis melius consulit, quam nos optare possumus. 654
ad Dei gloriam omnia ad usus vitæ necessaria sunt referenda. 646
Dei infinita potentia colenda. 654
Deus promptus, & paratus ad condonandum peccata pœnitentibus. 666, 667
Deus beneficentissimus parens. ib.
Deus quomodo tentet suos. 683, 684
Deus quomodo tentari sinat bonos. 684
Dei benignitas nullis hominum injuriis exhauritur. 604
Deus negat propitius, quæ concedit iratus. 574
Deus cur rogari velit, cum sciat, quibus indigeamus. 577
Deo magis curæ est nostra salus, quam nobis. 621
ad Deum confugere in malis naturale est. 692
Deus quomodo nos in tentationem inducere dicatur. 683
Deus dat vires ad Satanam prosternendum. 681
Dei benignitas non uno modo eripit nos a malis. 696
Deus non vult nos ab omnibus incommodis solutos esse. 696
Deus dat solatia iis, qui adversis premuntur. 698
Deus utitur dæmone ministro in repetendis pœnis a sceleratis. 697
Diabolo sese homines per peccatum addicunt. 663
Diaboli crudelis dominatus. 663
Diabolus quare mundi princeps, & tenebrarum dicatur. 663
Diaboli proprium officium tentare homines. 682
Diabolus cur malus dicatur. 697
Diabolus quo animo tentet homines. 683
Diabolus quare tentator dicatur. 683
Diabolus quibus modis utatur ad tentandum. 683
Dies Dominicus cur pro Sabbato institutus. 473
cur Diei dominico alia festa accesserint. 478
Dies Domini Christi novissimus adventus dicitur. 92
Die Dominico quid agere, & a quibus abstinere fideles oporteat. 479
Divitiæ non amandæ. 568
Divites quare panem quotidianum petere debeant. 655
Divites facultates suas Deo acceptas referant. 659
Divites quare bonis cumulentur a Deo. 659
Divortio nullo matrimonii vinculum disrumpitur. 413 & seq.
Doctoris legitimi opera necessaria fidelibus. 2 & 3
Doctrina Catechismi ad captum cujusque accommodanda. 8
Doctrina fidei Catholicæ quibus rebus contineatur. 8
Doctrinæ Christianæ capita quatuor. 11
Domus vocabulo quid intelligatur in nono præcepto. 563
Dubitare in oratione non debemus. 592 & seq.

E

Ecclesiæ nomine quid sit proprie intelligendum. 111
Ecclesia cur fidelium cœtus vocetur. 112
Ecclesiæ, & synagogæ differentia. 112
Ecclesia multis nominibus vocatur. 112
Ecclesiæ nomen multa significat. 113
Ecclesia militans, & triumphans quales sint. 113
Ecclesia militans, & triumphans una est. 114
In Ecclesia sunt boni, & mali. 114
Ecclesiam credere quomodo ad articulos fidei pertineat. 125
Ecclesiæ quanta sit majestas propter Eucharistiæ in ea mysterium. 273
Ecclesiæ Catholicæ agnitione Dei nomen sanctificatur. 617
Ecclesiæ prærogativæ. 273
Ecclesia est regnum Christi. 626
Ecclesiæ figuræ, & similitudines. 124
Quinam ab Ecclesia excludantur. 116
Ecclesiæ Catholicæ proprietates, & prærogativæ. 117
Ecclesiæ caput visibile Pontifex Romanus. 117
Ecclesia est una. 116
Ecclesia cur sancta appelletur. 121
Ecclesia cur Catholica sit. 122
Ecclesiæ veræ dignoscendæ a falsa certissima regula. 122
Ecclesia est Apostolica. 123
Ecclesia non potest errare. 124
extra Ecclesiam verus Dei cultus non reperitur. 125
Ecclesia originem suæ veritatis traxit ab Apostolis. 123
Ecclesiam universalem omnes tenere debent, qui salutem consequi cupiunt. 123
Ecclesiæ auctor Deus. 125
Ecclesiam claves regni cœlorum habere fide intelligimus. 126
Quare credere sanctam Ecclesiam, & non in sanctam dicatur. 126
Effundere se in conspectu Domini quid sit. 580
Eleemosyna purgat peccata. 675
Eleemosynæ necessitas. 534
Cohortatio ad Eleemosynam faciendam. 535
Eleemosynæ faciendæ causa parce vivendum est. 535
Eleemosyna orationi addenda. 598
Eleemosyna medicina est accommodata sanandis animæ vulneribus. 675
Episcopi tantum, & sacerdotes potestatem habent remittendi peccata. 136
Episcopi administratio quæ sit. 395
Episcopus tantum Ordines confert. 395
Episcopi, & sacerdotes quomodo honorandi. 492
Escarum conquisitissima genera persequi non licet. 654
Eucharistiæ, & pœnitentiæ usu qui aliquamdiu carent, plurimum damni patiuntur. 187
Eucharistiæ institutio. 250
Eucharistiæ dignitas, & excellentia. 251

Eucharistiæ sacramentum pluribus nominibus appellatur. 252
Eucharistia quare dicatur communio, viaticum, & cœna. 252
Eucharistiam post cibum, & potum sumere licet. 253
Eucharistia vere est sacramentum & unum ex septem. 253
In Eucharistiæ sacramento adoramus corpus, & sanguinem Christi. 254
Quæ proprie sacramenti rationem habeant in Eucharistia. 254
Eucharistiæ a cæteris sacramentis differentia. 254
Eucharistiæ sacrametum perfectum facit materiæ consecratio. 254
Eucharistia est unum tantum sacramentum, & non plura. 254
Eucharistia sacramentum significat. 254
Eucharistiæ sacramenti materia duplex. 255, 256
Panem, ex quo Eucharistia conficitur, azymum esse conveniens est. 258 non tamen omnino necessarium. 259
Aqua modica vino quare admisceatur in Eucharistia. 260
Aquam in Eucharistia adhiberi, non omnino necessarium. 260
in Eucharistiæ sacramento quid significet panis, & vinum. 261
Eucharistiæ sacramenti forma 262
In hac forma quæ sint non absolute necessaria. 263
Forma consecrationis vini, & ejus declaratio. 263
In sacramento Eucharistiæ tria sunt maxime admiranda. 268
In Eucharistia verum Corpus Christi, & sanguinem contineri. 269
Eucharistiam verum Christi corpus continere demonstratur. 269
Eucharistiæ sacramentum non est tantum signum corporis Christi. 280
In Eucharistiæ sacramento totus Christus continetur. 274
In Eucharistiæ sacramento quæ sint ex concomitantia. 274
Duæ consecrationes quare separatim fiant in sacramento Eucharistiæ. 275
In qualibet utriusque speciei particula Eucharistiæ totus Christus continetur. 275
Panis, & vini substantia post consecrationem in sacramento Eucharistiæ non remanet. 267, 277
Post consecrationem quare Eucharistiæ sacramentum panis vocetur. 279
Conversio mirabilis in sacramento Eucharistiæ transubstantiatio vocatur. 280
Eucharistiæ sacramentum non curiose scrutandum. 280
Qua ratione Christus sit in Eucharistiæ sacramento. 281
Panis, & vini species in sacramento Eucharistiæ sine aliqua re subjecta manent. 282
Eucharistiæ sacramentum quare sub panis, & vini specie administrari Christus instituerit. 282
Eucharistia fons omnium gratiarum. 283, 284
Eucharistia ea commoda animæ confert, quæ cibus corpori. ib.

Eucharistia quomodo gratiam tribuat. 283, 284
Prima gratia nemini tribuitur, nisi prius Eucharistiæ sacramentum voto perceperit. 285
Eucharistia omnium sacramentorum finis. 285
Eucharistiæ figura est manna. 286
Eucharistiæ utilitates. 286
Eucharistiæ sacramenti sumendi tres modi. 288
Maximis bonis se privant, qui, cum parati sint sacramentaliter sumere Eucharistiam, spiritu tantum accipiunt. 289 & seq.
Eucharistiam accipere nemini licet ante sacramentalem confessionem, si sacerdotis facultas data sit, si peccatum mortale conscientiam stimulet. 291
Jejuni ad Eucharistiæ sacramentum accedere debemus. 292
Aliquot dies ab uxoribus abstinendum iis, qui matrimonio juncti sunt, cum ad communionem accedere volunt. 292
Eucharistiæ communio sæpius iteranda. 293
Eucharistiæ sacramento quotidie alenda est anima. 293
Eucharistiam olim fideles quotidie sumebant. 294
Ab Eucharistiæ communione excipiuntur, qui per ætatem rationis usum non habent. 295
Eucharistia quare infantibus negetur. 295
Eucharistiæ sacramentum amentibus non detur. 296
Eucharistiam sub utraque specie laicis sumere non licet. 296
Vide, Communio, & Transubstantiatio.
Quare Ecclesia consuetudinem communicandi sub utraque specie prohibuerit. 297
Solis sacerdotibus potestas tradita est sacramentum Eucharistiæ conficiendi. 298
Eucharistia est sacrificium. 299
Eucharistia victima Deo gratissima. 299
Eucharistia a Christo instituta duabus de causis. 300
Eucharistia, ut Sacramentum est, merendi, ut autem sacrificium, non solum merendi, sed etiam satisfaciendi vim habet. 301
Eucharistiæ sacrificium quando institutum. 301
Eucharistiæ figuræ, & oracula. 203
Eucharistiæ sacramentum inexplicabile pignus charitatis est. 658
Eucharistiæ sacramentum quare dicatur panis noster. 658
Eucharistiæ sacramentum quare dicatur quotidinus panis. 658
Execrationes Sanctorum in scripturis sunt prædictiones. 286
Exempla, quæ ad bene sperandum nos inducere possunt. 699
Exempla humanæ infirmitatis. 677
Exitus petitionum nostrarum Deo permittendus. 659
Exorcismi usus in baptismo. 228
Extrema unctio. 363

F

Falſum teſtimonium quid. 542
Falſi teſtimonii damna. 544
Falſum teſtimonium non ſolum in judicio, ſed extra judicium vetatur. 542
Falſum teſtimonium dicere contra ſe non licet. 243
In Falſis teſtimoniis mendacium numeratur. 544
Felicitas cur æternæ vitæ nomine ſignificetur. 152 Hæc nequaquam comprehendi poteſt. 154
Felicitas in omnium bonorum aggregatione conſiſtit. 155
Felicitas in quo conſiſtat. 155
Felicitas ſemel adepta nunquam amittitur. 155 Vide Beatitudo.
Feſtorum dierum præceptum. 478
Feſti dies cur inſtituti. 478
Feſti dies præter ſabbatum alii apud Judæos fuerunt. 477
Feſti dies præter diem Dominicam quare inſtituti ab Eccleſia. 478
Dies feſti celeberrimi in Eccleſia. 478
Feſtis diebus quibus operibus Chriſtiani ſe exercere debeant. 480
Fideles ad complectendam cœleſtem doctrinam quando ſint propenſiores. 432
Fides quid ſit, & quomodo ſit ad ſalutem conſequendam neceſſaria. 13
Fidei multi gradus. 13
Fides unde concipiatur. 12
Notitia, quæ fidei diſciplina comparatur, multo certior eſt, quam quæ humanis eſt rationibus comprehenſa. 18
Fides de omnipotentia Dei quam neceſſaria, & utilis. 28
Fides redemptionis ad ſalutem neceſſaria ſemper fuit. 36
Fides veterum, & noſtra eadem. 36
Fides pœnitentiam antecedat oportet. 309
Fides non vere dicitur pars pœnitentiæ. 309
Fide firmos eſſe, caput eſt ad rite orandum. 592
Fides ad juſtificationem neceſſaria. 309
Fides duodecim capitibus cur ab Apoſtolis comprehenſa. 16
Fidei Chriſtianæ excellentia. 18
Fidei doctrina præter philoſophicas ſcientias eſt ad ſalutem neceſſaria. 18
Fides in matrimonii bonis nr merata quid ſit. 415
Fiducia impetrandi a Deo, quæ in oratione petimus, unde ſit. 592
Fiduciam conciliat nomen patris in oratione. 592
Fiduciam orationis in nobis quæ juvare poſſint. 593
Figuræ, & Prophetiæ Conceptionis, & Nativitatis Jeſu Chriſti. 58
Figuræ Crucis Chriſti. 60
Figuræ Confeſſionis. 334
Filius Dei: & vere Deus eſt Jeſus Chriſtus. 42
Filius Dei quomodo generetur. 43
Forma ſacramenti Euchariſtiæ declaratur. 262
Forma ſacramenti Pœnitentiæ 315
Forma ſacramenti Extremæ Unctionis. 366

Forma Confirmationis ſacramenti. 241
Forma aliorum ſacramentorum. Vide in propriis locis.
Formula orandi diverſa ad Deum, & Sanctos. 588
Fornicationis peccati calamitas propria. 518 Variæ ejus ſpecies. ibid. Vide Adulterium, Concupiſcentia.
Frugalitati conſulendum. 535
de Furto non faciendo præceptum auditoribus inculcandum maxime. 524
Hoc præcepto Dei benignitas erga nos maxime percipitur. 524
Hoc præceptum in duas partes diviſum monſtratur. 524
Furti nomine quid intelligatur. 524
Quare hoc Præceptum ſub Furti nomine, non rapinæ, datum ſit. 524
Furti, quod eſt injuſta poſſeſſio, & uſus rerum alienarum, variæ ſpecies. 528
Furandi etiam animus lege Dei prohibetur. 527
Furtum quam grave ſcelus ſit. 527
Furti inhanitatem declarant, quæ furtum conſequuntur. 527
Furtorum multa genera. 528
Furto ablata reſtituenda. 527
Furtum quibus rationibus ſit deteſtandum. 536
Fœnerari eſt rapinam committere, & quam grave ſcelus illud ſit. 530
Furti excuſationem nullam accipit Deus. 537
Excuſationes, quibus ſe homines defendunt in Furtis. 537
Fur divinum nomen dedecorat. 537

G

Gaudia intima Sanctorum 157
Gloria inenarrabilis Sanctorum. 154
Gloria Dei quomodo in oratione petatur. 614
Gloria quid. 614
Gradus, quibus ad orationem accedimus. 579
Gratia quid. 221
Gratiæ divinæ in baptiſmo virtutes adjunguntur. 221
Gratiarum actione maxime utimur, cum ſanctos veneramur. 586
Gratia iterum quid ſit. 357
Gratiæ regno plerumque hic excidimus. 627
Gratia Dei præcedit converſionem. 624
Gratia prævenit, comitatur, & ſequitur bona noſtra opera. 357
Gratia Chriſti quomodo ex eo, quod nobis communicetur, copioſior appareat. 357
Gratiæ gratis datæ, & cætera dona toti ſunt Eccleſiæ communia. 129
Gratiam quomodo Euchariſtia conferat. 284
Gratiarum actio cum oratione jungenda. 597
Gradus in Eccleſia diverſi non tollunt fraternæ neceſſitudinis nexum. 610
Gravitas relabentium in ſcelera. 65

H

Hæresis quam late serpserit. 4
Hæreticis adhærentes, legitimis relictis Ecclesiæ pastoribus, damnantur. 116
Hæretici sunt administri diaboli ad tentandos homines. 683
Hæreticorum artes, quibus sunt usi ad impia dogmata infundenda. 4
Hæreticus quis dicatur. 110
Hæreticorum pestis quo irrepserit. 4
Hebræorum gentem quare Deus delegerit. 430
Hebraici populi liberatio ab Ægypto. 430
Hebræos durissima servitute premi quare Deus permiserit. 431
Hebræo populo promissa præstita post. 430 annos quare. 430
Homicidium prohibens præceptum auditu jucundum. 501
Homicidium prohibens præceptum duo continet. 501
Homicidium casuale quando citra peccatum sit. 503
Homicidium casuale quando est peccatum. 503
Homicidium sui ipsius interdictum. 504
Homicidium peccatum est nefarium. 506
Homicidium, quod hoc præcepto non vetatur. 502
Homicidii qui sint rei. 504
Homicidii voluntas est peccatum. 506
Hominem occidere privata auctoritate vetitum est omnibus. 504
Omnes homines hujus legis vi, *Non occides*, defenduntur. 504
Homo ad imaginem, & similitudinem Dei formatus secundum animam, & corpus. 32
Homo postremo creatus non vi naturæ, sed divino beneficio immortalis. 32
Homo Christianus quantum Christo debeat. 36
Homo quid debeat Deo. 518
Homo quæ bona per peccatum amiserit. 633
Homo pueris comparatur. 635
Homo etiam justificatus non ita habet domitos carnis affectus, ut illi postea excitari non possint. 636
Homo qua maledictione condemnatus post Adæ peccatum. 648
Homo nullus est, qui se peccatorem non debeat vere agnoscere. 662
Homo ne unius quidem diei victum per se parare potest. 656
Homines nos persequentes Dei ministri sunt. 518
Homines divini cultus quam cupidos esse oporteat. 449
Homines comparantur ægris iis, qui gustum amiserunt. 634
Homines voluptuosi a divina voluntate alieni. 639
Hominis instabilitas. 623
Hominis imbecillitas tanta est, ut sine Dei auxilio peccata vitare non possit. 641, 642
Hominis insciția, & imbecillitas. 677
Hominum miseriæ propter peccatum primi parentis. 632

Hominum omnis labor, nisi Deus faveat, inanis. 649
Honor Deo habendus quomodo, & ubi præcipiatur. 680 & seq.
Honorare quam vim habeat. 488
Honoris vox rite in præcepto posita. 488
Honorandi a nobis patres cujuscunque generis. 488
Honoris officia, quæ in parentes conferri debent. 490
Honorantes parentes quos fructus percipiant. 496
Honor mortuis parentibus tribuendus. 492
Honorantes parentes, etiamsi cito moriantur, hujus præcepti præmium capiunt. 496
Non Honorantium parentes pœnæ. 496
De Honorandis parentibus præceptum explicatur. 484
Hostes humani generis quando omnes adversus nos artes excogitent. 678, 679 & seq.
Humiliter regnum Dei a nobis petendum. 630
Hypocritæ ex animo non orant. 596
Hypocritarum mos in orando fugiendus. 596

I

Jejunium, & eleemosyna orationi socianda. 598
Jesum Christum filium Dei credentes quam utilitatem capiant. 35
Jesus Dei filius solus potuit nos Deo reconciliare. 36
Iesus quid significet. 38
Jesu nomen quomodo alia ejus nomina contineat. 38
Jesus Christus Rex, Sacerdos, & Propheta supremus. 40, 41
Jesus filius Dei, & verus Deus. 42
Imagines pingere qua ratione prohibitum sit. 442
Imagines pingere absolute non est prohibitum. 442
Imaginem Trinitatis pingere quomodo liceat. 443
Imagines Angelorum cur fiant 444
Imagines Christi, & Sanctorum in Ecclesia habere non solum licet, sed maximo fidelium bono factum est. 444
Ad Imaginem Sanctorum cum quis orationem Dominicam enunciat, quid sentire debeat. 589
Impiorum pœna duplex, damni, & sensus. 98
Incarnatio Verbi quanti facienda. 54
Incarnationis mysterium non una sola persona confecit. 48
Per Incarnationem nulla facta est naturarum confusio. 48
Incarnationis Verbi opus quare Spiritui sancto peculiari quadam ratione tribuatur. 49
In Incarnationis mysterio quædam supra naturæ ordinem, quædam naturæ vi effectu. 49
Mirabilia, quæ in Verbi Incarnatione acciderunt. 49
Incarnationis Jesu Christi mysterium quanto pietatis studio recolendum. 54
Incommoda omnia æquo animo ferenda. 699

Indigentiam habemus terrenarum rerum ad victum, vitamque excolendam. 648
Indignari non debemus, cum nostras preces non exaudit Deus. 698
Infantes. Vide Baptismus.
Infelicitas hominis quomodo cognosci possit. 623
Inferorum nominis significatio. 71
Inferorum loca quot sint. 72
Inferorum ad loca quomodo Christus descenderit. 72
Vide, Animæ Christi descensus.
Infidelis ad fidem conversus primam uxorem retineat. 412
Inhumanitas in egenos fugienda ab eo, qui a Deo vult exaudiri. 591
Inimicorum dilectio præstantissimum charitatis officium. 508
Inimicos diligentes sunt filii Dei. 671
Inimicis non est irascendum, sed diabolo. 698
Inimicis parcendum, si volumus nobis peccata dimitti. 670
Inimici diligendi. 670
Inimicis non parcentes quid a Deo petere debeant. 673
Inimicis invisibiles quales. 678 & seq.
Injurias obliviscí est Christianis omnino persuadendum. 671 & seq.
Injurias obliviscí quomodo probandum. 672
Injuriæ remittendæ ab eo, qui vult, ut Deus sibi ignoscat. 591
Injuriarum obliviones a nobis requirit Deus. 671
Injurias qui condonant, quæ commoda capiant. 510
Injurias condonare nolentes in quæ incommoda incidant. 510
Remedia ad deponendas injurias. 512
Injurias remittendi voluntas sufficit, reclamantibus corruptæ naturæ appetitionibus. 672
Injuriarum oblivio est optima eleemosyna. 675
Injurias non obliviscí in animo habentes uti debent hac precationis conditione: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos,* & cur. 673
Instrumenta, quibus quæritur, & invenitur regnum Dei, paranda. 622
Interpretatio Cypriani verborum: *Sicut in Cælo, & in terra.* 643
Interpretatio hujus vocis, *Amen.* 703
Invocans Deum in suis calamitatibus eum honorat, & contra faciens Deum inhonorat. 467
Irasci quando sit peccatum, vel non sit. 505
Judex omnium Christus quare futurus. 96
De Judicio finali. 92 & seq. Quare Christus ad judicandum venturus. 93
Judicium Christi de nobis duplex fiet. 93
Judicii generalis necessitas. 95
Judicium cur non perinde Patri, & Spiritui sancto, ac Filio tribuatur. 96
Judicium præcedentia signa. 96
Judicii forma, & ratio. 97

Judicantis Christi sententiæ verba explicantur. 98
Judicii universalis articulus quam utilis. 99
Judices venales rapinas committunt. 531
Judices in judicio quot peccata possint committere. 544
Judicia forensia jure, & ex legibus administranda. 549
Jurans quæ considerare debeat. 459
Jurando peccat, qui injustum aliquid promittit. 465
Jurare cur liceat. 461
Jurandi necessitas excusationem habet. 459
Jurandi nimia consuetudo multa mala parit. 456
Jurans temere gravi peccato se adstringit. 460
Jurare falsum prohibitum est secundo præcepto. 464
Jurare falsum est pejerare: & quot modis pejerent homines. 464
Jurans verum, quod esse putat falsum, perjurus est. 464
Jurans falsum, quod putat esse verum, quomodo pejeret. 464
Jurans peccatum mortiferum, vel contra consilia Evangelica, ut peccet. 464
Jurans per falsas Deos peccat. 466
Jurans levibus conjecturis adductus peccat. 465
Juramentum promissorium non servans perjurus est. 465
Jurandi præcepto quare minæ adjunctæ. 467
Ad Jurandum male summa hominum proclivitas est. 468
Jurandi lex quæ jubeat, & quæ prohibeat. 453
Jurandi frequens usus minime laudandus, quamvis jusjurandum in se sit bonum. 456
Jurare quare sit institutum, & quando. 456
Jurare quid. 457
Jurare per creaturas jusjurandum est. 457
Propter peccatum male jurandi diversis suppliciis affligimur. 468
Jurisdictionis potestas unde probetur. 379
Jus naturale, seu lex naturæ quid sit. 423
Jus naturæ violant, qui inimicis non parcunt. 670
Jusjurandum in judicio quomodo fiat. 459
Jusjurandum non exigitur a pueris ante pubertatem. 459
Jusjurandum quando sit laudabile. 461
Jusjurandum a fide originem ducit. 461
Jusjurandum ad quem finem tendere oporteat. 462
Quomodo Jusjurandum a Christo prohibeatur. 462
Jusjurandum a malo esse, quomodo Christus dixerit. 463
Jusjurandum per execrationem. 557
Jusjurandum assertorium, & promissorium. 558
Jusjurandum ut rectum, sanctumque sit, quæ requirantur. 558
Jusjurandum quomodo in veritate præstetur. 558

Juſtificati mentem ſanat Dei gratia, non carnem. 636
Juſtificari non poteſt, qui non eſt paratus ad omnia Dei præcepta ſervanda. 427
Juſtificatio peccatorum eſt infinitæ Dei potentiæ opus. 134
ſit per ſacramenta tanquam inſtrumenta. 169
Juſtitia originalis ſuper naturæ facultatem homini a Deo data. 32
Juſtitia juramenti comes maxime in promiſſis requiritur. 460

L

Labor omnis in Paradiſo jucundus fuiſſet. 648
Labore manuum ea quærenda, quæ pauperibus tribuamus. 535
Lacrymæ in pœnitentia ſummopere optandæ. 325
Lex naturæ a lege ſcripta non diverſa. 424
Lex in decalogo contenta non eſt nova lex, ſed naturæ lex illuſtrata. 424
Legis juſſa difficultatem non habent. 426
Legem mandans dat etiam vim eam implendi. 426
Legem a Deo accepiſſe quantum ſit beneficium. 425
Lex cur tali loco, & tali tempore data ſit. 432
Legi obtemperandum. 427
Legis obſervantiæ fructus. 428
Ad Legem obſervandam propenſiores nos reddit ſcire, Deum eſſe dominum noſtrum. 433
Lex omnis ad præcepta ſervanda homines præmio, aut pœna inducit. 446
Legis ſervandæ modus, & ratio. 449
Lege non concupiſcendi præſcripta quid a Deo proviſum ſit. 658
Lex Dei intimo animi ſenſu ſervanda. 425
Legum divinarum, & humanarum differentia. 559
Lex divina quaſi ſpeculum quoddam eſt, in quo naturæ noſtræ vitia intuemur. 559
Libellorum famoſorum auctores damnantur. 548
Libellus repudii ab Evangelica lege damnatur. 412
Libello repudii ſeparati rurſus conjungi poſſunt. 414
Liberum arbitrium homini datum. 32
Linguæ vitium communiſſimum. 542
Loquacitas in oratione prohibetur, non longæ preces. 595
Loquacitas vitanda. 553
Lucris honeſtis tranquillitas ineſt. 653
Lumen divinum quid in nobis faciat. 13

M

Magiſtratibus politicis honor deferendus. 494
Iis quando eſt obtemperandum, & quando minime. 494
Mala cum patiamur, ad Dei auxilium confugimus. 693
A Malis cum non liberamur, non indignari debemus. 699
Malorum omnium liberationem non petimus. 685

Mala quædam, quæ communiter mala putantur, sunt tamen fructuosa. 695
Mala illa deprecamur, quæ nullam animæ utilitatem afferre possunt. 695
A quibus malis liberari petendum sit. 695
Mala, quæ in nos a proximis proficiscuntur, dæmoni assignanda. 698
Malorum liberatio a Deo postulanda. 695
Mala animæ, & corpori deprecari debemus. 695
Maledictio, qua condemnatus est homo post Adæ peccatum. 648
Maria Dei, & hominis mater vere, & proprie dicitur. 50
Maria Mater Dei quare. 50
Mariæ perpetua, & incorrupta virginitas in partu servata. 52
Mariæ in partu Spiritus Sanctus affuit. 52
Maria cum Eva confertur. 53
Maria ex Regibus orta. 53
Mariæ felicitatem gratulamur, cum eam Angelica salutatione salutamus. 587
Mariam jure oramus, ut nobis peccatoribus veniam sua intercessione conciliet. 587
Maria Mater misericordiæ. 587
Maria Advocata nostra. 587
Mariæ merita apud Deum præstantissima. 587
Mariæ summa voluntas adjuvandi humanum genus. 587
Mariti quæ sint officia. 417
Materia Sacramenti Eucharistiæ duplex. 257, 258
Materia Sacramenti Extremæ Unctionis. 365
Materiam aliorum Sacramentorum vide in propriis locis.
Matrimonium unde dictum. 401
Matrimonii Sacramentum variis nominibus appellatum. 401
Matrimonii definitio, & ejus declaratio. 401
In Matrimonio quot reperiantur res, quarum tamen nulla, nisi conjunctio, est matrimonium. 401
Matrimonium inire non possunt, qui legibus a matrimonii consortio excluduntur. 401
Matrimonii vis, & natura in quo consistat. 401
Consensus Matrimonium efficit. 401
Consensus verbis, quæ præsens tempus significant, exprimatur. 403
Consensus alterius tantum ad Matrimonium conjungendum satis esse non potest. 403
Matrimonii obligatio qualis. 404
Matrimonium non contrahitur per verba futurum tempus significantia. 404
Verborum loco in Matrimonio nutus, & signa sufficiunt. 404
Ad verum Matrimonium concubitus necessario non requiritur. 404
Matrimonii duplex ratio est, ut est officium naturæ, & ut est Sacramentum. 404
Matrimonium, ut est officium naturæ, a Deo institutum. 405

Matrimonium indissolubile institutum. 405
Matrimonium quibus causis institutum. 407
Matrimonii natura, ut Sacramentum est. 408
Matrimonium quid significet. 409
Matrimonium Sacramentum esse, & unum de septem legis Evangelicæ Sacramentis probatur. 409
Matrimonii Sacramentum a Christo institutum. 409
Matrimonium gratiam significat, & tribuit. 410
Matrimonii Sacramentum quantum præstet matrimoniis ante legem. 411
Matrimonia Judæorum sanctiora fuerunt matrimoniis Gentilium. 411
Matrimonium neque in lege naturæ, neque in lege scripta decorem suum retinuit. 411
Matrimonium duorum tantum, & non plurium conjunctione definitur. 412
Matrimonii vinculum nullo divortio dissolvi potest. 413
Matrimonium dissolvi non posse utilissimum est. 413
Matrimonia fidelium perfectione, & nobilitate Gentilium, & Judæorum matrimoniis longe præstant. 414
Matrimonii bona tria. 414
Matrimonia clandestina neque vera, neque rata esse possunt. 418
Matrimonii impedimenta tradenda sunt. 419
Matrimonium contrahentes quomodo affecti esse debeant. 419
Ad Matrimonium contrahendum parentum consensus requirendus. 419
Matrimonii usus qui esse debeat. 420
A Matrimonii officio interdum orandi causa abstinendum. 421
Medicina a Deo homini data. 694.
In Medicinæ remediis quomodo spes ponenda. 694.
Meditatione de Christi Passione. 64.
Mendacium quid sit. 544.
Mendacium dicere in utilitatem proximi non licet. 545
Mendacio fallere loco, & officii causa indignum est. 548
Mendacii summa miseria, & turpitudo. 551
Mendacii pater Dæmon. 551
Mendacium quot incommoda societati humanæ inferat. 552
Mendacia excusare error est. 553
Mendacio nemo studeat. 555
Mens bona a Deo ubi postuletur. 653
Merendi ampla occasio est patienti animo labores, & incommoda ferre. 359
Mereri possumus cum divina gratia vitam æternam. 357
Meretur oratio nostra exaudiri per meritum Christi. 597
Meritum nostrum ex divina gratia ortum habet. 357
Meritis paria reddentur præmia in cœlis. 161
Merentur fructum Passionis, qui Sacrificio Eucharistiæ communicant. 301

Me-

Meritum præmii gloriæ immortalis operibus noſtris tribuitur. 356, 357
Meritum operum noſtrorum ex merito Paſſionis Chriſti pendet. 356, 357
Meritum noſtrum non obſcurat Chriſti Paſſionem, ſed multo clariorem reddit. 356, 357
Miniſter ſacramenti baptiſmi proprius. 202 Et qui extra ordinem miniſtrare hoc Sacramentum poſſint. 203
Miniſtrorum baptiſmi ordo quis ſervandus ſit. 203
Miniſter proprius ſacramenti Confirmationis. 241
Miniſtrum confeſſionis ſcientia, & prudentia præditum eſſe oportet. 344
Miniſter pœnitentiæ duplici poteſtate, ordinis ſcilicet, & jurisdictionis, præditus eſſe debet. 343
Miniſtri ſacrificium facientes Chriſti perſonam ſuſcipiunt. 303
Miſeria hominis in hac vita demonſtratur. 623
Miſeria ſumma humani generis, quæ mala ſunt, non ut mala, judicare. 633
Miſeriæ humanæ cauſa potiſſima. 624
Miſeriæ hominis propter peccatum primi parentis quot, & quantæ. 632
Miſeriæ hominum unde. 632
Miſſæ Sacrificium idem eſt cum eo, quod in cruce oblatum eſt. 303
Miſſæ Sacrificium non eſt nuda commemoratio ſacrificii in cruce peracti, ſed vere propitiatorium. 304 & ſeq.
Miſſæ Sacrificium pro mortuis offertur, & illis prodeſt. ibid.
Miſſæ Sacrificium propitiatorium ſacrificium. ibid.
Miſſæ omnes communes dicendæ. 305
Miſſæ ritus non inanes, & ſupervacanei. 305
Mœchari prohibitum eſt præcepto ſexto. 514
Mœchia quare poſt homicidium prohibeatur. 514
Præceptum de Mœchia quibus verbis tractandum. 514
Mœchiæ præcepti duplex vis. 515
Mœchiæ, ſeu adulterii nomine prohibeatur. 515
Reliqua de Mœchia vide in Adulterio, & Fornicatione.
Mortem Chriſtus in ligno Crucis cur perpeſſus ſit. 58
Mortem Chriſti Parochi ſæpe exponere debent. 59
Mortem Chriſtus vere ſuſtinuit. 61
Mortem Chriſtus ſubivit ſponte. 61
Locum mortis, & tempus ipſe delegit. 61
Mulier quare ex latere viri formata, non ex pedibus, aut ex capite. 417

N

Nativitas Chriſti duplex non facit duos filios. 42
Neceſſitate noſtra cognita, ad patrem adire cogimur. 650

Neceſſitati noſtræ quæ ſuperſunt, cum aliis communicanda. 655
Nequitia carnis, & ſpiritus. 679
Nomen Dei Tetragrammaton non pronunciare inanis eſt ſuperſtitio. 454
Nomina quare imponenda baptizatis. 231
Nomina Gentilium imponentes baptizatis reprehenduntur. 237
Nominâ Deo impoſita quot. 454
Nomini divino quomodo verus honor attribuatur. 454
Nomen clerici unde deductum 383
Nomen Dei quomodo ſanctificari petatur. 616
Nomen Dei cur a gentilibus blaſphemetur. 616
Nomen Dei quomodo in infidelibus ſanctificari poſſit. 617 & in peccatoribus. ibid.
Nomen Dei ſanctum, & terribile ſanctificatione non eget. 616
Nomen Dei re, non verbis tantum ſanctificandum. 619
Noviſſimorum commemoratio ſæpe populo facienda, & cur. 363

O

Obedire debent omnia divinæ voluntati. 635
Obſervatio legis neceſſaria ad ſalutem. 427
Obtrectatio vitium peſſimum. 546
Obtrectatorum multa genera. 546
Odium Dei maximum omnium peccatorum. 451
Odium proximi multa peccata ſequuntur. 511
Odium dæmonum in nos infinitum. 678
Officium Parochi quid auditoribus præſtare debeat. 624
Omnis doctrinæ ratio fidelibus tradenda in ſcripturam, & traditionem diſtribuitur. 10, 11
Opera, quæ ſine fide, & charitate fiunt, grata Deo eſſe non poſſunt. 358
Opera noſtra ex gratia Chriſti merentur. 358
Operibus regnum Dei comparatur. 622
Operibus cum gratia Dei factis divinæ legi ſatisfacere poſſumus. 356
Operibus noſtris vitam æternam conſequi poſſumus. 358
Opus ullum Deo gratum ſine gratia Dei nemo præſtare poteſt. 644.
Opus redimendi hominum genus eminet inter opera gubernationis, & creationis. 605 & ſeq.
Orandus primo Deus, deinde Sancti. 588
Orandus Deus aliter, & aliter Sancti. 588
Orandi optimus modus. 579 pro quibus orandum. 584
Orandi Sancti, & qua ratione, ut noſtri miſereantur. 588 & 589
Orandi ratio optima. 594
Orandum eſt in ſpiritu, & veritate. 594
Orandi in ſpiritu conſuetudinem infideles non habent. 595
Orandum in nomine Chriſti. 597
Orandus Deus, cum proximus nos lædit, & quomodo. 698

Orantes Deo honorem habemus. 572
Oranti majestas divina fit propior. 700
Orare intra cubiculum quid sit. 596
Orantem Christianum pro aliis Deus libenter audit. 609
Orare alii pro aliis debemus. 609
Orantes cum Deo colloquuntur. 700
Orantium fructus, & munera. 700
Orare, sicut oportet, debemus, & qui non sic orent. 596
Orandi modus, quem effundendi voce Scripturæ exprimunt, quis sit. 580
Orationis, seu petitionis, seu gratiarum actionis multi sunt gradus. 579 & seq.
Quos peccatores in Oratione Deus exaudiat, & juvet. 580
Oratio ad Deum necessaria. 571
Orationis necessitatem quibus rationibus fideles intelligent. 571
Oratione dæmones fugamus. 576
Orationes quas semper exaudit Dominus. 573. Cur aliquæ non exaudiantur. 574
Christus in oratione pernoctabat. 571
Orationis utilitas, & fructus. 572
Oratio est quoddam religionis argumentum. 573
Oratione Deo nos subjectos esse profitemur. ibid.
Oratio est cœli clavis. ibid.
Oratione ampliſſima dona consequimur. ibid.
Oratio quibus partibus constet. 577
Orationis partes præcipuæ duæ. 578
Oratio eorum, qui nondum fidei lucem acceperunt, quomodo exaudiatur. 581
Orationum, quæ fiunt in Ecclesia in die Parasceves, antiquitas. 585
Oratio requirit assiduitatem. 576
In Oratione sanctorum fervor imitandus, & petitioni gratiarum actio adjungenda. 597
Oratio nostri desiderii interpres. 614
Oratio, sive impetretur, quod petitur, sive non, quam salutaris. 659
Oratio Dominica quotidie recitanda. 656
Oratio quorum non exaudiatur a Deo. 581
Orationes pro impiis fieri debent. 585
Orationes pro mortuis in Purgatorio ab Apostolis fluxere. 586
Orationes pro peccantibus ad mortem non proficiunt. ibid.
Orationem Dominicam ante imagines sanctorum pronuncians quid sentire debeat. 589
Oratio humilis esse debet. ibid.
Orationis præparatio. ibid.
In Oratione qui vult exaudiri, a quibus ei sceleribus abstinendum. 590
Orationem nostram facit execrabilem contemptus divinæ legis. 591
Oratio dubitationem non admittit. 591

Oratio mentalis vocalem non excludit, & mentalis principalem locum tenet. 594
Orationis vocalis propria utilitas, & neceſſitas. 595
Oratio privata, & publica. ibid.
Orationis Dominicæ expoſitio. 599 & ſeq.
Oratio pro altero facta Deo gratior, quam per ſe. 609 Quæ inanis eſt, niſi poſtulet cœleſtia, aut cum cœleſtibus conjuncta. 613
Orationes ſunt arma contra ſatanam. 576. in principio timoris plenæ, in fine exultationis. 701
Ordo ſervandus in oratione. 690
Ordo quid. 381 eſt Sacramentum. 382. & multos habet gradus, & varias functiones. 381
Ordo ſacer inter Eccleſiæ Sacramenta quare enumerandus. 382
Ab Ordinis Sacramento omnia alia Sacramenta pendent. 375
Ordinis dignitate nulla in terris excellentior. 376
Ordinati rite ſunt legitimi Eccleſiæ miniſtri. ibid.
Ordinandi quales eſſe debeant. 383 hi quem finem ſibi proponere debeant. 377
Ordinis Sacramento initiati præcipua gerunt Eccleſiæ munera. 377
Ordinis poteſtas ad quæ ſe extendat. 380
Ordines miniſtrorum quare plures inſtituti. 382
Ordinis Sacramenti quis ſit miniſter legitimus. 395
Ordines ſeptem qui. 383 alii majores, alii minoris. ibid.
Ordo oſtiarii, lectoris, exorciſtarum, acolythorum. 385 Subdiaconi, & eorum munera. 387
Ordinibus ſacris lex perpetuæ continentiæ imponitur. ibid.
Ordo Diaconi, & munus. 388 Sacerdotii. 390 Vide Sacerdos, & ſacerdotium. ibid. & ſeq.
Ordines ſacri fiunt ſtatis diebus, quibus etiam jejunia indicuntur. 395
Ordinandi prius Sacramento Pœnitentiæ conſcientiam purgent. ibid.
Ordinis Sacramentum pueris, & furioſis non conferendum. 397 qui ætatis annus in ſingulis Ordinibus expectandus. ibid.
Ordinis Sacramentum characterem imprimit. ibid.
Originalis juſtitiæ donum homini datum. 32
Originale peccatum ex Adam propagatum. 35

P

Panis nomine multa in divinis literis ſignificari. 650 & omnia neceſſaria victui, & veſtitui intelliguntur. ibid.
Panis ad neceſſitatem, non ad luxuriam petendus. 652
Panis a nobis jure acquirendus, non injuria, vel fraude. 653
Panis quare quotidianus appellatus. 654 & quare aſſidue a Deo petendus. ibid.
Panem quotidianum quomodo divites petere debeant. 655

Panis ſpiritualis. 656
Panis, qui Chriſtus eſt, incredibili lætitia perfundit piorum animos. 657
Panis noſter ſubſtantialis Chriſtus in Euchariſtiæ ſacramento continetur. 658
Parentibus honor quis debeatur. 490 & iis in neceſſitate ſubveniendum eſt. 491 iiſdemque etiam mortuis honor tribuendus. ibid.
Parentum officia erga filios. 497 nimiam ſeveritatem, & indulgentiam fugiant. 498
Parochi, qui ſine diſcrimine cum conditione iterum baptizant, ſunt irregulares. 224
Paſſionis Chriſti myſterium maxime Dei potentiam, & benignitatem oſtendit. 660 & ſeq.
Paſſionis Chriſti tempus quare obſervetur. 58
Paſſionis Chriſti cauſa. 65
Paſſionis Chriſti hiſtoria populo ſæpe inculcanda. 59
Paſſionis Chriſti beneficium qua ratione contemplari conveniat. 64
Paſſus eſt Chriſtus pœnas graviſſimas. 67
Paſſiones Chriſti acerbiores, quam Sanctorum. 67 & quæ commoda nobis conferant. 68
Paſſio Chriſti nobis veniam peccatorum promeruit. 660 & ſeq.
A Paſſione Chriſti omnis ſatisfactionis vis, & ratio fluxit. 667
Paſtorum Eccleſiæ verba, tanquam Dei verba recipienda. 3
Paſtores etiam hodie neceſſe eſt verbum Dei prædicare. 3
Patris vox quid Deo ſignificet. 23
Pater quare dicatur prima perſona in divinis. 24
Patris nomine qui vocentur. 488
Patres cujuscunque generis a nobis honorandi. ibid. & ſeq.
Pater, quare in principio orationis poſitum. 599
Pater omnium Deus. 600
Patrum veteris legis polygamia excuſatur. 412
Patriarchæ olim quot, & eorum gradus. 394
Patrini quare adjuncti ad baptiſmum præter Sacramenti miniſtros. 204 & ſeq.
Patrinorum uſus antiquus. 205 & quot eſſe debeant. 207
Patrinorum affinitas cum quibus contrahatur. 205
Patrini partes. ibid.
Patrinum in Baptiſmo eſſe cui non liceat. 207
Patrinus quare ad confirmationem vocetur. 243
Patrini confirmationis quam affinitatem contrahant. ibid.
Peccatum, & peccati pœna ex Adam ad nos promanavit. 36
Peccata quædam remitti non poſſe, quomodo intelligatur. 318
Peccata cogitationis quantum referat a Deo fuiſſe prohibita. 558
Peccata omnia mortalia etiam cogitationis in confeſſione aperienda. 338

Peccata diligenter perveſtiganda ad ea confitenda. 348
Peccata in Eccleſia quomodo remittantur. 132
Peccata pœnitentibus condonare ſemper promptus eſt, & paratus Deus. 666 & ſeq.
Peccata quare debita dicantur. 667
Peccata ſine Dei auxilio vitare non poſſumus. 641
Peccati culpa dimiſſa pœna non remittitur. 352
Ad Peccati veniam conſequendam tria requiruntur. 661
Peccati veniam poſtulans qualiter affectus eſſe debeat. 674
Peccati peſtis teterrima. 664
Ad Peccati condonationem dolor, & malorum ſenſus quam ſit neceſſarius. 665
Peccatum conſequuntur duo. 352
Peccatum, id eſt peccati fomes, ubi habitet. 637
Peccatorum noſtrorum immanitate averſus a nobis Deus operibus noſtris non benedicit. 649
Peccato omnes addictos eſſe. 662
Peccatorum recordatio qualis eſſe debeat. 663
Peccatorum turpitudo. ibid.
Peccatum, etſi ejus actio tranſierit, macula tamen, & reatus permanet. 665
Peccatum ſemper inſequitur ira Dei. ibid.
Peccatis Deus offenditur. 666
Peccatorum remiſſionem petentes excuſatione non utamur. 669 quomodo noſtra ſint. ibid.
Pejerat is, qui jurando juſtitiam deſerit. 460
Pejerare variis modis ſolemus. 466 ſumma hominum proclivitas ad pejerandum. 668
Pericula, in quibus aſſidue verſamur, ante oculos ponenda. 678
Perjurium cauſa eſt cur diverſis ſuppliciis affligamur. 468
Permiſſio in Deo quomodo intelligatur. 685
Perſonarum divinarum proprietas. 24
Perſona prima in divinis quare Pater dicatur. ibid.
Quæ ad divinas Perſonas pertinent, ſubtilius exquirere non oportet. 17
Petere quid primum a Deo debeamus. 614
Petere regnum Dei non ſatis eſt ad illud acquirendum. 622
Petere, ut Deus noſtris cupiditatibus non ſatisfaciat difficile in animum inducimus. 640
Petere non debemus abundantem, & exquiſitam copiam ciborum. 654
Petere ſubſidium rerum humanarum a Deo poſſumus. 654
Cur hæc a Deo petere liceat. 646
Petere non ſibi, ſed omnibus, eſt proprium Chriſtianæ charitatis. 655
Petere dimitti debita quid ſibi velit. 667
Petere debemus malorum depulſionem, ſi id ad gloriam Dei facit. 692

Petere non debemus, ut omnino non tentemur. 685
Petere non debemus omnino ab omnibus malis liberari. 695
Petere non debemus, ut Domini manus cibos ſuppeditet ſalubres. 655
Petenda a Deo quæ ſint. 582
Petendum quid ſit ſine adjunctione. 583
Petentibus piis hominibus ſi quid negat Deus, argumentum eſt, id eis utile non fuiſſe. 659
Cur, cum Petitio de regno Dei cum omnibus conjungatur, ea tamen ſeparatim facienda ſit. 621
Petitio, *fiat voluntas tua*, quem ordinem habeat. 632
Petitiones, quibus corporis, & animæ ſubſidia petuntur, quæ ſint. 647
Petitionum ordo ſequi debet ordinem rerum expetendarum. 614
Petitio omnis noſtra ad cœleſtia referri debet. ibid.
Petitores, & accuſatores recte quomodo ſuo officio fungantur. 551
Petrus ſummus Pontifex, & caput omnium Apoſtolorum. 117 & a Chriſto caput Eccleſiæ conſtitutus. 120
Petri ſucceſſor eandem cum Petro poteſtatem habet. ibid.
Philoſophi quid de Deo ſenſerint. 19
Philoſophia Chriſtiana a ſæculari ſapientia quantum differat. 18
Pœnæ graviſſimæ, quas Chriſtus perpeſſus eſt. 66
Pœnitentiæ uſu carere diutius plurima damna affert. 187
Pœnitentiæ ſacramentum eſt neceſſarium. 306 reiterari debet. ibid.
Pœnitentia ſecunda naufragii tabula. ibid.
Pœnitentia multiplex. 307
Pœnitentiæ nominis varia notio, & poteſtas. ibid.
Pœnitere Deum, per translationem dicimus. 308
Pœnitentiæ variæ ſignificationes in quo differant. ibid.
Pœnitentiam fides antecedat neceſſe eſt. 309
Pœnitentia virtus eſt, & ſacramentum. ibid.
Pœnitentia, ut virtus eſt, quid ſit. ibid.
Citra Pœnitentiam nullus condonationem peccatorum obtinere poteſt. 319
Pœnitentia quid ſit. 306
Per Pœnitentiam cur peccatum non ita dimittatur, ſicut in baptiſmo. 353
Per Pœnitentiam Chriſto aſſimulamur. 355
Pœnitentia hæc intima quare ſit virtus. 309
Pœnitens vere quid ſibi proponere debeat. 310
Quibus gradibus ad Pœnitentiam liceat aſcendere. 311
Pœnitenti regnum cœlorum ſacræ litteræ pollicentur. ibid.

Pœnitentia exterior eſt ſacramentum. 313
Pœnitentiæ ſacramentum quare Deus inſtituerit. 312
Pœnitentiæ ſacramenti materia, & forma. 314 & 315
Pœnitentiæ cæremoniæ, & ritus. 316
Pœnitentiæ ſacramenti fructus. 317
Pœnitentia nos in Dei gratiam reſtituit. ibid.
Pœnitentiæ partes integrales. 319
Pœnitentia quare ex partibus conſtet. 320
Pœnitentia publica quare publico peccato indicatur. 354
In Pœnitentia duo animadvertenda. 356
Pœnitentiæ pœna a nobis ſuſcepta Dei animadverſionem antevertit. ibid.
Pontificem Romanum Catholica Eccleſia patrem orbis terrarum appellat. 394
Pontifex Romanus eſt Eccleſiæ caput viſibile. 117 ejus auctoritas Patrum ſententiis roboratur. 118
Pontifici Romano ſumma dignitas, & jurisdictio jure divino data. 119 & 394
Pontifex Romanus moderator univerſalis Eccleſiæ, Petri ſucceſſor, & Chriſti verus, & legitimus Vicarius. 394
Poſtulatio de regno Dei magnam vim donorum, & copiam continet. 621
Poſtulatio dimittendi debita de quibus intelligatur. 669
Poteſtas Eccleſiaſtica duplex eſt, ordinis, & jurisdictionis. 379
Præcepta omnia legis Moſaicæ ex decem pendent præceptis, & illa decem ex duobus. 422
Præceptum primum Decalogi. 433
Præceptorum ordinis ratio. 434
Præceptum duplex continetur in verbis primi præcepti. 435
Præceptum omnium primum, & maximum eſt primum. 436
Præcepto primo non prohibetur ars ſculpendi, fingendi, & pingendi. 442
Præceptum primum quare a ſecundo ſeparatim traditum. 452
Præcepti ſecundi lex, quid prohibet, & quid jubeat. 453
Præcepti de diligendis parentibus uſus latiſſime patet. 485
Præcepta Decalogi duabus tabulis inciſa, & quare. 485
Præceptum de diligendis parentibus quare matrem explicet. 490
Præcepta ultima duo quare ſimul conjuncta. 557
Præcepta duo poſtrema qui ſervat, cætera omnia ſervat. 556
Quo pacto inter ſe differant. ibid.
Ex Præceptis his duobus poſtremis quanta ad homines promanet utilitas. 558
Præceptorum duorum ultimorum duplex utilitas. ibid.
Prædicatio divini verbi nunquam intermittenda. 3
Prædicare non debet aliquis, niſi mittatur. ibid.
Prædicatio verbi Dei fidem nobis acquirit. ibid.

Prædicantium verbum Dei auctoritas. 3
Præmia victoribus propoſita. 689
Præparatio ad orationem in quo conſiſtat. 589 & ſeq.
Præparatio ad comunionem qualis, & quam neceſſaria. 290
Requiritur; ut jejuni accedamus. 292
Præſidia quot, & quanta Deus nobis ad conſequendam ſalutem conceſſerit. 631
Precatione Dominicali ſinguli quotidie uti debent. 676
Precantes omnes Eccleſiæ nomine precantur. 673
Preces Deo aſſidue faciendæ. 597
Preces etiam pro proximis faciendæ, etiamſi ab illis læſi fuerimus. 585
Preces Chriſtianorum, & infidelium, in quo differant. 693
Preces cum non audit Deus, indignari non debemus. 698
Preces, quæ in Litaniis fiunt, Dominicam Orationem explicant. 696
Pretium Crucis Chriſti quanti ſit. 660
Prophetæ planius de Eccleſia, quam de Chriſto locuti ſunt. 110
Prophetæ falſi exierunt in mundum. 4
Prophetarum falſorum impietas quam longe ſit progreſſa. 3
Providentia Dei erga homines. 653
Proximus quid ſit. 543
Prudentiam ad ſalutem neceſſariam, niſi Deo auctore, comparare non poſſumus. 635
Pudicitia, & continentia omni ſtudio colenda. 517
Purgatorius ignis probatur. 72
Purgatorius ignis ante Chriſti adventum Judæis perſuaſus. 75

R

Rapinæ majus peccatum, quam furti. 526
Rapinæ, & earum genera. 530
Raptores qui dicendi. ibid.
Redemptionis pondere quid acceperimus. 605
Regnum Dei ante omnia poſtulandum. 621
Regni Dei multæ ſignificationes. 624
Regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo, quomodo intelligendum. 625
Regnum Dei in nobis quale. 626
Regnum Dei intra nos quomodo intelligendum. ibid.
Regni cœlorum prædicatio eſt initium, & finis Evangelii. 620
Regnum Dei quomodo petendum. 622
Regnum Chriſti quare juſtitia dicatur. 626
Regnum Gloriæ quid. 626 Semel adeptum nunquam amittitur. 627
Regnum gratiæ prius ponendum, quam gloriæ. ibid.
Regni Chriſti, quod eſt Eccleſia, petitur a Deo propagatio. 627 & 629
Regni Chriſti deſiderium quibus rationibus in nobis excitabitur. 629

Regnum Dei quomodo veniat in peccatores. 628
Regnum Christi quomodo petatur, ut in nobis sit. ibid.
Regni Christi excellentia. 629
Regni cœlorum consequendi adminicula a Deo nobis concessa. 631
Regnum cœlorum ingredi cupientes petere debent a Deo, ut fiat voluntas ejus. 632
Rei per legitimum Magistratum interrogati mentiri non possunt. 549
Reliquiarum Sanctorum virtus unde confirmetur. 441
Remedia ad diversas noxias cupiditates. 567
Remedia ægrotantis animæ Pœnitentia, & Eucharistia. 674
Remedia sanitatum tantum prosunt, quantum Deus voluerit. 694
Remissio peccatorum est cumulus bonorum, quibus per Christum fumus affecti. 660
Remissio peccatorum in Ecclesia reperitur. 132 ejusque potestas. ibid.
Remissionem peccatorum nemo sine pœnitentia consequitur. 319
Remissa culpa, non semper pœna, quæ peccato debetur, condonatur. 352
Remittendi peccata potestatem Christus Episcopis, & Sacerdotibus in Ecclesia concessit. 134
Remittuntur peccata in Ecclesia virtute clavium. 133
Remittendi peccata potestas nulli hominum ante Christum concessa. 135
Renati inter hujus vitæ miserias solidis gaudiis non destituuntur. 228
Restitutio pœnitenti est necessaria. 527
Qui cogendi sint, ut restituant. 532
Resurrectio Christi: & de ejus glorioso mysterio. 75
Christus sua virtute resurrexit. 76
Resurrectio Christi quas ob causas necessaria fuerit. 79
Resurrectio Christi quot commoda humano generi attulerit. 81
Resurrectionis beneficio Christus primum omnium est affectus. 77 hoc quomodo intelligendum sit, exponitur. ibid.
Resurrexisse Christum tertia die, quomodo intelligatur. 78
Resurrectionis Christi mysterium maxime necessarium ad credendum. 80
Resurrectionis Christi finis. ibid.
Resurrectio Christi quæ nobis exempla sumenda proponat. 82
Resurrexisse aliquem secundum spiritum ex quibus indiciis colligatur. 83
Resurrectio quibus scripturis stabiliatur. 140 similitudines, & rationes, quæ idem probant. 141 & 142
Resurgentium corpora qualia sint futura. 147
Resurrectionis mortuorum fides fides nostra innititur. 139

Reſurrectio hominis quare reſurrectio carnis dicatur. 139
Reſurgentium varia conditio. 148
Reſurrecturi omnes morituri ſunt, nemine excepto. 144
Reſurgent corpora noſtra immortalia, & eadem. 145
Reſurrectio mortuorum probatur. ibid.
Eorum, qui ſurgent, dotes. 148
Ex Reſurrectionis articulo qui fructus capiantur. 150
Romana Eccleſia omnium mater, & magiſtra. 366 ejus deſertores damnantur. 116

S

Sabbati celebritas quare in ſacris literis ſæpiſſime præcipiatur. 570
Sabbatum quid ſignificet. 474
Sabbatum quare Domino conſecratum. 475
Sabbatum quarum rerum ſignum fuerit. 476
Sabbatum cœleſte, & ſpirituale quod ſit. 477
Sabbatum quare in diem Dominicam translatum. ibid.
Sabbatum qua ratione colendum. 474
Sacerdotibus ſolis data eſt facultas ſacramentum Euchariſtiæ conficiendi. 298
Hi, quamvis improbi, ſacramentum conſecrare, & miniſtrare poſſunt. 299
Sacerdotes quando Chriſtus inſtituerit. 301
Sacerdos quilibet in neceſſitate quemlibet pœnitentem abſolvere poteſt. 344
Sacerdotibus ad victum neceſſaria ſuppeditanda. 493
Sacerdotium Chriſti excellentius eſt ſacerdotio legis naturæ, & legis ſcriptæ. 380
Sacerdotum Chriſti poteſtas in dijudicanda peccati lepra quantum differat a poteſtate ſacerdotum legis veteris. 316
Sacerdos quare Presbyter nominetur. 390
Sacerdos ſilentio peccata in confeſſione audita comprimat. 345
Sacerdotes Dii, & Angeli vocantur. 376 & ſeq.
Sacerdotes novi teſtamenti cæteris omnibus præſtantiores. ibid.
Sacerdotum poteſtas maxima. ibid.
Sacerdotes qui mercenarii. 378
Sacerdotes per oſtium Eccleſiam ingredientes qui ſint. 378
Sacerdotes in omni lege fuerunt. 380
Sacerdoti ab Epiſcopo quanta poteſtas tradatur. 382
Sacerdotalis ordo tametſi unus eſt, varios tamen & dignitatis, & poteſtatis gradus habet. 393
Sacerdotes ſimplices qui. ibid.
Quid in eo, qui Sacerdos creandus eſt, requirendum. 396 & quam cognitionem habere debeat. ibid.
Sacerdotis duo munera. 392
Sacerdotio initiandi quem finem ſibi proponere debeant. 377
Sacerdotis dignitate nulla in terris excellentior. 376
Sacerdotii onus nemini temere imponendum. 377

Qui ad Sacerdotium vocari dicantur a Deo. 376
Sacerdotii potestas duplex. 379
Sacerdotii Evangelici potestas a Christo ortum habet. 381
Sacerdotium externum non cadit in omnes Christianos. 391
Sacerdotium duplex internum, & externum. ibid.
Sacerdotii munera propria. 392
Sacerdotii functio præcipua. ibid.
Sacramenti nomen quomodo accipiatur. 163
Sacramentum quid. 165
Sacramentum non unam tantum rem præsentem designat, sed plures. 171
Sacramenta novæ legis in quo excellant veteris legis sacramentis. 184
Sacramenta septem unde ex Scripturis demonstretur. 178
Sacramentorum virtus æqualis non est. 179
Sacramentum, & sacrificium in quo differant. 299
Sacramenti definitio ex Augustino. 165
Sacramenta inter eas res, quæ significant, referuntur. 166
Sacramenta sunt signa a Deo tradita. 168
Sacramentum sanctitatem significat, & efficit. 169
Sacramenta non sunt imagines sanctorum, & cruces. ibid.
Sacramenta legis Evangelicæ quare instituta. 171
Sacramentum quodlibet ex duobus conficitur, ex materia & forma. 175
Sacramentorum cæremoniæ sine peccato prætermitti non possunt. 176
Sacramenta quare cum solemnibus cæremoniis ministrentur. ibid.
Sacramentorum differentia inter se. 179
Sacramentorum auctor Christus. ibid.
Sacramenta quare per homines Deus ministrari voluerit. 180
Sacramentorum ministri Christi personam gerunt. ibid.
Sacramenta novæ legis impura conscientia ministrare, quam perniciosum sit ipsis ministris. 182
Sacramentorum effectus. 183
Sacramenta gratiam justificantem conferunt. ibid.
Sacramentorum ministri sua pravitate effectus sacramentorum impedire non possunt. 180
Sacramentorum effectus cur initio mirabiliter designati. 183
Sacramenta quibus rationibus veneranda sint. 186
Sacramentorum novæ legis excellentia ad vetera comparatorum. 184
Sacramenta tria characterem imprimunt. 185
Sacramentorum usu christianum ædificium fulcitur. 187
Sacramenta per improbos, si quæ ad eorum rectam rationem attinent rite serventur, conficiuntur. 299
Sacrificium nostrum quando fuerit institutum. 301

Sacrificium quibus figuris, & prophetiis designatum fuerit. 302
Sacrificium unum sunt cruenta, & incruenta hostia. 303
Sacrificium idem est, quod in Missa, & quod in cruce oblatum est. ibid.
Sal in baptismo quare adhibeatur. 229
Saliva quare nares, & aures in baptismo liniantur. ibid.
Sanctorum communio quam utilis, & quid significet. 127
In Sanctis venerandis Dei gloria non minuitur, sed augetur. 438
Sanctorum patrocinium non est supervacaneum. 439
Christus etsi mediator propositus sit, non propterea sequitur, quin ad Sanctorum gratiam confugere liceat. 440
A Sanctis quomodo petere possimus, ut nostri misereantur. 589
Satanæ incursibus qui maxime omnium petantur. 680
Satan quibus rebus vincatur. 688
De Satisfactionis doctrina. 349
Satisfactio, quæ nobis Deum placatum reddidit, solius Christi est. 356
Satisfactio Canonica quæ. 351
Satisfactio a nobis sumpta quæ sit. ibid.
Satisfactio, quæ est sacramenti pars, quæ sit. ibid.
Satisfactione cur opus sit post peccatorum remissionem. 353
Ad Satisfactionem necesse est, ut homo sit in gratia. 358
Satisfactoriæ sunt afflictiones, quæ extrinsecus inferuntur. 359
Satisfactionis definitio, & necessitas. 350
Satisfactio nostra Christi satisfactionem non obscurat, sed multo clariorem reddit. 357
Omne Satisfactionis genus ad tria præcipue confertur opera. 359
Satisfacere unus pro altero potest. ibid.
In Satisfactionis pœna irroganda quid sit servandum. 361
Satisfactionis opera a sacerdote indicta pœnitens sæpe etiam ultro suscipiat. 362
Schismatici ut damnentur. 116
Sepulturæ Christi cur fiat expressa mentio in symbolo. 63
Servi aliorum non sunt per cupiditatem solicitandi. 564
Servire Deo nihil magnificentius. 644
Sicut particula, cum dicimus, *Sicut & nos*, quam vim habeant. 670
Signa a Deo instituta tam in veteri, quam in novo testamento. 168
Signa a natura adinventa, & divinitus data. 167
Signa quæ dicantur. 165
Signa ante judicium quæ. 97
Signaculum totius Orationis Dominicæ est vox, *Amen*. 703
Spes impetrandi maximum pondus ad impetrandum affert. 592
Spe cœlestium præmiorum quomodo nos Deo dicare debeamus. 629

Spem unde habere debeamus impetrandi veniam peccatorum. 666
Spes in tentationibus ex quibus naſcatur. 687
Spiritus Sancti perſonam non debemus ignorare. 101
Spiritus Sancti nomen aliis perſonis commune eſſe poteſt. 102
Spiritus Sancti perſonæ cur proprium nomen tributum non ſit. 103
Spiritus Sanctus Patri, & Filio in omnibus æqualis. ibid.
Spiritus Sanctus eſt Deus. ibid.
Spiritus Sanctus eſt una Trinitatis perſona per ſe ſubſiſtens. 105
Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere demonſtratur. 106
Spiritus Sancti admirandi effectus qui, quales, & quanti. 108
Spiritus Sanctus quare Dominus appellatus. 106
Spiritui Sancto cur opera quædam, & dona peculiariter tribuantur. 108
Spiritus Sanctus noſtrarum orationum auctor eſt. 593
Superbia magnopere Deum offendit. 591
Symboli neceſſitas quæ ſit. 15
In Symbolo propoſita quomodo curioſe ſcrutanda non ſint. 17
In Symbolo quomodo dogma de veritate Euchariſtiæ includatur. 272
Symbolum ab Apoſtolis compoſitum, & quare ſic appellatum. 14
Symbolum in tres partes diſtributum. 15

T

Tentare quid ſit. 682
Tentat, qui non impedit tentationem. 683
Tentet Deum quis in oratione. 594
Tentatio in hac vita triplex eſt. 678, 679
Tentationum fluctibus agitati in precationis portum confugiamus. 686
In Tentationem ne inducamur, orandus eſt Deus. 688, 689
Tentatio eſt vita hominis ſuper terram. 685
In Tentationem inducere quomodo Deus dicatur. 683
In Tentationibus ſuperandis dux Chriſtus eſt, ſocii Sancti. 687
Tentator quare diabolus dicatur. 683
Terra in media mundi parte conſiſtit, & quomodo creata. 32
Teſtem juratum judex rejicere non poteſt. 542
Teſtimonii falſi non dicendi Præceptum. 541
Quid præcepto non dicendi falſum Teſtimonium prohibeatur. 542
Teſtimonium falſum dicere, aut mentiri propter amicum non licet. 543
Teſtimonium falſum in ſeipſum dicere non licet. ibid.
Teſtimonium falſum quod vocet Apoſtolus. 544
Teſtimonii falſi damna. ibid.

Teſtimonium eſt confeſſio laudis Dei. 550
Teſtimonii veri in rebus humanis maximus uſus. ibid.
Tondendi caput in coronæ ſpeciem conſuetudinem S. Petrus primus induxit. 384
Tonſura prima quid ſit. 383
Traditione Apoſtolica declaratur purgatorius ignis. 72
Traditio Apoſtolorum, qua Epiſcopus a tribus Epiſcopis conſecratur. 395
Tranſubſtantiatio in Conciliis approbata in ſcripturis fundamentum habet. 277 Eam Patres quomodo agnoverint. 278 Quomodo fiat tranſubſtantiatio. 279
Tribulationum commoda. 698
Trinitatis opera ſunt indiviſa ad extra. 108
Trinitas apparuit in baptiſmo Chriſti, & cur. 199

V

Vaſa ſacra nemo non conſecratus tangere poteſt. 298
Verbum Dei inhonoratur vel male interpretando, vel jocando. 466
Verba inter omnia ſigna maximam vim habent. 168
Verbi prædicatione, & Sacramentorum uſu Chriſtianum ædificium fulcitur. 187
Verbi Incarnatio. 47 Vide Incarnatio.
Verbum Dei cibus eſt animæ. 657
Verbi Dei fames quare mittatur. 657
Verum tacere interdum licet, ſed extra judicium. 550
Veſtis candida in baptiſmo data quid deſignet. 231
Victoria contra diabolum quomodo paretur. 688
Victoria omnis eſt a Deo. ibid.
Vigiliæ tentationes vincunt. ibid.
Viri officium erga uxorem. 417
Virginitas conjugio præſtantior. 406
Vita æterna quid ſignificet. 152
Vita quantum bonum ſit, etiamſi multis ſit calamitatibus obnoxia. 155
Vita, & ſalus noſtra ex Deo pendet. 656
A Vitio linguæ innumerabilia mala proficiſcuntur. 541
Unctionis Extremæ Sacramentum quare ſic dictum. 364
Unctio Extrema eſt vere Sacramentum, 364. & unum tantum. 365
Unctionis Extremæ materia, & forma, & ritus. ibid.
Unctionis Extremæ Sacramentum quibus ſit conferendum, & quibus non. 368
Unctionis Extremæ Sacramentum a Chriſto inſtitutum. 367
Unctionis Extremæ Sacramentum quo tempore adhibeatur. 369
Unctionis Extremæ Sacramentum ſuſcipere apti non ſunt, qui rationis uſu carent. ibid. & pueri. ibid.

Quæ partes corporis ſint ungendæ. 369
Unctionis Extremæ Sacramentum poteſt iterari. 370
Unctionis Extremæ miniſter. 371
Unctionis Extremæ utilitates. 372
Unctionis Extremæ tempus opportuniſſimum. ibid.
Vocationi ſuæ quiſque acquieſcat. 645
Voluntas Dei ut fiat, quare petamus. 632
Voluntas Dei ut fiat, qui maxime petere debeant. 637
Voluntas ſigni quæ. ibid.
Voluntas fiat tua, quomodo Deo ex animo dicendum. 641
Voluntas Dei ſumma omnium ratio eſt. 645
Voluntate Dei omnia eveniunt. ibid.
Voluntatem Dei quare maxime colamus. 650
Votum non ſervans perjurus eſt. 465
Uſura quid ſit. 530
Uxoris, & viri mutua officia. 417
Uxoris partes erga virum. ibid.

Z

Zelus quis Deo tribuendus. 448

FINIS.